This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN

B
1889
.G23
P5
1665


META-
PHYSI-
CA.

J

'H

IAT
CI

Cu

E

1

Gautruche, Pierre

P. PETRI

GALTRVCHII

AVRELIANENSIS,

SOCIET. IESV,

PHILOSOPHIAE

AC

MATHEMATICÆ TOTIVS

CLARA, BREVIS, ET ACCVRATA

INSTITVTIO.

Cum Introductione ad alias Facultates.

Ad vſum Studioſæ Iuuentutis.

Editio altera emendatior & auctior.

METAPHYSICA.

CADOMI,

Apud IOANNEM CAVELIER,

Regis & Academ. Typograph.

M. DC. LXV.

Cum Priuilegio Regis, & Approb. Doct.

DOMINO SVO CHRISTO IESV.

MAGNVM eſt, fatemur, nomen Tuum in gentibus. Nam qui IESVM dixerit, is & Solem Orientem cum Prophetis, & aquæ viuentis Fontem cum Euangelio, & habitantem in altiſſimis Sapientiam nominabit. Vnde ergo niſi à Sole Radius, ſi qua lux affulſit in hâc Philoſophiâ? Vnde niſi à Fonte Riuus, ſi quæ purior & limpidior aqua fluxerit? vnde niſi à Patris Æterni Sapientiâ, noſtra Ratio & Logica? Primum donum

DOMINO SVO CHRISTO IESV.

MAGNVM eſt, fatemur, nomen Tuum in gentibus. Nam qui IESVM dixerit, is & Solem Orientem cum Prophetis, & aquæ viuentis Fontem cum Euangelio, & habitantem in altiſſimis Sapientiam nominabit. Vnde ergo niſi à Sole Radius, ſi qua lux affulſit in hâc Philoſophiâ? Vnde niſi à Fonte Riuus, ſi quæ purior & limpidior aqua fluxerit? vnde niſi à Patris Æterni Sapientiâ, noſtra Ratio & Logica? Primum donum

DOMINO SVO CHRISTO IESV.

MAGNVM eſt, fatemur, nomen Tuum in gentibus. Nam qui IESVM dixerit, is & Solem Orientem cum Prophetis, & aquæ viuentis Fontem cum Euangelio, & habitantem in altiſſimis Sapientiam nominabit. Vnde ergo niſi à Sole Radius, ſi quæ lux affulſit in hâc Philoſophiâ? Vnde niſi à Fonte Riuus, ſi quæ purior & limpidior aqua fluxerit? vnde niſi à Patris Æterni Sapientiâ, noſtra Ratio & Logica? Primum donum

DOMINO SVO
CHRISTO
IESV.

MAGNVM eſt, fatemur, nomen Tuum in gentibus. Nam qui IESVM dixerit, is & Solem Orientem cum Prophetis, & aquæ viuentis Fontem cum Euangelio, & habitantem in altiſſimis Sapientiam nominabit. Vnde ergo niſi à Sole Radius, ſi qua lux affulſit in hâc Philoſophiâ? Vnde niſi à Fonte Riuus, ſi qua purior & limpidior aqua fluxerit? vnde niſi à Patris Æterni Sapientiâ, noſtra Ratio & Logica? Primum donum

eſt, ſi bene ſentimus; alterum, ſi rectè volumus; maximũ, ſi in eâ, quam reformauit, naturâ ſtamus. Ad quem igitur niſi ad Te, Optime IESV, vt grata ſit Natura, confugiet? à quo opem poſtulabit, vt recta ſit Voluntas? à cuius luce, niſi à Tuâ, ſapiens erit Intellectus? Certè, cùm Tua ſint, quæcunque ad nos defluunt munera, ad Te redeunt, vt firma ſint & conſtantia. Iuuabit MARIA, cuius obſtetricata eſt manus: iuuabit & Pater, qualem habere in Terris potuiſti, Nutritius. His Patronis ſecura lætiorque Philoſophia redibit ad IESVM, à quo fluxit, vt veniret; ſeque illi totam, & quo poteſt nexu obſtringet, & quâ poteſt gratiâ conſecrabit.

PRAEFATIO AD VNIVERSAM

METAPHYSICAM.

METAPHYSICA eſt Scientia de Ente in communi; tum de Intelligentijs creatis, & de Deo. Sicque hæc facultas appellatur Metaphyſica, quia eius tractatio ab Ariſtotele tunc tantùm inſtituta eſt, vbi libros Phyſicos conſcripſit: vti quidem plerique interpretantur: vel quia de facto poſt Phyſicam, naturæ ordine, conſequitur: quanuis maximâ ex parte, iuxta ordinem facilioris doctrinæ, ſoleat à peritioribus ante alias Diſciplinas explicari, multiſque ipſius Logicæ quæſtionibus intermiſceri.

Hæc autem vulgò dicitur eſſe naturalium omnium Scientiarum nobiliſſima. Primò, quia obiectum habet omnium vniuerſaliſſimum: item quia habet & nobiliſſimum, quatenùs ſaltem Angelorum, Numiniſque ipſius naturam, operationes, attributa &

proprietates, vt partem obiecti ſui contemplatur; vnde & nuncupari ſolet Theologia naturalis; quia ſic de Angelis, & de Deo diſputat, prout lumine naturali poſſunt nobis innoteſcere. Quanquam illam ſic inſtituimus, vt ſit Introductio quædam ad Sacram Theologiam, elementa præcipua tam nobilis facultatis explicando; maximè in Diſputatione de Angelis & de Deo. Item, eſt ſupra omnes alias ſcientias naturales, cùm illi ſubordinentur. Habet enim omnium vniuerſaliſſima principia, ad quæ ea demum reſolui debent, quæ in inferioribus diſciplinis agitantur. Verùm, vt ea, quæ pertinent ad naturam huius ſcientiæ proferam, ſimulque probem;

DICO I. Habet partim pro obiecto ens *in communi; ſeu* ens vt ens*; vel ſi lubet,* ens vt ſic. *Ita Ariſtoteles 4. Metaph. Ratio eſt, quia de Ente vt ſic debet dari ſcientia, quæ alia eſſe non poteſt quàm Metaphyſica.*

NOTANDVM autem eſt, Ens vt ſic, dici ens abſtractum ſecundùm rationem ab omni materiâ; quod nihil eſt aliud quàm conſiderari ens in communi, non conſiderato tali, vel tali Ente in particulari.

DICO II. Metaphyſica non tantùm habet pro obiecto ens vt ſic, ſed etiam contempla-

tur ens incorporeum completum, quales ſunt Angeli & Deus. Atque huiuſmodi quidem ens incorporeum dicitur ens abſtractum ſecundùm rem à materiâ; quia de facto & à parte rei eſt ſine materiâ. Quare

NOT. 1. *Obiectum Metaphyſicæ vniuerſale dici Ens vt ſic, à materiâ abſtractum tam ſecundùm rem, quàm ſecundùm rationem: quo pacto, etiam dicitur habere obiectum vnum. Item,*

NOT. 2. *Pro illâ duplici Entis ratione, Metaphyſicam vulgò diſtribui duas in partes, ſeu Tractatus duos; quorum qui primus eſt inſcribi etiam ſolet* De Ente in communi, variiſque eius diuiſionibus. *Secundus*, De Ente incorporeo ſiue creato, hoc eſt, de Intelligentijs; ſiue increato, *nempe* de Deo. *Sed antequam negotium iſtud aggrediar;*

NOT. 3. *Cùm ſua cuiuſque ſcientiæ propria ſint principia, ſeu axiomata aut effata quædam generalia, quas vocant Propoſitiones vniuerſales æternæ veritatis, & per ſe notas, ex quibus aliarum rerum, quæ traduntur in illis ſcientijs veritas innoteſcat; ſic iſta pertinent ad Metaphyſicam.* Quodlibet eſt, vel non eſt. *Item*, impoſſibile eſt duo contradictoria ſimul eſſe vera. *Item*, impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe. *Quæ quidem principia ideo dicuntur*

indemonſtrabilia, quia nullum dari poteſt medium per ſe notius, vnde probetur eorum veritas; ſuntque omnino per ſe nota; nec opus habent niſi terminorum penetratione, id eſt, prudenti conſideratione, ut cuilibet non hebeti & ſtupido manifeſta fiant.

NOTANDVMQVE eſt 4. Illa principia vix differre inter ſeſe, & fruſtra quæri, quodnam ex illis dicatur præcipuum: ſufficitque, ſi dixerimus illud quod poſtremo loco recenſitum eſt, videri Ariſtoteli omnium primum, & indemonſtrabile 4. Met. c. 3. *Item,*

NOT. 5. *Hæc dici principia Entis* complexa. *Nam ea vocantur* incomplexa, *quæ ſunt cauſæ, aut elementa; ſeu quaſi partes illius rei, de quâ diſputatur. Quâ ratione* entis *principia incomplexa vel ſunt externa, putà cauſa efficiens & finalis, quæ ſolent explicari in Phyſicâ; vel ſunt interna; ſeu quaſi partes ex quibus intrinſecè conſtituitur, cuiuſmodi recenſeri poſſunt eſſentia & exiſtentia; actus & potentia; genus & differentia, &c.*

INSTITVTIO METAPHYSICÆ.

TRACTATVS PRIMVS DE ENTE IN COMMVNI, VARIISQVE ILLIVS DIVISIONIBVS ET MODIS.

DISPVTATIO I. NATVRA ET PROPRIETATES ENTIS IN COMMVNI.

CAPVT I.

Explicantur natura & proprietates Entis in communi.

QVM Ens vt ſic & in communi, genus & differentiam non habeat; propriè deffiniri non poteſt. Vt tamen illius natura quomodocunque nobis explicetur;

DICO I. Ens eſt id quod opponitur nihilo. Quæ definitio, vel deſcriptio fit per oppoſitum ipſius entis, tanquam per aliquid de ſe notum; conuenitque realitati cuilibet ſiue eſſentiæ, ſiue exiſtentiæ; ſiue dicatur actualis, ſiue duntaxat potentiā, &c. Atque ita

DICO II. *Ens*, eſt prædicatum ſimpliciter tranſcendens. Nam illud eſt ſimpliciter tranſcendens, quod generis alicuius ſeu categoriæ finibus non continetur, ſed omnia peruadit, nihilque reale cogitari poteſt, cui non attribuatur; ſicque, vt aiunt, vel in rerum quaruncunque differentijs quaſi imbibitur. Item,

DICO III. Ens vt ſic ſuas habet proprietates, vel vt vocant, paſſiones ſeu affectiones. *Prob.* Quia nullum eſt ſubiectum ſcientiæ vllius, de quo non demonſtrentur proprietates: quod à pari æſtimandum eſt de Metaphyſicā, cuius ſubiectum eſt *ens vt ſic*, ſeu *ens in communi*. *Conf.* Quia proprietates alicuius ſubiecti ſunt attributa, quæ vniuerſalem connexionem habeat cum eſſentiā illius ſubiecti, & cum illo reciprocantur, ſiue habeant realem diſtinctionem à ſuo ſubiecto, vt proprietates Phyſicæ reſpectu corporis naturalis, ſiue ab eo non diſtinguantur niſi per noſtrum concipiendi modum. Atqui *vnum*, *verum*, *bonum*, ita ſe habent reſpectu entis; nihil enim eſt ens, cui non conueniant; ergo ſunt illius paſſiones.

NOTANDVMQVE eſt, tres illas tantùm eſſe Entis proprietates; ac proinde quatuor illa solùm eſſe prædicata tranſcendentalia, quæ ſcilicet realitati cuilibet attribui poſſint; nempe *ens*, *vnum*, *verum*, *bonum*. Quod enim ad numerum tranſcendentium addunt alij *eſſe rem*,

aut *eſſe aliquid*. R. Hæc confundi cum *eſſe ens*.

NOTABIS autem 2. Ens quodlibet dici *vnum*, quatenus de ſe poteſt eſſe principium multitudinis: item, vt loquitur Ariſt. dicitur *vnum*, quatenus eſt *indiuiſum in ſe*; ſeu quatenus non eſt multa ſecundùm eam rationem, in quâ eſt vnum; alioquin non eſſet *ens*, ſed *entia*. Quo ſenſu Petrus v. g. non eſt multi Petri, ſed vnus hic Petrus. Habetque prætereà per eandem vnitatem, vt dicatur quid *diuiſum à quocunquè alio*; id eſt, quòd non ſit res alia quæcunque: neque enim Petrus eſt Paulus, aut res alia à ſe diuerſa.

Item 2. Ens quodlibet dicitur *verum*; vel quia eſt verè intelligibile, quatenus poteſt eſſe obiectum veræ cognitionis: vt enim denominatur cognoſcibile per cognitionem, quæ circa ipſum verſari poteſt, ita & verè cognoſcibile per cognitionem, quæ vera fuerit. Vel potiùs, ſi lubet, ens eſt *verum*, quia conforme eſt ideæ & cognitioni Diuinæ, quæ talis naturæ ens repræſentat; quomodo Petrus dicitur eſſe verus homo, quia conformis eſt illi Ideæ quam habet Deus de *eſſe* hominis: vnde fictus homo, non eſt verus homo, quia non eſt conformis Ideæ & cognitioni Diuinæ, per quam repræſentatur Homo eſſe corpus viuens, ſentiens, & rationis particeps.

Item 3. Ens quodlibet dicitur *bonum*, quatenus eſt in ſe perfectum, ſaltem ſecundùm eſſentialia, ſine quibus nec eſſe poteſt, nec concipi. Nam, vt habetur in Morali *Tr.* 1. *Diſp.* 1. *c.* 1. Bonum idem eſt ac perfectum.

NOT. 3. Tres iſtas dici ſimplices *entis* proprietates; ad diſcrimen earum, quæ ab alijs vocantur coniunctæ. Putà, *eſſe actu vel poten-*

tiâ; eſſe contingens vel neceſſarium, &c. Item, NOT. 4. *Vnum* competere enti quaſi abſolutè; *verum* autem & *bonum* aliquomodo reſpectiuè ſiue ad intellectum, ſiue ad voluntatem. Quare cùm abſolutum præſupponatur à reſpectiuo; ideo *vnum* dicitur eſſe prima entis proprietas. Tum ſecunda eſt *verum*, quod habet ordinem ad intellectum, qui in operandō prior eſt voluntate, quæ habet *bonum* pro obiecto.

CAPVT II.

Expenditur natura illarum proprietatum.

QVI proprietates Entis impugnant, ſupponunt primò, & verè quidem, illas non eſſe omni modo idem cum ipſo Ente. Sunt enim diſtincti conceptus, & diſtinctæ definitiones tum *Entis*, tum *vnius*, tum *veri*, aut *boni*. *Conf.* Quia ſequeretur in eâ propoſitione (*ens eſt vnum*) idem eſſe prædicatum cum ſubiecto, & fieri propoſitionem nugatoriam. Item, ſubiectum & proprietates differunt ſicut prius & poſterius ab illo priori dependens: ergo habent aliquam inter ſe diſtinctionem. Atque his ſuppoſitis, ſic obijciunt;

Si ens habet veras proprietates, cuiuſmodi ſupponuntur ex capite ſuperiori, neceſſe eſt illas eſſe vel poſitiuas & reales, vel negatiuas: atqui neutrum dici poteſt: ergo nullas habet. *Prob. Min.* De negatiuis, quia illæ forent vel negationes aliquæ, vel relationes rationis: ergo ſic forent non ens: ergo proprietates entis

forent in ſe formaliter non ens. Quod dici non poteſt: nam *non ens* non eſt proprietas demonſtrabilis de Ente,&c. Deinde vt in particulari agatur de aliquibus: ſi vnitas v. g. ſecundùm rationem ſui formalem poſita eſt in aliquâ negatione, qualem dicunt eſſe *indiuiſionem in ſe*; ſequeretur numerum & multitudinem, quantumuis in ratione illâ formali numeri & multitudinis dicatur realis; ſequeretur, inquam, non conſtare niſi ex negationibus, quatenus non conflatur niſi ex vnitatibus. Item, ſi vnitas in Ente eſt negatio, non eſt negatio niſi multitudinis, ac proinde illam ſupponeret in Ente ipſo. Atqui repugnat multitudinem ſupponi ab vnitate, cùm è contra multitudo ſupponat vnitatem tanquam principium ſui. Item, vnitas ſecundùm ſe formaliter ſumpta, eſt perfectio; ſic enim Deus vt vnus, dicitur perfectus; alioqui ex eo non laudaretur in Sacris Literis: atqui perfectio omnis eſt quid poſitiuum. Item, vt illud prætereà oſtendatur de *bonitate*, quam etiam volunt eſſe poſitam in conuenientiâ, quæ non ſit niſi aliqua relatio rationis; ſic argumentor. Sequeretur rationem formalem bonitatis in Deo non eſſe quid poſitiuum: ergo in illo non eſſet aliqua perfectio. Item, ſiue illa relatio ſit tantùm rationis, ſiue ſit realis; inde ſequeretur Deum non eſſe formaliter bonum ex eo quòd in ſe, & ad ſe perfectus eſt; ſed tantùm ex eo quòd habet ordinem ad creaturas: ergo, vt docet Vaſquebius *in 1.P* non priùs eſſet bonus in ſe, quàm intelligerentur poſſibiles creaturæ, quibus tantùm bonus foret: ac proinde natura Dei non eſſet in ſe bonitas ipſa, ſed bonitatem haberet pendentem ex creaturis poſſibilibus; quod dici non poteſt.

Iam verò Probatur Minoris ſuperiùs negatæ membrum alterum, nempe illas proprietates non eſſe poſitiuas. Sic inquam prob. Quia quæcunque ratione poſitiuâ, remotâ ab Ente, etiam per intellectum, *ens* ſemper remanet v. g. vnum: quod perinde per proportionem dici poteſt de vero & de bono: ergo per nullum poſitiuum conſtituitur in ratione *vnius*: ergo nihil ſupereſt, niſi vt per negationem aliquam conſtituatur in ratione vnius. *Conf.* Quia illa ratio poſitiua enti ſuperaddita eſſet ens: ergo pariter haberet ſuas ſimiles proprietates poſitiuas; & ſic fieret proceſſus in infinitum, &c. His nihilominus vt ſatisfaciam, mediam quaſi viam inter vtramque illam ſententiam ſequendo;

DICO I. Proprietates illæ entis ſunt quidem in ſe poſitiuæ, habentque conceptum *ſecundùm rationem*, à conceptu ſubiecti ſui ſaltem inadæquatè & imperfectè præciſum; quomodo per proportionem dicturus ſum poſteà, ſuo loco, de præciſione entis vt ſic à ſuis differentijs: nec tamen inde ſequitur eſſe formalitates, quæ ſint reales aliâ realitate quàm ſui ſubiecti: nam eandem etiam formaliter realitatem cum ipſo habent, nec diſtinguuntur in conceptu noſtro, niſi ratione alicuius connotati.

Obijc. Nulla proprietas, ſaltem ſecundùm rationem ſui formalem, includit eſſentialiter conceptum ſubiecti ſui; quod in iſto caſu contingeret. ℞. Tranſeat illud de proprietatibus phyſicis: nego de proprietatibus tranſcendentalibus, ſeu de eo genere proprietatum, quæ aliud nihil ſunt, quàm ſubiectum ipſum, ſub tali vel tali modo, ſiue abſoluto, ſiue relatiuo, vnde tale, vel tale prædicatum vniuerſale ipſis

competat. Atque ita

DICO II. Cum Vaſquefio, vnitatis ratio formalis eſt poſitiua; quæ, vt inquit, explicari poteſt per *principium multitudinis*; oſtenditque eam eſſe Ariſtotelis mentem, quatenus 10. Metaph. c. 5. docet vnum & multa opponi contrariè, eâ ſcilicet contrarietate, quæ eſt inter duo poſitiua; nec obſtat, quòd vnum explicet per negationem, ſeu per *ſui indiuiſionem*; hoc enim plerumque contingit, vt, quæ maximè poſitiua ſunt, non poſſint à nobis explicari niſi per negationes, vt incorruptibilitas in Cœlo; immortalitas, infinitas in Deo, &c. Atque ita, vt ſuprà explicabam, *Ens* rectè dicitur *vnum*, quatenus non eſt in ſe multa ſecundùm eam rationem in quâ eſt vnum. Ita v. g. cumulus dicitur vnus in ratione cumuli, neque eſt multi cumuli, quanuis poteſt dici multa entia, ſeu multi lapides ſimul poſiti.

NOTABIS autem, *vnum* & *multa* opponi quidem contrariè, quatenus comparantur cum eodem ſubiecto, quod ſecundùm eandem rationem non poteſt ſimul eſſe Vnum & Multa. Alioquin ſi abſolutè conſiderantur, & extra huiuſmodi ſubiectum, non habent inter ſe contrarietatem: ſiquidem & Multitudo componitur ex vnitatibus: quod ſecùs contingeret: nam contrarium non conſtat ex ſuis contrarijs. Item,

NOT. 2. Eodem modo rem eſſe vnam, quo eſt ens. Nam eſt vna vnitate eſſentiæ, ſi eſt ens eſſentiæ: item ſi eſt eſſentia ſeu natura compoſita ex multis, eſt vnitas compoſita, & non ſimplex. Item, ſi eſt ens ſingulare, eſt vnitas ſingularis; quo pacto Petrus eſt vnus vnitate ſingulari. Item, ſi eſſentia ſeu natura intelligi-

tur eſſe eadem in multis inferioribus, dicetur vna vnitate vniuerſali.

NOTANDVMQVE eſt 3. Aliam eſſe impropriè ſumptam vnitatem *conuenientiæ & ſimilitudinis*, per quam ea dicuntur eſſe vnum in aliquo, quæ in eo conueniunt, ſeu in quo ſimilia ſunt: quomodo Petrus & Paulus dicuntur eſſe vnum in homine; quæ non eſt propriè & Metaphyſicè ſumpta vnitas; ſed tantùm impropriè & Logicè. Item prætereà

NOT. 4. Alia dici vnum per collectionem; vt Exercitus. Alia autem fiunt vnum per ſe; quando actus & potentia eiuſdem generis vniuntur ſimul; vt corpus & anima in homine; alioquin fiet duntaxat vnum per accidens, ſi non ſint eiuſdem generis, vt Albedo cum Lapide faciens vnum Album; vt habetur ſequenti Diſput. *cap.* 3. Item, aliqua etiam ſunt vnum per continuationem, quæ eſt aliud genus compoſitionis; vt quando multæ aquæ ſimul vniuntur, & fiunt vna aqua continua.

DICO III. Veritas omnis rectè explicatur per aliquod genus conformitatis: vt legitur in Logica. Diſp. 1. c. 2. Quod enim ſuperiori capite aiebam; veritas entis, ſeu veritas tranſcendentalis, rectè dicitur eſſe poſita in conformitate ipſius rei cum ideâ aut cognitione Diuinâ. Sicque ens eſt verum, quatenus connotat ſui ideam in mente Diuinâ.

NOTANDVMQVE eſt obiter 1. Veritatem in ratione veritatis vt ſic, ideo poſitam eſſe in indiuiſibili, id eſt, non recipere magis & minùs, quia talis eſt natura adæquationis vel cognitionis cum obiecto, vel obiecti cum cognitione: ſi enim aut excederet, aut deficeret, tum deſi-

neret eſſe adæquatio : quod per proportionem explicari poteſt exemplo duarum quantitatum inter ſe æqualium. Quare licet aliqua veritas poſſit eſſe naturæ præſtantioris, tum euidentior, aut certior aliâ ; non idcirco plus dicit in ratione veritatis vt ſic. Ita Mendoza in Log. Diſp. 11. ſ. 2. Tum iunior Suarez. *Tom. 3. Curſus Philoſoph. Tract. 3. De Animâ Diſp. 2.* Quanquam ſi ſecundùm materiale ſumitur, ens aliquod poteſt dici magis verum extenſiuè; quòd in ſe veluti plures contineat veritates, quia plures habet perfectiones, ſed non eſſet magis verum intenſiuè.

Not. 2. Cognoſcibilitatem eſſe veritatis proprietatem eſſentialem, eo per proportionem modo, quo viſibilitas corporea eſt coloris propria, aut quomodo appetibilitas bono competit. Quare nulla eſt generis cuiuſcunque veritas, quæ à Deo non cognoſcatur actu, cùm eius ſcientia, quatenus illimitata de ſe, attingat actu omne cognoſcibile.

Dico IV. Tranſcendentalis bonitas, primò & per ſe, aliud nihil eſt, quàm rei perfectio ſecundùm ſe, ad quam tanquam proprietas conſequitur conuenientia; tum, ſi lubet, relatio rationis conuenientiæ, cæteráque id genus, de quibus ſuprà, & in Morali, loco iam citato. At

Notabis illam bonitatem eſſe conceptum poſitiuum à conceptu entis-diſtinctum, non quidem tanquam ens aliud, ſed tantùm vt aliam formalitatem.

Dices. Illa formalitas eſt ens, ſiquidem eſt poſitiua. *Diſt.* Eſt ens aliâ entitate, quàm ſubiecti ſui, N. Aliud enim nihil ſunt formalitates eiuſmodi tranſcendentales, quàm ſubiectum ipſum vt diuerſo modo conſideratum, nempe

vel ſub aliquâ negatione, vel ſub denominationibus etiam extrinſecis; vel comparatiuè ad diuerſa connotata, ex quibus oriuntur illa prædicata tranſcendentalia vel *vnius*, vel *veri*, aut *boni*. Etſi autem prædicatum hac ratione diceretur includere ſubiectum ſuum; iam reſpondi, illud eſſe præcipuè entis proprium, ob eam quam habet *tranſcendentiam*, vt idem indiuiſibiliter ſit conſtitutiuum diuerſarum formalitatum, quæ ipſi identificantur.

CAPVT III.

De non Ente.

ENTI maximè oppoſitum eſt *non ens*, tum illud quod eſt in intellectu, ſoletque appellari *ens rationis*, de quo ſermo erit Diſp. 4. tum illud quod eſt extra intellectum, & dicitur ſimpliciter *non ens*, ſeu *negatio entis*. Duplexque eſt; altera, quæ propriè vocatur *priuatio*, ſeu carentia formæ in ſubiecto apto, vt cæcitas in oculo; tenebræ in aëre; mors in corpore, quod erat animatum: altera autem eſt propriè dicta *negatio*, quando extra circunſtantiam modò explicatam, dicitur aliquid non eſſe; vt negatio Mundi ante creationem, negatio viſus in lapide; negatio creaturarum, quæ nondum exiſtunt.

Sciendum verò eſt ex Suario, Conimb. multiſque alijs, contra Fonſecam, & multos Thomiſtas, *non ens* eiuſmodi reuerà exiſtere in rerum naturâ independenter ab intellectu; non quidem poſitiuè, ſed negatiuè duntaxat. Prob.

Quia de facto, nemine cogitante, eſt cæcitas in oculo, tenebræ ſunt in aëre, mors in animali interfecto; &c. Sic à parte rei extitit ab æterno Mundi negatio. Sic Ariſt. 1. *Phy.* *c.* 3. dixit priuationem eſſe principium corporis naturalis in fieri: iſtaque ita ſe habent in rerum naturâ, etiam nemine cogitante. *Conf.* 1. Quia dum v. g. Mundus per creationem tranſiit de *non eſſe* ſui, ad *eſſe* ſui, facta eſt à parte rei mutatio, & verè deſiit exiſtere ipſius negatio, quicquid cogitet intellectus aut non cogitet; ergo ſic de facto erat à parte rei. *Conf.* 2. Quia de facto, vera eſt illa propoſitio, *Mundus non extitit ab æterno*; ſicque ſupponit obiectum ſuum à parte rei, cui ſit conformis. *Conf.* 3. Quod eſt obiectum amoris, odij, triſtitiæ, aliorumque id genus affectuum, ſupponitur eſſe aliquid à parte rei, vt Mors amici, quæ dolorem excitat; aut quam aliquis vult inferre alteri, &c. *Conf.* 4. Quod verè fit, illud verè eſt à parte rei: ſed dicuntur v. g. fieri Tenebræ; excæcari oculus, &c. Quanquam

NOTABIS 1. Illa non fieri niſi negatiuè; nec producuntur per ſe, per propriam aut poſitiuam producibilitatem, ſed tantùm vel ad poſitiuam rei alterius deſtructionem, vel aliquid remouendo, &c.

1 Obijc. Quod verè ponitur à parte rei, illud dicitur ens poſitiuum & reale. *Diſt.* Quod ponitur per ſe, & per propriam & poſitiuam producibilitatem, *Tr.*

Inſt. 1. Quod ita ponitur, accipit verè *eſſe* ab alio. *Diſt.* Vel poſitiuum, vel negatiuum. *Tr.* Poſitiuum, *N.*

Inſt. 2. Eiuſmodi negationibus competunt proprietates entis realis, putà, eſſe vnum,

differre inter ſe ſpecie, vt *ſurditas* & *cæcitas*, &c. ℞. Non habent niſi vnitatem negatiuam; nec differunt niſi per differentiam negatiuam, & ratione illius entis particularis cui opponuntur. Ita negatio Lapidis differt à negatione Leonis; aut cæcitas à Surditate, &c.

Inſt. 3. Eſſent à parte rei infinitæ actu rerum poſſibilium negationes. Reſpondetur huic difficultati in Phyſicâ Vniu. *Diſp. de Infinito. cap. 5.*

DISPVTATIO II.

VARII DISTINCTIONVM MODI QVI REPERIVNTVR IN ENTE. TVM DE IPSIVS DIVERSITATIBVS, &c.

CAPVT I.

De varijs diſtinctionum modis.

ILLA eſt vis noſtri intellectus, vt quæ ſunt maximè idem, etiam indiuiſibiliter, ea nihilominus diuidat, diuerſis conceptibus, diuerſas eiuſdem rei perfectiones, quas *formalitates*, aut *virtualitates* appellant, ſibi repræſentando tanquam ab inuicem diſtinctas, aut ſeparatas. Sic gradus animalitatis & rationalitatis in homine; vel gradus vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi in Animâ rationali, ſunt quidem à parte rei, vt loquuntur, eadem indiuiſibiliter entitas; ſed tamen poſſumus per intellectum ſingulos ab alijs diſtinguere per varios conceptus, quos ideo vocant *inadæquatos*, quia non adæquant totam obiecti ſui intelligibilitatem, cùm illius duntaxat quaſi partem attingant. Hoc autem modo fit, vt quæ ſunt *indiſtincta à parte rei*, & *nemine cogitante*;

dicantur diſtingui *per intellectum*, ſeu *per operationem intellectus.*

NOTABIS porrò, res quidem à parte rei diſtinctas, habere per ſuam ipſammet entitatem, quòd ſint diſtinctæ. Quanquam communior eſt ſententia ex Suario, vt diſtinctio dicatur eſſe negatio quædam; idemque ſit eſſe diſtinctum, ac vnum non eſſe aliud; nec dicatur diſtinctio aut *realis*, aut *negatiua*, niſi ratione extremorum, quæ ſint aut realia, aut non realia. Item,

NOT. 2. Quando res aliquâ ratione diſtinctæ, ex communi vſu loquendi dicuntur eſſe *conceptus* diuerſi; tunc conceptus illi dicuntur *obiectiui*, nec propriè ſunt conceptus, ſed eam tantùm ob cauſam nominantur *conceptus*, quia ſunt obiectum *conceptus formalis*, qui propriè eſt couceptus ſeu actus noſtri intellectus, per quem obiectum ipſum concipimus, nobiſque repræſentamus. His ergo ſuppoſitis; vt, qui reperiuntur in Ente, modos omnes diſtinctionis explicemus, iuxta communem vſum Philoſophiæ;

DICO I. Diſtinctio alia eſt *à parte rei & nemine cogitante*; alia autem per ſolam intellectus operationem, quam vno verbo appellant *diſtinctionem rationis*. At diſtinctio à parte rei & nemine cogitante, alia eſt *realis* ſeu *entitatiua*; alia autem *formalis* duntaxat, tum *virtualis*.

REALIS, eſt inter res duas ſeu entitates, quarum vna non eſt alia; vt inter Petrum & Paulum.

NOTANDVMQVE eſt, diſtinctionem hanc realem, aliam dici *poſitiuam*, quando reperitur inter duo extrema realia: aliam verò *negati-*

n-w, vbi eſt inter ens & non ens. Item, diſtinctio realis alia eſt tantùm *potentia*, vt inter partes Continui: alia autem eſt *actu*; vt inter Petrum & Paulum: vel inter corpus & animam, vt in homine: neque enim eiuſmodi vnio impedit diſtinctionem realem actu, cùm vnio ſit tantùm contraria diuiſioni, non autem diſtinctioni. Iam verò,

NOT. 2. Illa diſtingui realiter vel actu, vel potentiâ, quæ poſſunt ſeparari ab inuicem, aut eſſe ſine inuicem, putà vno corrupto, altero adhuc exiſtente. Alioquin idem ſine ſeipſo eſſe non poteſt; neque à ſeipſo ſeparari, & diuerſis ſimul in locis exiſtere, niſi per Diuinam omnipotentiam reproducatur. Item, admittenda eſt quoque realis diſtinctio inter cauſans & cauſatum; cùm nihil ſeipſum cauſet. Et verò, cauſa productiua effectus ſupponitur actu exiſtens, vt aliquid producat, cùm effectus producendus ſupponatur eſſe in potentiâ, & nondum exiſtens: ergo non poſſunt eſſe idem: alioquin conciperemus in eo caſu poſſe idem ſimul eſſe & non eſſe.

NOTABIS tamen, non ibi eſſe ſermonem de cauſâ, quæ ſupernaturaliter ſeipſam reproduceret; quod fieri poſſe multi docent.

NOTABIS prætereà, ſufficere diſtinctionem realem potentiâ inter cauſam & effectum, vt quando effectus productus continuatur cum cauſâ. Quemadmodum habetur in Phyſicâ Vniuerſ. vbi *de diſtinctione partium in Continuo*. Item, forma illa diſtinguitur realiter à ſubiecto cui aduenit entitatiuè, ſeu ſecundùm nouam entitatem in eo priùs non exiſtentem: quâ ratione calor dicitur eſſe realiter diſtinctus ab aquâ calidâ. Item prætereà,

NOT. 3. Duplicem eſſe illam diſtinctionem realem. Primò enim illa dicitur *maior*, quando extrema poſſunt, Diuinitùs ſaltem, ſeorſim exiſtere; vt corpus & anima. 2. Alia dicitur *minor*, quando alterum quidem poteſt exiſtere ſine alio, non autem è contrà. Talis eſt diſtinctio rei modificatæ à ſuo modo; vt rei ſubſiſtentis, à modo Subſiſtentiæ realiter diſtincto, qui non poteſt exiſtere niſi actu ſubiectum modificando; cùm ex naturâ ſuâ ſit actualis modificatio.

Quanquam Suarez, nonnullique alij, modos illos, etſi reales & poſitiuos eſſe credant, non tamen concedunt eſſe veras entitates: quia, inquiunt, vera entia non habent tam intrinſecam dependentiam à ſuis ſubiectis, vt Deus, pro ſuâ infinitâ potentiâ, illam ſupplere nequeat. *Sed contrà eſt*. 1. Quia Ariſtoteles non idcirco negauit accidens eſſe verum ens, quamuis ſupponat non poſſe illud exiſtere ſine ſubiecto in quo eſt. 2. Eadem prorſus dicuntur de iſtis modis, quæ ſolent afferri ad probandam rei cuiuſcunque poſitiuæ entitatem. Neque enim alio modo ipſe Suarez probat v. g. materiam primam eſſe verum ens, quàm quia non eſt purum nihil: item, quia verum & reale munus exercet in rerum naturâ: item, quia aliquid poſitiuum addit formæ ſubſtantiali, &c. Atqui pariter hæc dici poſſunt de Modis; ſic enim v. g. Subſiſtentia eſt quid oppoſitum nihilo: eſt complementum quoddam Subſtantiæ creatæ perfectiuum, eam conſtituendo in ratione Suppoſiti: ſicque addit aliquid poſitiuũ ad ſubſtantiam; munuſque aliquod reale exercet in rerum naturâ: item, ſic dicunt illam Subſiſt. aut modum vnionis ſubſtantialis, eſſe terminum poſiti-

num, per veram & phyſicam actionem productum; neque alia ratione probatur effectus alicuius poſitiui realis entitas, &c.

Virtualis distinctio in eo poſita, eſt quòd eadem ſimpliciſſima entitas, propter eminentiam ſibi propriam, æquiualeat multis perfectionibus realiter diſtinctis; ſicque habeat in ſe vim atque virtutem præſtandi ea, quæ exiſterent à multis realiter diſtinctis. Sic, in Animâ rationali, gradus vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi ſunt virtualiter diſtincti, idemque præſtant in homine, ac ſi forent tres animæ realiter diſtinctæ, cùm tamen illi ſint inter ſe idem realiter atque indiuiſibiliter. Sic etiam Theologi eandem ob cauſam in Deo admittunt virtualem diuerſarum perfectionum diſtinctionem, vt poſtremâ huius operis Diſputatione explicabimus. Neque verò alioquin ſaluari poſſent multæ propoſitiones contradictoriæ, quæ de eodem plerumque fiunt; vt ſi dixerimus, Hominem eundem eſſe principium ſenſationem & non eſſe: vel ſi lubet, eſſe cum Equo ſimilem & non ſimilem; niſi Homo tunc ſumatur inadæquatè, tum ſecundùm Animalitatem, præſcindendo à Rationalitate; tum ſecundùm ipſam Rationalitatem ſimiliter præciſam.

NOTANDVMQVE eſt, diſtinctionem illam virtualem præbere intellectui fundamentum, concipiendi formalitates alias ſine alijs, rem eandem quaſi varias in partes diuidendo, & alias ab alijs abſtrahendo, ſeu præſcindendo & ſeparando. Vt, quando in homine concipitur animalitas ſine ipſius rationalitate; aut è contrà, per alium cognitionis actum, quem conceptum formalem appellant, concipitur

rationalitas ſine animalitate. Item,

NOT. 2. Varios iſtiuſmodi perfectionum gradus in eodem (quos ſuprà appellabamus conceptus obiectiuos) habere alios ab alijs præciſionem, non tantùm formalem ſe tenentem ex parte intellectus, ſed etiam ex parte obiecti, ita vt, ex parte etiam ſui, perfectiones illæ præſcindant ab inuicem ſub eadem entitate, & dicantur *formalitates* diſtinctæ inter ſe, & conceptus obiectiui mutuò præciſi, quas vno verbo appellant *præciſiones obiectiuas*: nec magis repugnat dari præciſiones huiuſmodi obiectiuas, ſaltem in creatis, quàm diſtinctionem virtualem. Nam v. g. rationale in Petro ſic diſtinguitur ab animali, vt ratio formalis vnius, ſit, prorſus diuerſa à ratione formali alterius; definiaturque rationalitas hominis, & de eâ diſputetur, abſtrahendo prorſus ab eius animalitate, perinde ac ſi nulla eſſet animalitas; aut è contrà, &c. Quæ doctrina, eſt contra illos qui volunt in eo caſu, dum clarè & diſtinctè concipio *Animal* in Homine, ſimul attingi à me confusè ſaltem & ipſum *rationale*; illiuſque mei conceptus obiectum ſemper eſſe totum hominem cum ordine ad operationes animalis, aut ad alia connotata, dum alios perfectionis gradus concipio.

Obijc. Dum concipio *Animal*, tunc concipio *habens animalitatem* quod eſt v. g. Homo: & ſic confusè ſaltem concipio hominem, tum quicquid in eo continetur. ℟. Quando concipio *Animal* vt ſic, abſtraho ab Homine, & à quocunque alio habente animalitatem: nec repræſento mihi, niſi gradum animalitatis. Quare, cùm in eo gradu non includatur aut rationalitas, aut ſimilis gradus alius; nec habeat cum

eo neceſſariam ac eſſentialem connexionem; non eſt neceſſe, vt illo cognito, alij gradus illi ſimul obijciantur, etiam confusè. Tunc enim ſolùm haberi poteſt cognitio confuſa aliorum, vno aliquo diſtinctè cognito, quando illá in ipſo includuntur, vel eſſentialem aliquam connexionem cum ipſo habent. Hac igitur ſic explicatá Entis diſtinctione à parte rei, & nemine cogitante;

DICO II. Diſtinctio rationis duplex eſt: altera, quæ vocatur *rationis ratiocinatæ*; altera autem *rationis ratiocinantis.*

DISTINCTIO RATIONIS RATIOCINATAE illa eſt, quæ fingitur à noſtro intellectu cum fundamento in re. Vt quando rationalitatem in homine præſcindo ab eius animalitate, non modò propter ordinem quem habet ad operationes diuerſas ab operationibus animalitatis, ſed quia præterea & in ſe, ex parte obiecti, præſcindit ab ipsâ animalitate; vt iam aiebam.

DISTINCTIO RATIONIS RATIOCINANTIS eſt ea, quæ fit per ſolam operationem intellectus ſine fundamento in re. Vt cùm aiunt, *homo eſt homo*, ſic diſtinguendo hominem à ſeipſo, vt modò habeat rationem Subiecti, modò autem Prædicati. Vel etiam cùm diſtinguuntur abſtracta à concretis; vt humanitas ab homine; entitas ab ente, &c. cuiuſmodi diſtinctio non eſt planè inutilis; nam intellectus noſter res ſimpliciſſimas explicare plerumque non poteſt, niſi ad modum rerum compoſitarum, inadæquatè & imperfectè illas, hac ratione, concipiendo.

DICO III. Scotus, vti quidem interpretantur plures ex eius Sectatoribus, præter eos diſtinctionis modos, affert aliam quam vocat *diſtinctio-*

nem formalem ex natura rei, & citra mentis operationem, actu exiſtentem à parte rei inter duas eiuſdem rei perfectiones, quas vocant *formalitates*; putà inter *Animal* & *rationale* in eodem homine. Ait enim ſic eſſe obiectiuè præciſas, vt, independenter ab operatione intellectus, vna non ſit alia: cùm è contrà ex aliorum ſententiâ, dicatur nemine cogitante eſſe duntaxat vna formalitas virtualiter duplex, ſeu duabus æquiualens; nec diſtinguantur ante operationem intellectus niſi fundamentaliter. Hac autem ratione probant ſuam ſententiam. Quæ, nemine cogitante, id eſt, quæ independenter ab intellectu, habent mutuas ab inuicem præciſiones ex parte obiecti, & diſtinguuntur definitione, illa, ex naturâ rei & *ſecundùm rem*, non ſunt idem formaliter, quanuis ſint idem ſecundùm eandem indiuiſibiliter entitatem. Atqui ita ſe habent in eodem v.g. homine, animalitas & rationalitas: ergo, &c. Et verò, illa ſe habent vt actus & potentia quædam: quæ certè idem formaliter non ſunt. Item, dicuntur contradictoria de animalitate & de rationalitate; nempe quòd iſta ſit principium ratiocinandi, non autem illa, &c. Ergo non ſunt idem ſaltem formaliter: Item, ſic dicitur Figura non eſſe idem formaliter cum extenſione locali; vt habetur in Logicâ. *Diſp.* 2. *c.* 3. *Aſſ.* 3. Neque etiam ſimiliter idem eſt Motus localis cum re motâ, in eorum ſententiâ, qui negant Motum localem fieri in re motâ ſecundùm nouam entitatem, ſed tantùm ſecundùm nouam formalitatem: ſoletque attribui Ariſt. vt tradit ipſe Suarez *in Metaph. Diſp.* 7. Item, nec videtur hæc doctrina ſecundùm rem, ſed tantùm ſecundùm nomen differre à ſuperiori de diſtinctione virtuali, & de diſtin-

de diſtinctione rationis ratiocinatæ ; cùm diſtinctionem rei à re nullam inferat, ſed tantùm perfectionis à perfectione ſeu formalitate, quæ nihilominus ſint eadem indiuiſibiliter entitas. Quare facilè, ſub eo ſenſu, conciliari poſſunt ; & ſic diuiditur diſtinctio à parte rei, & nemine cogitante in eam, quæ eſt *realis* ſeu *entitatiua*, vt dixi : tum in eam, quæ ſit tantùm *virtualis* & ſimul *formalis*.

Obijc. Diſtinctio omnis, quæ eſt à parte rei, & nemine cogitante, debet eſſe realis, *Negant.* *Prob.* Quia diſtinctio nemine cogitante eſt tantùm inter ea, quæ ex naturâ ſuâ, & à parte rei diſtinguuntur. *C.* Atqui diſtinctio eiuſmodi non reperitur niſi inter diuerſas realitates. *Negant.*

Inſt. Nihil præterea requiritur ad diſtinctionem realem, niſi vt aliqua nemine cogitante & actu diſtinguantur. Reſpondent, ad hoc requiri non tantùm vt formaliter & virtualiter, ſed etiam vt entitatiuè, ſeu ſecundùm diuerſas entitates diſtinguantur.

Inſt. 2. Animalitas non diſtingueretur, nemine cogitante, à rationalitate per aliquid quod eſſet idem cum rationalitate : nam idem vtrique commune non eſſet principium diſtinctionis, ſed potiùs identitatis. Ergo diſtingueretur per aliquid, quod ipſi foret proprium, nec reperiretur in rationalitate. Atqui illud eſſet ens : ergo diſtingueretur per aliquam entitatem non communem cum entitate rationalitatis : ergo diſtinguerentur realiter. Reſpondent. Animalitatem in homine ab ipſius rationalitate non diſtingui per aliquid entitatiuum ipſi proprium ; nullam enim habet entitatem niſi communem indiuiſibiliter cum entitate rationalita-

tis; ſed tantùm diſtinguitur per aliquid ipſi proprium in ratione formalitatis: quæ quidem formalitas, ſecundùm illud, in quo diſtinguitur à rationalitate, eſt ens; quanquam negari debet ita eſſe ens entitate propriâ, ſed tantùm communi.

Inſt. 3. Ergo diſtingueretur à rationalitate in ratione entis communis verique illi formalitati. *Negant Conſ.* Sed tantùm in ratione eſſentiali, animalitati propriâ: quæ tamen non foret ens propriâ entitate.

Inſt. 4. Illa diſtinctio, quæ foret nemine cogitante inter animalitatem & rationalitatem, vel eſſet ens; & ſic eſſet realis; quicquid enim eſt ens, eſt reale: vel eſſet non ens; & ſic foret tantùm rationis; quia nihil eſt medium inter ens & non ens. *Reſpondent:* Diſtinctionem illam ſecundùm ſe formaliter ex communiori doctrinâ, vt iam monui, eſſe negationem, quâ vnum non eſt aliud: at nihilominus ratione extremorum dicitur vel diſtinctio realis, ſi ſit inter extrema, quæ ſint realia propriâ realitate; alioquin ſi ſit tantùm inter diuerſas eiuſdem entitatis formalitates, non eſt niſi diſtinctio formalis.

Notandus autem contra eoſdem Scotiſtas, hunc diſtinctionis *formalis* modum, etſi admittatur in rebus creatis, non valere tamen in Diuinis, quia Diuinæ perfectiones non habent in ſe præciſionem ab inuicem, cùm illæ potiùs ſibi ſint mutuò de conceptu formali, & eadem prorſus formalitas, virtualiter duntaxat multiplex, & multis æquiualens. Quamobrem, hæc in Deo dicitur diſtinctio *purè virtualis*, quia non eſt iuncta cum diſtinctione formali, ſecundùm rem; Quinetiam hæc in Deo virtualis

diſtinctio non eſt propriè diſtinctio, ſed tantùm æquiualentia quædam ad diuerſas perfectiones: vt explicabitur in Diſputatione de Deo.

CAPVT II.

Diſcrimen inter diſtincta, diuiſa, differentia, diuerſa, oppoſita, &c.

DIco I. Diſtincta illa ſunt vel *realiter*, vel *formaliter*, quæ habent negationem ſiſi inuicem, vel realiter, vel formaliter.

Dico II. Diuiſio diſtinctioni ſuperaddit negationem vnionis ſeu coniunctionis. Nam, quæ diſtincta ſunt, etiam actu, vt corpus & anima in homine, non ideo ſunt diuiſa; nec fit diuiſio, niſi vnione deſtructâ. Item,

Dico III. Differentia aut diuerſitas rebus diſtinctis ſuperaddit diſſimilitudinem. Sic Petrus eſt quidem realiter diſtinctus, & propriè diuiſus in naturâ à Paulo, ſed ab eo non differt, aut diuerſus eſt in ipsâ naturâ humanâ.

Notabis tamen, differentiam propriè eſſe tantùm inter ea, quæ in aliquo genere conueniunt, & ſub eo diuerſam habent eſſentiam. Quomodo Equus & Canis differunt ſub Animali: alioquin dicuntur propriè diuerſa, aut primò diuerſa, ſi in aliquo propriè ſumpto genere non conueniunt. Quam ob cauſam Deus & creatura; item ſubſtantia & accidens: omniaque ſuprema genera, vulgò dicuntur inter ſe primò diuerſa, & ſe totis differre, quia ſub nullo propriè dicto genere conueniunt.

DICO IV. Oppoſita ſunt ea, quæ ſpecialem aliquam habent inter ſe repugnantiam: cuiuſmodi ſunt ex Ariſt. Primò, *contraria*, reperiunturque inter formas poſitiuas, quæ ab eodem ſubiecto ſe repellunt, vt Calor & Frigus. 2. *Relatiua*, quæ dicuntur eſſe alterius; vt Pater & Filius; nam Pater eſt Filij Pater: ſicuti è contrà. 3. *Priuatiua*, inter formam & illius carentiam in ſubiecto apto; vt Tenebræ & Lumen in aëre. 4. *Contradictoria*, inter eſſe & non eſſe rei eiuſdem, reſpectu eiuſdem: vt ſi dicatur Petrus eſſe homo & non homo, &c. de quibus in Logicâ. Diſput. 2. c. 6.

NOTANDVMQVE eſt, hæc eſſe ex numero rerum earum, quæ apud Logicos vel ſe inferunt, vel excludunt. Alioquin vocantur illa diſparata, quæ nullam inter ſe habent connexionem, vnde vel ſe inferant, vel deſtruant; vt album & dulce reſpectu Lactis. Quia verò poſtmodum etiam non rarò futura eſt mentio de Priori & Poſteriori; vt habeatur illius notio communis.

DICO V. Varia ſunt genera prioritatis. Primò enim eſt prioritas temporis, quando res aliam tempore antecedit. 2. Eſt prioritas ordinis, quomodo, inquit Ariſt. in Oratione Procemium prius eſt ordine, quàm Narratio. 3. Eſt prioritas dignitatis, quando res alijs dignitate præſtat. 4. Eſt prioritas originis, quomodo in Diuinis principium dicitur prius principiato. 5. Eſt prioritas *maioris vniuerſalitatis*, cùm illud dicitur prius, quod eſt ſuperius; & à quo non valet ſubſiſtendi ſeu exiſtendi conſequentia, etſi valeat è conuerſo ad illud prius. v.g. valet iſta, *eſt homo, ergo eſt animal*; non autem, *eſt animal: ergo eſt homo*. Quæ prioritas non eſt niſi

rationis; neque enim ſecundùm rem poteſt eſſe animal non incluſum in ſuis inferioribus. 6. Eſt prioritas cauſalitatis, ſeu naturæ; diciturque prioritas *ſecundùm rem*, qualis eſt in cauſâ reſpectiuè ad cauſatum, quod conſequenter dicitur *naturâ poſterius*. Quo in caſu, id quod dicitur prius, eſt de ſe independens à poſteriori; non è contrà, vt patet in exemplo Solis, & Luminis quod ab eo producitur; ſic dicit Ariſt. Rem eam, de quâ fit propoſitio, eſſe cauſam veritatis, quæ ineſt propoſitioni; quamobrem, inquit, veritas eſt in rebus, tanquam in cauſâ; quæ proinde prior eſt naturâ, quàm veritas propoſitionis, &c. Porrò, quod ſpectat ad *ſimultatem*;

DICO VI. Simul tempore ſunt ea, inquit Ariſt. quorum generatio eſt in eodem tempore.

NOTANDVMQVE eſt, illam temporis ſimultatem ſtare poſſe cum prioritate naturæ; quomodo Lumen à Sole ſimul inſtanti temporis exiſtit cum Sole ipſo, qui tamen ſimul prior eſt naturâ, quàm lumen. Poſtremò tandem illa dicuntur eſſe ſimul naturâ, quæ inter ſe reciprocantur; ſi modò vnum non ſit cauſa alterius. Sic *animal rationale*, & *homo* ſunt ſimul naturâ, non autem *homo*, & *riſibile*.

CAPVT III.

Diuiſiones Entis in communi.

DICO I. Diuiditur in ens potentiâ, & in ens actu. *Ens potentiâ* eſt illud, quod poteſt

exiſtere in rerum naturâ, adhucque eſt in cauſis; vt Mundus poſſibilis, qui virtualiter continetur in omnipotentiâ Diuinâ. *Ens actu* eſt illud, quod eſt extra cauſas, ſeu productum, & exiſtens in rerum naturâ.

NOTANDVM verò eſt 1. Alias prætereà vulgò aſſignari Entis potentialis, aut actualis rationes. Nam primò, illud dicitur ens potentiale, quod habet in ſe aliquod genus perfectibilitatis, opponiturque actui puro, qualis eſt Deus, qui ob plenitudinem perfectionis infinitæ, nihil habet in ſe perfectibilitatis. 2. Illud dicitur ens in potentiâ, quod poteſt in ſe recipére aliquam formam, quam nondum habet actu; alioqui diceretur eſſe ens in actu. Quare impoſſibile eſt rem aliquam eſſe in potentiâ ſimul & in actu reſpectu eiuſdem: vt lignum reſpectu caloris. Item, illud dicitur *potentia*, quod eſt ſubiectum receptiuum alicuius formæ, aut perfectionis, quæ ſic vulgò appellatur *actus* vel ſubſtantialis, vel accidentalis. Quo loco

NOT. 2. Celebre illud dictum, *non fieri vnum per ſe, niſi ex actu & potentiâ eiuſdem generis*; putà, ex materiâ & formâ ſubſtantiali; aut etiam ex modo ſubſtantiali, cuiuſmodi ſuo loco dicemus eſſe *ſubſiſtentiam*. Hæc enim omnia reducuntur ſaltem ad genus ſubſtantiæ. Alioquin, ex ſubſtantiâ & accidente, non fit niſi vnum per accidens, cuiuſmodi eſt. *Lapis* albus. Nec dicas; calor v. g. qui inhæret quantitati, tanquam actus quidam, non facit cum eâ *ens per ſe vnum*, quamuis ſint illa ſub eodem genere accidentis vt ſic. ℞. Calorem, aut qualitatem aliam non conuenire ſub genere aliquo cum Quantitate, neque vllo modo reduci poſſe ad idem genus cum Quantitate; quo pacto ſubſtan-

tialia reduci poſſunt ad genus ſubſtantiæ.

Dico II. Diuiditur prætereà ens vt ſic, in neceſſarium & contingens. Neceſſarium eſt illud, quod aliter eſſe non poteſt: ſic eſſentia rei cuiuſcunque, quatenus talis eſt, dicitur quid neceſſarium, &c. Contingens autem eſt illud, quod poteſt eſſe aliter. Ita lapidem eſſe album, eſt contingens: ita res creata omnis ſecundùm exiſtentiam eſt contingens: quia pro Dei liberâ voluntate poteſt exiſtere, aut non exiſtere. Sic & effectus ille omnis dicitur contingens, qui à nobis liberè operantibus eſt dependens, quia poteſt eſſe, aut non eſſe, &c.

Dico III. Diuiditur prætereà Ens in naturale & ſupernaturale. Ens naturale vel eſt ſubſtantia vel accidens. Subſtantia naturalis eſt compoſita vel ex materiâ & formâ; vel ex genere & differentiâ, qualis eſt ſubſtantia omnis creata. Accidens autem naturale illud dicitur vulgò, quod eſt rerum naturalium proprium; poteſtque à cauſis naturalibus, ex naturæ communi ordine, produci.

Notandvm verò eſt, Ens ſupernaturale, ſaltem ſubſtantiale, illud dici, quod eſt ſupra ordinem entis creati: quare non debet habere vllam compoſitionem ex actu & potentiâ, & conſequenter debet eſſe actus purus; quod ſoli Deo competit, vt dicetur in Diſp. *De Deo*. Quare ſupernaturalitas omnis creata cadit ſolùm in accidentia; cuiuſmodi accidentia ordinis ſupernaturalis admittenda eſſe habemus ex doctrinâ Eccleſiæ Catholicæ; vbi de Gratia ſanctificante, de habitibus infuſis, qui ſic appellantur, quòd à ſolo Deo produci in nobis poſſint, principaliter ſaltem, &c.

Definitur autem accidens ſupernaturale, quod

ſecundùm ſuam entitatem tantæ eſt perfectionis, vt ſuperet naturalem exigentiam creatæ ſubſtantiæ cuiuſcunque, etiam poſſibilis; nec conſequenter poſſit ab vllo agente ordinis naturalis produci. At

Not. 2. Non dici ens ſupernaturale per ordinem quem ſupponatur habere ad obiectum aliquod ſupernaturale. Nam qualitas Gratiæ ſanctificantis v. g. eſt ſupernaturalis abſque huiuſmodi ordine, quem nullum habet. Item, neque habitus aut actus idcirco etiam dicuntur ſupernaturales; quia circa idem obiectum etiam ſupernaturale, ſiue materiale ſiue formale, poſſunt verſari tam actus naturales, quàm ſupernaturales; quemadmodum intelligere eſt ex ijs, quæ tradidi in Logicâ. *Diſp.* 5. *c. vltim.*, tum in Morali. *Tr.* 1. *Diſp.* 2. *c.* 8. & *Diſp.* 2. *De Animâ Rat. c.* 4. Quâ ratione, ex oppoſito, circa idem obiectum naturale, putà, circa idem hoc Pomum, verſari poteſt viſio corporei oculi, tum actus imaginationis; nec non viſio intellectualis aut humana, aut Angelica, aut Diuina, &c. quæ ſunt viſiones diuerſæ ſpeciei, & generis diuerſi.

Notabis igitur 3. Accidens in ratione ſupernaturalis conſtitui abſolutè per entitatem ſuam, quatenus tantæ eſt perfectionis, vt ſuperet exigentiam naturalem poſſibilis cuiuſcunque ſubſtantiæ; quo pacto, per proportionem, accidens materiale in eſſe materialis abſolutè per entitatem ſuam tale eſt; ſuperaturque in perfectione ab accidente ſpirituali, quod ſimiliter tantæ eſt in ſe perfectionis, vt omne genus accidentium materialium ſuperet: ita enim accidens ſupernaturale eſt in entitate ſublimioris dignitatis ad omne aliud accidens ſpiri-

tuale ordinis naturalis.

Nec dicas, non aliam ob cauſam actus v. g. eſt ſupernaturalis, niſi quia procedit à principio ſupernaturali. R. Sic *effectiuè* poſſe quidem explicari eius ſupernaturalitatem, quatenus non poteſt exiſtere niſi à principio ſupernaturali aliquo, quomodo procedit viſio beatifica, ab intellectu Beati, concurrente lumine beatifico; At illud dici non poſſet v. g. de ipſo lumine Gloriæ, aut de Gratiâ ſanctificante, quæ ab aliâ qualitate ſupernaturali non producuntur, ſed à ſolo Deo; nec *formaliter* eſt ſupernaturalis, niſi ex principijs entitatis ſuæ abſolutè intrinſecis. Quâ ratione, is quidem dicitur homo effectiuè, qui generatur ab homine; verùm idcirco non eſt formaliter homo, quia generatur ab homine; cùm perinde potuiſſet produci per creationem à Deo, &c. nec deſineret eſſe homo; diciturque homo *formaliter* & abſolutè, quia de ſe eſt animal rationale.

Inſt. Actus ſpecificantur ab obiecto; illique dicuntur eſſe eiuſdem ſpeciei, qui ſunt ad eadem ſpecie obiecta tum materialia, tum ſaltem formalia. *Diſt.* Sunt eiuſdem ſpeciei, ſi ſunt eiuſdem generis. *Tr.* At qui ſunt generis diuerſi, neceſſe eſt conſequenter & eſſe diuerſæ ſpeciei, vt patet in viſione oculi corporei, tum intellectus aut humani, aut Angelici, aut Diuini circa idem obiectum, vt iam dixi.

Dico tandem IV. Ens diuiditur in ens Eſſentiæ & Exiſtentiæ; tum in Reale & Rationis; in ens Particulare & Vniuerſale; in ens Subſtantiale & Accidentale: ac denique in decem Categorias; vbi de Abſoluto & Relatiuo; quæ ſingulis Diſputationibus deinceps explicari debent.

DISPVTATIO III.

DE

ENTE ESSENTIÆ

ET EXISTENTIÆ.

CAPVT I.

Quid ſit Eſſentia.

DICO I. Eſſentia eſt illud, per quod res vnaquæque in ſuo *eſſe* conſtituitur; & eſt primum principium proprietatum, quæ in eâ reperiuntur. Quare ſolet etiam appellari à Philoſophis tum *ratio formalis ipſius rei conſtitutiua in ſuo eſſe*; tum *natura*; tum *quidditas*; quia dum quæritur, quid res ſit, reſpondetur illud, quod eſt rei eſſentia; putà, Hominem eſſe *animal rationale*: quæ eſt Hominis definitio. Nam & eſſentia illud quoque ſolet dici, quod explicatur definitione; quomodo & definitio eſt oratio, rei naturam ſeu eſſentiam explicans.

NOTABIS autem 1. Eſſentiam diuidi in eam, quæ eſt actu in rerum naturâ; tum in eam, quæ tantùm eſt potentiâ, ſeu quæ poteſt exiſtere,

nec tamen adhuc exiſtit. Item, alia eſt ſubſtantialis, quæ eſt eſſentia alicuius ſubſtantiæ; alia autem accidentalis, quæ eſt eſſentia alicuius accidentis. Item, eſſentia alia eſt ſubſtantiæ ſpiritualis, putà Angeli, quæ ſimplex eſt entitas; alia verò eſt ſubſtantiæ materialis completæ, vt *hominis*, cuius eſſentia compoſita eſt ex pluribus ſubſtantijs, nempe ex corpore & animâ rationali. Item, eſſentia alia eſt rei naturalis, vt Hominis, Lapidis, &c. alia eſt rei artificiatæ, vt Quadrati, Circuli, Syllogiſmi; &c. quorum eſſentia eſt conſtare ex tali, aut tali partium diſpoſitione. Item, alia eſt rei per accidens, vt Cumuli, &c. Item, alia eſt rei poſitiuæ & realis; alia rei negatiuæ, vt, dum explicatur eſſentia cæcitatis, &c. At

NOT. 2. Eſſentiam v. g. hominis, modò ſumi Phyſicè, vt cùm dicitur eſſe ſubſtantia conſtans ex corpore & animâ rationali; modò autem ſumitur Metaphyſicè, ſeu more Metaphyſicorum, vt cùm aiunt eſſe *animal rationale*, nempe quòd Anima rationalis vnita corpori, ſic conſtituat Animal rationale. Et in eiuſmodi quidem eſſentiâ plures conſiderari poſſunt perfectiones, vt eſſe corpus, viuens, animal, rationale; quæ perfectiones dicuntur eſſentiales, quia ſunt veluti partes eſſentiæ illius. Item,

NOT. 3. Illas perfectiones vocari etiam *gradus eſſentiales*, quia per quoſdam quaſi gradus diſponuntur in Arbore Porphyrianâ, prout aliæ ab alijs ſuperantur in vniuerſalitate, ſeu quatenus aliæ ſunt pluribus communes; quemadmodum contemplari licet in Schemate ad finem huius capitis appoſito. Atque in illo quidem Schemate

NOT. 4. Superiores gradus, qui generici

appellantur, ex noſtro concipiendi modo, contrahi ad inferiores, per certas *differentias*, quarum vltima inter eſſentiales vocatur *ſpecifica*, & conſtituit *ſpeciem infimam*; quomodo *rationale*, iuxta noſtrum intelligendi modum, animal quaſi diuidit, contrahitque ad hominem, quem ita cum animali conſtituit. Præterea verò, cùm natura ſpecifica, putà homo, intelligatur adhuc eſſe communicabilis inferioribus, id eſt, infra poſitis in illâ ſerie Porphyrianâ; ideo dicitur ad illa etiam contrahi per differentiam *indiuidualem*, quam in communi vocant *hæcceitatem*; in Petro *Petreitatem*; in Paulo *Pauleitatem*; & ſic de alijs. At Petrus quidem & Paulus ſic appellantur Indiuidua, ex eo quòd in alia inferiora diuidi ampliùs nequeant; ſuntque hic, & hic homo: deſinuntque eſſe homo in communi.

Dico autem II. Contra nonnullos Thomiſtas, Indiuiduum vt ſic conſtitui in ratione *indiuidui* abſtrahendo ab exiſtentiâ. *Prob.* Quia concipitur hic homo, ſeu indiuiduum naturæ humanæ, putà Antichriſtus, etſi non concipiatur exiſtens. Item, ſupponitur natura aliqua eſſe indiuidua, vt intelligatur eſſe ſubiectum receptiuum exiſtentiæ illius, cuiuſmodi ſupponunt Thomiſtæ: ergo exiſtentia illam non conſtituit in ratione indiuidui, ſed tantùm in eſſe exiſtentis actu extra cauſas. Item,

Dico etiam III. Res de ſe, &, quemadmodum aiunt, à priori indiuiduatur per ſuam ipſammet entitatem, quatenus eſt hæc numero entitas, cum quadam differentiâ, quam idcirco vocant *indiuidualem*: nec conſequenter indiuiduatur aut per quantitatem, aut per *materiam ſignatam*, id eſt affectam quantitate, tanquam

ſigno quodam ſui manifeſtatiuo. Eſt contra Thomiſtas, qui volunt materiam ſic eſſe principium indiuiduationis omnis, vnde res indiuiduo differant. Quamobrem conſequenter negant Angelos poſſe inter ſe differre indiuiduo; aut plures eſſe ſub eâdem ſpecie indiuiduo ſolùm differentes, cùm ſint ſubſtantiæ immateriales. Probatur noſtra Aſſertio, quia fruſtra ſunt illa ſuperaddita, ad explicandam ſubſtantiæ alicuius indiuiduationem. Neque vllo rationis fundamento nititur doctrina Thomiſtica oppoſita. *Conf.* Quia ſequeretur idem numero eſſe indiuiduum, quando manet eadem numero materia; vti contingit in diuerſis compoſitis ſubſtantialibus, quæ ſucceſſiuè generantur ex eadem materiâ primâ: atqui abſurdum eſt iſtud; & quanuis reſpondeant tunc non remanere ſaltem eandem numero Quantitatem, quam volunt emanare à nouâ Formâ ſubſtantiali; neque idcirco remanere idem indiuiduum; non ſoluunt difficultatem; quia diuinitùs ſaltem poſſet eadem materia prima, ſub eadem quantitate vniri ſucceſſiuè cum diuerſis formis ſubſtantialibus etiam diuerſæ ſpeciei; nec tamen ſic conſtituerentur diuerſa indiuidua; quòd haberent eandem numero *materiam ſignatam*, tanquam idem numero principium indiuiduationis: atqui ſequela illa falſa eſt; ergo, &c. Item ſequeretur hoc compoſitum ſubſtantiale non remanere idem numero indiuiduum ſubſtantiale, ſi deſtrueretur omnis ipſius quantitas, aut ſaltem mutaretur; quod eſt abſurdum; cùm etiam ſubſtantia ſecundùm ſe totam ſupponatur eſſe hæc numero ſubſtantia ante omnem quantitatem. Certè detractâ ſenſibili quantitate Corporis Chriſti

in Euchariſtiâ, iſtud non impedit, quominùs dicatur hoc eſſe idem numero Corpus Chriſti Domini.

Obijc. Non poteſt à nobis hic numero Angelus diſtingui ab alio, defectu ſolius materiæ ſignatæ, ſeu quantæ: ergo illa eſt principium diſtinctionis numericæ, ſeu indiuiduæ. ℞. Non poſſe quidem ſic diſtingui ſenſibiliter, & quoad nos: quia dignoſcimus tantùm materialia. C. Poteſt tamen quoad ſe & abſolutè; atque ita poſſunt ipſi Angeli vnum diſtinguere ab alio, &c.

Inſt. 1. Ex Ariſt. diuerſas eſſe tantùm Intelligentias motrices per ordinem ad diuerſos Cœlos quos mouent. ℞. Quia exiſtimauit illas fuiſſe tantùm propter motum Cœlorum, nec proinde plures eſſe debuiſſe.

Inſt. Ideo Petrus eſt hoc numero indiuiduum, quia hanc numero habet materiam; ergo vnitas & differentia indiuidualis petitur ab vnitate materiæ. ℞. In materialibus indiuiduationem peti quidem ab vnitate materiæ, ſed petitur etiam ab vnitate formæ. Quia Petrus idcirco dicitur eſſe hoc numero indiuiduum, quòd ſit hoc compoſitum ex hac materiâ, & ex hac formâ. Quemadmodum à pari per proportionem Michaël Angelus dicitur eſſe hoc numero indiuiduum, quia eſt hæc numero ſubſtantia immaterialis. Item præterea,

Dico IV. Accidens non indiuiduari per ſubiectum cui inhæret. Nam ſi de ſe eſt ens diſtinctum ab entitate ſubiecti, vt qualitas & quantitas, non poteſt per illius ſubiecti entitatem indiuiduari. *Prob.* Quia in ſe intrinſecè includit gradus communes, quibus, ſecundùm eſſentiam conſtituitur; nec ab ijs diſtinguitur

realiter differentia indiuidualis, per quam ſupponimus eos contrahi ad hoc indiuiduum. Et verò, poteſt creari à Deo accidens aliquod indiuiduum extra omne ſubiectum. Item, poteſt & Diuinitùs tranſire de ſubiecto in ſubiectum, ſeruando ſemper eandem indiuiduationem: ergo illam non petit à ſuo ſubiecto. Quanquam

NOTABIS exiſtere plures modos tum ſubſtantiales, tum accidentales, qui non indiuiduantur niſi cum ordine eſſentiali ad ſubiectum quod formaliter modificant. *Prob.* Quia ex naturâ ſuâ ſunt actuales determinationes *huius* vel in *hoc*, vel ad *hoc*; ergo non poſſunt exiſtere niſi aliud actuando cum eiuſmodi determinatione: vt dicetur poſteà de *modo eſſendi*.


NOTABIS igitur 2. Ex dictis, rem nullam indiuiduari niſi per ſuam entitatem, ratione differentiæ indiuidualis, ipſi identificatæ, quæ ſit principium formale illius indiuiduationis. Vt enim genus contrahitur ad ſpeciem per differentiam ſpecificam, aliquod genus actualitatis illi ſuperaddentem; ita & datur aliqua differentia indiuidualis ſpeciem contrahens ad indiuiduum, aliquid ſimiliter actualitatis illi ſuperaddens; item, & ratione illius differentiæ indiuidualis indiuidua eiuſdem ſpeciei inter ſe differunt, habentque ſingula certas proprietates, aut accidentia alijs indiuiduis non communia. Item conſequenter;

NOT. 3. Differentiam illam numericam non rectè appellari ſolùm *materialem*, cùm etiam per illam indiuidua formaliter inter ſe differant ſub gradu ſpecifico.

Hîc ſubiungenda eſt Arbor Porphyrij.

ARBOR PORPHYRII

Linea directa



CAPVT II.

De diſtinctione graduum eſſentialium.

DIco I. Gradus eſſentiales in diuerſis indiuiduis non ſunt idem realiter. *Prob.* Quia Animalitas, quæ eſt in Equo, eſt diſtincta realiter à Rationalitate, quæ eſt in Homine: vt per ſe paret. Item,

Dico II. Gradus eſſentiales in eodem indiuiduo diſtinctionem habent inter ſe, virtualem ſaltem, & formalem. *Prob.* Quia ſic gradus animalitatis ac rationalitatis habent diuerſos conceptus formales, & varias definitiones: item reſpiciunt ſeſe veluti actus & potentia quædam, ſeu tanquam perfectiuum & perfectibile quoddam: item, dicuntur de illis contradictoria; vt ſuperiori capite aiebam: ergo diſtinguuntur inter ſe virtualiter ſaltem & formaliter, aut ratione ratiocinatâ, &c. Vide capite 1. ſuperioris Diſputationis, quemadmodum etiam appellentur iſtæ *præciſiones obiectiuæ*. At

Dico III. In eodem indiuiduo nullam inter ſe habent diſtinctionem realem, ſeu tanquam rei à re. *Prob.* Quia multiplicarentur illæ realitates ſine ſufficienti rationis fundamento; vt patebit ex ſolutione obiectionum. Et verò, ſi propter connotata, aut propter diuerſos effectus induceretur diſtinctio eiuſmodi, pari modo deberent diſtingui in Luce vis illuminandi, calefaciendi, exſiccandi, &c. Item, in homine debe-rent eſſe tres Animæ realiter diſtinctæ; nempe vegetatiua, ſenſitiua & rationalis: quod falſum

eſt. *Conſ.* Quia ſi diſtinguerentur realiter, poſſent diuinitùs ſaltem ſeparari ab inuicem; & ſic poſſet in homine eſſe rationalitas ſine animalitate, ac proinde foret homo & non animal. Et ſic de alijs; quæ per ſe abſurda ſunt, & impoſſibilia.

Obijc. 1. Illi gradus diſtinguuntur inter ſe eſſentialiter. *C.* Ergo ſunt diſtinctæ eſſentiæ reales. *C.* Ergo diſtinguuntur realiter. *N. Conſ.*

Inſt. 1. Diſtinctæ eſſentiæ reales ſunt diſtinctæ realitates, ſeu diſtincta entia. *Nego.* Sunt plura entia: ergo diſtincta, *Neg. Ant. & Conſ.*

Inſt. 2. Sunt ens & ens. *Prob.* Animalitas Petri eſt ens; item, & Rationalitas quoque ipſius eſt ens, ergo ſunt ens & ens. *Diſt.* Propriâ entitate. *N.* Entitate communi totius eſſentiæ. *C.* Vnde ſunt tantùm idem ens ſic virtualiter multiplex.

Inſt. 3. Sunt diuerſa intelligibilia realia, quæ ſingula propriam habent intelligibilitatem realem; nam propriam habent definitionem. *C.* Ergo propriam entitatem, *N. Conſ.*

Inſt. 4. Dicunt mutuam ſui negationem; nam Animalitas non eſt Rationalitas; aut è contrà. *Diſt. Ant.* Dicunt mutuam ſui negationem, tanquam entium diſtinctorum. *N.* Tanquam formalitatum diſtinctarum. *C.* Ergo non ſunt idem. *Diſt.* Formaliter. *C.* Realiter, *N.*

Inſt. 5. Sunt genus & differentia. *C.* Ergo non ſunt idem etiam realiter. *Prob.* Quia perfectiuum & perfectibile nont ſunt idem realiter; atqui genus & differentia ita ſe habent, ſicque in compoſitionem ſimul veniunt. Ergo.

℞. Eſſe tantùm perfectiuum & perfectibile ſecundùm rationem: & venire in compoſitionem tantùm ſecundùm rationem, ſeu iuxta noſtrum cognoſcendi modum, non autem ſecundum rem; vnde nihil ſequitur contra theſim.

Inſt. 6. Sic genus includeret ſuam differentiam, idemque eſſet cum illâ. *Diſt.* Entitatiuè, *C.* Formaliter, *N.*

Inſt. 7. Ergo ſic animalitas eſſet tota entitas eſſentiæ humanæ; & pariter rationalitas. *Diſt.* Tota entitatiuè, *C.* Tota formaliter, *N.* Non enim animalitas eſt formaliter rationalitas.

Inſt. 8. Sequeretur idem realiter ſecundùm totam ſuam entitatem ſimul conuenire cum alio, & ab eo differre, vt Hominem ab Equo. ℞. Ita conuenire ſimul & differre ſecundùm diuerſas formalitates.

Obijc. 2. Si gradus illi ſunt eadem indiuiſibiliter entitas, non poſſet vnus cognoſci, quin ſimul cognoſcerentur & alij; quemadmodum vnus produci non poteſt, quin producantur & alij; cùm idem ſint. *N. parit.* Quia actio productiua ipſam attingit entitatem, non præſcindendo ipſius formalitates: at cognitio poteſt illas ab inuicem præſcindere, & attingere vnam ſine aliâ.

Inſt. Sequeretur eandem ac totam indiuiſibiliter entitatem cognoſci, quatenus cognoſcitur animalitas in homine; & totam ſimul non cognoſci, quatenus non cognoſceretur rationalitas. ℞. Sic cognoſci quidem illud, quod eſt realiter tota entitas, ſed non idcirco eſſe illam totius adæquatam cognitionem, ſed tantùm inadæquatam, quia totum hoc pacto non

cognoſcitur, niſi ſecundùm aliquam ſui formalitatem, ſeu virtualitatem.

NOTANDVM verò ad finem huius capitis, differentiam indiuidualem perinde eſſe virtualiter diſtinctam ab alijs eſſentiæ gradibus, quos, ex noſtro intelligendi modo, contrahit; ſimulque eſſe idem realiter cum illis; nam & hòc modo pertinet ad rei eſſentiam; quanuis Philoſophi nomine *eſſentiæ* rectè comprehendunt ſolùm gradus communes, qui ſolùm cadunt ſub noſtram Scientiam; & à quibus manant proprietates communes.

CAPVT III.

Quomodo rerum eſſentiæ dicantur eſſe ab æterno.

RERVM eſſentias & naturas vniuerſales exiſtere ab æterno arbitratus eſt Plato, vti quidem fert communis opinio, iuxta ea, quæ leguntur in Ariſt. Eas autem appellabat Ideas, quòd ijs, quaſi exemplaribus quibuſdam intentus Deus, naturas particulares procrearet. Item, exiſtimabat illas naturas ſeu eſſentias eſſe incorporeas, ingenerabiles, incorruptibiles. Et ab eâ quidem ſententiâ erat alienus Ariſtoteles, quatenus negabat naturas huiuſmodi eſſe extra indiuidua, ſed tamen illas putauit exiſtere ab æterno in indiuiduis aliquibus multiplicatas, tum in ijs ſubinde propagari, &c. At

DICO I. Rerum eſſentiæ, quocunque modo ſumantur, ſiue vniuerſales, ſiue particulares,

non ſunt actu ab æterno : vel ſi lubet, ſunt purum nihil actu ab æterno. Contraria ſententia erronea eſt. *Prob.* Quia nihil habet *eſſe* extra Deum, niſi productum à Deo; nihil autem eſt productum ſeu creatum à Deo ab æterno, vti Fides docet. Et verò etiam demonſtratur in Phyſicâ nihil creari poſſe ab æterno; vnde certum eſt nihil habere *eſſe* actu extra Deum ab æterno. Quanquam

Dico II. Non ſunt purum nihil ab æterno. *Prob.* Quia quod eſt ens potentiâ, eſt reale; nam ens reale, vt ſic, diuidi ſolet in ens potentiâ, & in ens actu; atqui ſunt ens potentiâ ab æterno : ens enim illud dicitur ens *potentiâ*, quod eſt realiter producibile, ſeu quod habet realem producibilitatem : atqui quod habet realem producibilitatem, debet eſſe ens reale; alioqui quod eſt ſimpliciter non ens, non poteſt realiter produci. *Conf.* 1. Eſſentiæ illæ rerum ab æterno, ſunt ſaltem ens in Deo, quatenus exiſtunt virtualiter in Deo; vt habetur in *Diſp. de Deo.* iuxta doctrinam in Phyſicâ Vniuerſali traditam, *Parte* 1. *Tract.* 2. *Diſp.* 1. *c.* 2. Ergo non ſunt purum nihil ab æterno. *Conf.* 2. Quia eſſentia v. g. Petri, præciſâ omni exiſtentiâ actuali ab æterno, plus habet realitatis quàm Chimera. Item, ſic ens poſſibile opponitur contradictoriè impoſſibili; id eſt, purè non enti; ergo eſt aliquod ens : quod enim contradictoriè opponitur non enti, illud debet eſſe ens.

Notandumque eſt, hoc pacto, propoſitiones, quæ vulgò dicuntur ſempiternæ veritatis, eſſe de obiecto reali, abſtrahendo ab illius exiſtentiâ. Sicque ab æterno verum eſt, hominem v.g. eſſe animal rationale; videtque idcirco

Deus, ab æterno, talem eſſe naturam hominis, & neceſſariam eſſe connexionem inter hominem & animal rationale, tanquam eſſentiale ipſius hominis conſtitutiuum.

Obijc. Eſſentiæ rerum ab æterno non opponuntur nihilo: ergo ſunt purum nihil. *Prob. Ant.* Quia non exiſtunt; ergo non opponuntur nihilo. ℞. Sic ſaltem opponuntur nihilo potentiâ, quanuis non opponantur nihilo actu.

Inſt. 1. Si non ſunt purum nihil, ſunt aliquo modo ens, habentque aliquo modo *eſſe* ſaltem eſſentiæ. *Diſt.* Habent *eſſe* illud potentiâ, *C.* actu, *N.*

Inſt. 2. Quicquid habet *eſſe* aliquo modo, vel illud eſt creatum, vel increatum: item, vel dependens, vel independens; neutrum autem conuenit eſſentiæ Petri ab æterno. *Diſt. Ma.* Quicquid habet *eſſe* actu. *C.* Eſſe potentiâ. *N.* Nam ens potentiâ non eſt aut creatum, aut increatum, ſed tantùm creabile, nec eſt dependens niſi potentiâ.

Inſt. 3. Nihil eſt ens ab æterno, quod non ſit Deus. *Diſt.* Nihil actu, *C.* potentiâ, *N.*

Inſt. 4. Illud ens potentiâ contineretur in Deo virtualiter ſaltem, vt ſupra monui. *C.* Ergo eſſet Deus, quia quicquid eſt in Deo, eſt Deus. *Diſt.* Secundùm illud eſſe virtuale quod habent actu in Deo. *C.* Secundùm id quod eſt potentiâ: *N.* Nam eſt ens creabile; atqui ens creabile non eſt Deus.

DICO III. Rerum eſſentiæ non ſunt improducibiles, ſeu ingenerabiles, aut incorruptibiles; quod erat Platonicorum figmentum. *Prob.* Quia Petrus fit liberè à Deo, & ab eo dependet, non tantùm ſecundùm *eſſe* exiſtentiæ, vt volunt, ſed etiam ſecundùm *eſſe* eſſentiæ: nam

corpus & anima, tum vnio corporis & animæ in Petro ſit à Deo; poteſtque annihilari: ergo, &c. Item, Petrus, tam ſecundùm entitatem eſſentiæ eſt creatura, & dependens à Deo, quàm ſecundùm exiſtentiam: nec verum eſt, quòd effectiuè habeat tantùm à Deo *eſſe* exiſtentiæ, non autem *eſſe* eſſentiæ, &c. Ita quando fit à me Triangulus, ille à me producitur tam ſecundùm id quod illi eſt eſſentiale, quàm ſecundùm exiſtentiam. Quare.

Dico IV. Illæ rerum ſiue naturalium, ſiue artificialium eſſentiæ non ſunt entia *neceſſaria*, niſi quatenus talia ſunt; ſeu quatenus habent talem attributorum eſſentialium connexionem; eo ſenſu, quòd non poſſit eſſe v. g. Homo, qui non ſit animal rationale; aut non poſſit eſſe Syllogiſmus, qui non conſtet tribus propoſitionibus, &c. Neque illa dicuntur entia contingentia, niſi in fieri, & ſecundùm exiſtentiam. Solus enim Deus eſt ens neceſſarium, tam *neceſſitate eſſentiæ*, quàm *neceſſitate exiſtentiæ*.

Notabis igitur, quo ſenſu, rerum eſſentiæ dicantur *neceſſaria* & *immutabiles*, nempe quia impoſſibile eſt illas ſecundùm ſe eſſe aliter quoad prædicata eſſentialia: v. g. Impoſſibile eſt Hominem ſecundùm eſſentiam non eſſe animal rationale; Triangulum non conſtare ex tribus lateribus, &c. Item,

Not. 2. Dici quoque eſſentias *indiuiſibiles*; eo ſenſu, quòd ab indiuiduis non participentur inæqualiter, ſeu ſecundùm magis & minùs. Quamobrem Petrus v. g. non eſt magis homo, quàm alter homo; nec calor vnus eſt magis calor, quàm alter calor, &c. Sicque ait Ariſt. 8. Met. c. 3. eſſentias eſſe numeris ſimiles, quòd perinde non recipiant magis aut minùs: quâ

ratione Binarium vnum non eſt magis Binatium, quàm aliud Binarium, &c.

Obijc. Datur calidum, magis calidum quàm aliud: ergo calor recipit magis & minùs. Item & quantitas alia eſt maior, alia minor, &c. *Dist.* Recipiunt illa magis & minùs vel ſecundùm intenſionem graduum, vel ſecundùm extenſionem partium. C. Secundùm eſſentiam. N. Quâ ratione vnus calor non eſt magis calor, quàm alius calor; etſi dicatur perfectior calor, &c.

****

CAPVT IV.

De Ente exiſtentiæ.

QVOD alijs dicitur ens eſſentiæ, aut exiſtentiæ, alij vocant ens aut *nominaliter*, aut *participialiter*. Nam vox illa *ens*, vt nomen eſt, ſignificat eſſentiam; vt participium à verbo *ſum*, ſignificat eſſentiæ ipſius exiſtentiam: quam exiſtentiam ſolent Thomiſtæ appellare τὸ *eſſe*; & actum eſſendi, aut exiſtendi.

Hîc itaque ſupponitur duplex Eſſentiæ, ſeu Naturæ ſtatus; alter quidem *poſſibilitatis*, cùm ſcilicet nondum eſt extra cauſas; alter verò *actualitatis* ſeu *actualis exiſtentiæ*, quando producta eſt, & in rerum naturâ exiſtit. Sic Petrus, cùm anteà eſſet non ens actu, vbi per Diuinam omnipotentiam tranſiit ab illo non *eſſe* ſui ad *eſſe* ſui, tum fit *exiſtens*: hæcque denominatio oritur à modo, vel à formâ illius ſtatus formaliter conſtitutiuâ, quam *exiſtentiam* appellant. Item,

Supponimus 2. Illam exiſtentiam eſſe aliquid ſaltem ratione diſtinctum ab eſſentiâ, ſeu ab eâ re, quæ de nouo ponitur extra cauſas.

Prob.

Prob. Quia vt habet Ariſt. 2. *Poſt. Anal.* c. 7. aliud eſt *homo*, & *hominem eſſe*, ſeu *exiſtere*; concipiturque hominis eſſentia, abſtrahendo ab eius exiſtentiâ; nec pauca dicuntur de eſſentiâ, quæ non conueniunt exiſtentiæ. At celebris quæſtio eſt, num exiſtentia illa in creatis, ſit aliquid diſtinctum realiter ab eſſentiâ. Quo quidem loco ſermo eſt de eſſentiâ actuali: nam alioqui ſi ſermo foret de eſſentiâ tantùm poſſibili, diceretur diſtingui realiter negatiuè, id eſt, tanquam ens à non ente. His autem ſuppoſitis;

PRIMA SENTENTIA EST, Exiſtentiam rei creatæ aliud nihil eſſe, quàm ipſam eſſentiæ entitatem, provt eſt extra cauſas per actionem ipſius productiuam. Hoc enim ipſo præcisè, quo res producitur & conſeruatur, non poteſt non eſſe exiſtens, etiam remotâ quacunque formâ, ſeu modo exiſtentiæ realiter ſuperaddito: nam terminus actionis productiuæ eſt aliquid productum, nempe aliquid quod ponitur in rerum naturâ, cùm anteà eſſet tantùm poteſtate, & ſimpliciter non ens actu. Et verò, effectus productus, per ſui productionem à causâ acciperet non ſolùm exiſtentiæ illius modum ſuperadditum, ſed & potiori iure ipſam entitatem eſſentiæ; accipit enim à causâ totum illud quod eſt à parte rei. Hoc autem ipſo, quod producitur entitas eſſentiæ, non poteſt non eſſe exiſtens: ergo fruſtra eſt exiſtentia diſtincta realiter. Quinetiam intelligi non poteſt, quomodo eſſentia, provt contradiſtinguitur ab exiſtentiâ, tranſeat de non eſſe ſui, fiatque ens actu, & accipiat entitatem actualem ex ſolâ vnione ad rem aliam realiter diſtinctam. Nam repugnat entitatem, in *eſſe* entitatis

conſtitui per alienam eamque à ſe contradiſtinctam entitatem; quo pacto, actus omnis contradiſtinguitur à potentiâ cuius eſt actus. Item, ad formam, ſeu actum eiuſmodi, præſupponitur aliquis terminus actionis productiuæ, per quam eſſentia v. g. hominis intelligatur creari, id eſt poni extra cauſas ex nihilo ſui, qui terminus non poteſt eſſe alius quàm ipſa eſſentia, quæ proinde vi productionis illius accipiat eam entitatem, per quam conſtituitur in *eſſe* entis. Ergo non illam accipit ex coniunctione alicuius actualitatis, qualem ſupponunt eſſe exiſtentiam. *Conf.* Quia fateri ſaltem debent ipſam exiſtentiæ entitatem ſeipsâ eſſe productam extra cauſas, abſque vllo modo exiſtentiæ ſibi ſuperaddito, ne fiat proceſſus in infinitum: ergo idem à pari debent concedere de rei cuiuſcunque eſſentiâ productâ. Omitto alia huius ſententiæ argumenta, quia ſolent ab Aduerſarijs eludi.

SECVNDA SENTENTIA EST, Thomiſtarum, qui acerrimè diſputant pro illius exiſtentiæ diſtinctione reali; iſtudque ſic probant. Cùm Deus videt v. g. Petrum adhuc poſſibilem; in eo non videt exiſtentiam coniunctam cum eſſentiâ: alioqui videret illum exiſtentem: quod repugnat pro ſtatu poſſibilitatis. Ergo videt eſſentiam non eſſe identificatam realiter cum exiſtentiâ: ergo eſt quid diſtinctum realiter ab exiſtentiâ. Quia res eo modo ſunt in ſe, quo cognoſcuntur à Deo: ſiquidem cognitio diuina, vt pote perfectiſſima, non poteſt res attingere alio modo quàm in ſe ſint. ℞. Petrum in ſtatu poſſibilitatis videri in ſe tanquam non ens actu, & adhuc intra cauſas, videri autem in ſtatu actualitatis tanquam ens reale productum

in rerum naturâ; ſicque à ſe vt poſſibili, differt realiter negatiuè, id eſt, tanquam ens à nō Ente.

Inſt. 1. Eſſentia de ſe, & antequam exiſtat, dicitur eſſe in potentiâ reali ad recipiendam, aut non recipiendam in ſe exiſtentiam: ergo illa exiſtentia eſt quid ab ipſâ realiter diſtinctū, nihil enim eſt in potentiâ ad ſeipſum, vel ad recipiendum ſeipſum. *Reſpondent alij.* Eſſentiam, putà Petri humanitatem, antequam exiſtat, non eſſe in reali potentiâ ad exiſtentiam, aut de ſe indifferentem ad exiſtendum aut non exiſtendum, niſi eo ſenſu, quòd de ſe non implicet contradictionem, vt exiſtat, contineaturque virtualiter in Diuinâ omnipotentiâ; & poſſit, pro Dei Libero Arbitrio, vel produci, vel non produci; ac proinde ſic fieri aut non fieri exiſtens in rerum naturâ.

Inſt. 2. Illa exiſtentia eſt tanquam actus eſſentiæ perfectiuus: atqui omnis actus realiter diſtinguitur à potentiâ. *Diſt.* In phyſicis. *Tr.* At in Metaphyſicis, illa plerumque non ſunt actus & potentia, ſeu perfectiuum & perfectibile, niſi ſecundùm rationem; non autem ſecundùm rem. *At Reſpondent prætereà*, exiſtentiam ne eſſe quidem tanquam actum, aut formalitatem aliquam Metaphyſicam, aut diſtinguī vllo modo ex parte obiecti, quæ diſtinctio eſt *rationis ratiocinatæ.* Nam, vt aiunt, ſufficit diſtinctio *rationis ratiocinantis*, ex parte modī cognoſcendi, quatenus nimirum eſſentia concipitur non tantùm ſecundùm ſe præcisè, ſeu ſecundùm attributa eſſentialia; ſed potiùs vt poſita extra cauſas, &c.

Inſt. 3. Eſſentia creata proinde eſſet ſuum *eſſe*; id eſt, perinde haberet identificatam ſibi exiſtentiam, ac eſſentia increata; cùm tamen

ſolus Deus idcirco poſſit dicere. *Ego ſum qui ſum.* Exod. 5. *Reſpondent*, creaturam eſſe quoque ſuum *eſſe*, ſed alio modo quàm Deus, qui eſt ſuum *eſſe* vi naturæ ſuæ, ſeu per eſſentiam & neceſſariò. Creatura autem vi naturæ ſuæ non exiſtit niſi contingenter, & per dependentiam à Libero Dei Arbitrio, ſeu per efficientiam eius liberam.

Inſt. 4. Tam creatura ſecundùm illud *eſſe* exiſtentiæ, foret ens ſimplex ac Deus; id eſt, eam foret ſinè compoſitione actus & potentiæ; cùm tamen ens creatum deficiat in omni genere à ſimplicitate entis increati, & dicatur creata exiſtentia iungi cum ipſius rei creatæ eſſentiâ. *Reſpondent*, Eo tantùm ſenſu rei creatæ eſſentiam iungi & componi cum exiſtentiâ, quatenus per ſui productionem & conſeruationem ſit exiſtens. Quod non cadit in Diuinam exiſtentiam; cùm ſit naturæ improducibilis, &c.

Inſt. 5. Sic creatura, perinde ac Deus, diceretur habere *eſſe* irreceptum; quatenus exiſtentia non reciperetur in eius eſſentiâ, tanquam in ſubiecto; ac proindè, inquiunt, eſſet actus perfectionis illimitatæ: quia ſupponunt limitationem formæ omnis peti ab ſubiecto in quo recipitur. *Reſpondent* 1. Limitationem formæ non oriri à ſubiecto ſolo; quandoquidem accidentia Euchariſtica extra omne ſubiectum poſita, non deſinunt eſſe limitatæ ac perfectæ perfectionis. Et verò etiam ex eorum principijs ſequeretur eſſentiam rei creatæ in ſubiecto non receptæ, puta Angelicam ſubſtantiam, ex eo fieri infinitam. Cùm è contrà, eſſentia creaturæ omnis ex eo dicatur limitata & finita, quòd certos duntaxat perfectionis gradus in ſe contineat, neque à causâ ſui productiuâ ſub-

maiori perfectione producatur. *Reſpondent* 2. Creaturam habere quidem *eſſe* receptum in ſe; non tamen ſubiectiuè, veluti formam aut actum aliquem in ſubiecto; ſed potius *terminatiuè*, ſeu tanquam ens productum ab alio.

Inſt. 6. Si eſſentia idem eſt realiter ac ſua exiſtentia, illam non poterit amittere; & ſic dicetur eſſe incorruptibilis. *Reſpondent*. Hoc ipſo corrumpi eſſentiam creatam, quòd deſinat conſeruari à Deo in rerum naturâ: quomodo & tunc dicitur fieri exiſtens, cum producitur.

Obijc. 2. Eſſentia rei, etiam creatæ, vulgò dicitur eſſe quid neceſſarium, independens, improducibile, æternum; &c. exiſtentia autem quid contingens, &c. *Reſpondent*. Eſſentiam rei creatæ verè & propriè eſſe producibilem contra Platonicos, vt ſuprà oſtendi; nec eſſe æternã, aut neceſſariam, niſi ſecundùm connexionem attributorum eſſentialium: eſſe autem contingentem, eo ſenſu, quòd pro Dei Libero Arbitrio poſſit produci, aut producta deſtrui.

Alij è Thomiſtis aliam probandæ huius diſtinctionis viam ineunt: nempe, iuxta communiorem doctrinam, quàm etiam ſequuntur ex recentioribus complures celeberrimi, ſupponunt Subſiſtentiam in Subſtantiâ creatâ eſſe modum realiter ab eâ diſtinctum. Item, ſupponunt ſubſiſtentiam eiuſmodi eſſe idem prorſus cum exiſtentiâ ſubſtantiali, ſeu exiſtentiâ per ſe; ac proinde ſic eſſe diſtinctam ab eſſentiâ. Quamobrem Capreolus, multique inſignes Thomiſtæ docent Sacroſanctam Chriſti Domini Humanitatem non exiſtere, niſi per exiſtentiam relatiuam, vt aiunt, Verbi Diuini. *Reſpondent* ex Suario, non poſſe intelligi, quomodo res poſſit formaliter exiſtere per alienam entita-

tem, putà, Chriſti Domini Humanitatem per Diuinam exiſtentiam; cùm tamen verè ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi Diuini; ac proinde diuerſam eſſe rationem ſubſiſtentiæ, & illius exiſtentiæ. Quod fuſiùs exponam iterum, *Diſp.* 6. *cap.* 3. *Aſſer.* 6. Quare cùm rationes Thomiſtarum nihil euincant.

DICO I. Standum eſſe in priori ſententiâ. Quia non ſunt multiplicanda entia extra neceſſitatem, &c. Cùm autem nemo diſſimulare debeat, quin apud S. Doctorem frequens ſit ſermo de *modo eſſendi* ſeu *exiſtendi*; vt ab ipſo quoad fieri poteſt non recedamus, ſeruatâ communi ſententiâ.

DICO II. Nullam de facto rem creatam exiſtere ſine Modo eſſendi aliquo realiter ſuperaddito. Cui quidem Aſſertioni, præter Nominales, nemo ferè eſt qui repugnet; quacunque tandem ratione Modus ille adſtruatur: vt nihil dicam de Thomiſtis, qui tantoperè pro exiſtentiâ formaliter ſumptâ dimicant. Nam recentiores illis hac in parte contrarij, cum Suario, Vaſquezio, Card. de Lugo, alijſque innumerabilibus, docent nihilominus admitti omnino debere modum aliquem entitatiuum, vnde ſaltem multiplex indifferentiæ genus tollatur ſubinde in creaturâ. Ita, inquiunt, ſubſtantia creata opus habet modo ſubſtantiali, quo determinetur, vt, vel in ſe ſubſiſtat, vel in alio; qualis eſt in Chriſti Domini Sacroſanctâ humanitate, quem ideo appellant *modum vnionis hypoſtaticæ*. Sic materia prima, ex proprio quodam eſſendi modo, habet vt connaturaliter non exiſtat niſi ſub aliquâ formâ ſubſtantiali; ſic Forma ipſa ſubſtantialis, per modum eſſendi aliquem illi ſuperadditum, determinari

debet, vt hanc numero Materiam informet. Quo pacto, per proportionem, & omnis forma accidentalis modum quoque habet ſibi proprium, quo determinatur ad inhærendum huic ſubiecto; aut per quem extra omne ſubiectum ſupernaturaliter exiſtat. Item, & ex diuerſo id genus eſſendi modo habet idem ſpecie accidens, vt in ſubiectis diuerſis, diuerſos, & diuersā ratione, attingat effectus naturales; Quò reuocatur commune illud dictum *modus agendi ſequitur modum eſſendi*. Sic in Phyſicâ, vbi de actione, de corporum penetrabilitate, de ſyderum influxu, aliiſque ſimilibus diſputatur, ſupponi debet neceſſariò modus eſſendi aliquis ſuperadditus, cùm alioquin res explicari non poſſent.

Nec dicas, ſequeretur ex illâ doctrinâ, perinde *modum eſſendi* aliquem debere aſſignari, vnde res determinaretur ad *eſſe* in hoc loco, vel in hoc tempore, &c. quod tamen videtur eſſe valde ſuperuacaneum. ℟. N. *paris*. Quia res de ſe habet quicquid neceſſarium eſt, vt poſſit coëxiſtere tali loco, poſitâ v. g. actione ipſius rei productiuâ in tali loco. Neque verò etiam quod producitur à Deo hoc tempore, ſub illâ hypotheſi indeterminatum eſt ad aliud tempus, &c. quæ ſuis locis in Phyſicâ Vniuerſ. commodiùs exponuntur.

NOTANDVMQVE eſt 1. Hunc vocari *eſſendi modum*, quia facit vt res hac aut illâ ratione exiſtat; nec poſſit exiſtere niſi ſic modificata. Aliàs vocatur modus vnionis ſubſtantialis, quatenus forma ſubſtantialis, illo ſublato, vniri materiæ nō poſſet; quā ratione, cauſaliter ſaltem, dicitur *modus vnionis*; vt traditur in Phyſicâ. Sic in accidentibus vocatur *modus inhærentiæ*

actualis, quia per illum determinantur ad talem inhærentiam cum tali, aut tali ſubiecto. Neque hoc pacto poteſt eſſe Diſputatio niſi de nomine; vbi ſermo eſt de modo eſſendi, de modo vnionis, alijſque id genus, quæ ſuis locis commodiùs in particulari exponuntur. Quemadmodum verò ab aliquibus Thomiſtis ipſa quoque *exiſtentia* & *eſſe* impropriè confundatur cum *ſubſiſtentiá*, dicetur poſteà. *Diſput. VI.*

NOT. 2. Hunc *eſſendi modum*, in rebus non exiſtere niſi inſtar accidentium intentionalium, quæ non conſeruantur emanatiuè in ſuo ſubiecto, vt patet de luce, aut de coloribus in aëre, cuiuſmodi accidentium naturam poſteà, *Diſp. 6. c. 5. ſub finem* explicaturus ſum. Et verò, cùm nulla res habeat modificationem id genus ſuam niſi ab alio; non poteſt etiam conſeruari effectiuè niſi ab alio, non autem per emanationem à ſuo ſubiecto. Item,

NOT. 3. Hunc *eſſendi modum*, rectè appellari *Dei virtutem*, cùm ſit vltima rerum quarumcunque actualitas & vltimò perfectiua, per quam à Deo determinantur, non ſolùm vt tali vel tali modo exiſtant, ſed etiam vt tali vel tali modo operentur: neque vlla cauſa creata in ſuis effectibus attingit illud *eſſe*, ſeu *modum* illum *eſſendi*, niſi in iſtâ Dei virtute. Iuxta D. Th. 3. *Contra Gentes. c. 66. n. 4.* Et ſic q. de potentia, a. 7. de illo *eſſendi modo* eſt intelligendus; cùm ait ineſſe rei cuilibet Dei virtutem, per quam agat; tum per quam, aliquatenus ſaltem, cauſa creata in agendo ſubordinetur ad Deum, & non tantùm per ipſius facultates à Deo acceptas & iugiter cõſeruatas; vt habetur in Phyſicâ Vniuerſ. Vbi *de Subordinatione cauſæ creatæ ad Deum*.

DISPVTATIO IV. DE ENTE RATIONIS.

CAPVT I.

Quid ſit ens rationis.

ENs rationis illud dici poteſt, quod eſt à Ratione, id eſt, ab intellectu, aut in intellectu; ſiue realiter, vt ipſi intellectus noſtri conceptus; aut fictitiè tantùm, quod & appellatur propriè *ens rationis*: de quo hîc ſolet inſtitui Diſputatio.

Dico autem I. Ens rationis propriè illud eſt quod fingitur à nobis per intellectum; adeóque tantùm exiſtit obiectiuè in intellectu. Ens reale, è contrà, eſt illud quod exiſtit verè, & citra fictionem intellectus: ac proinde non habet *eſſe* tantùm obiectiuè in intellectu, ſi quando eſt noſtræ cognitionis obiectum. Quare

Notabis, illud dici eſſe obiectiuè in intellectu, quod eſt obiectum cognitionis intellectiuæ: quomodo Petrus, dum actu à me cognoſcitur, accipit *eſſe* obiectiuè in meo intellectu, quia ſic illum facio eſſe obiectum cognitionis

meæ; ſed non habet tantùm *eſſe* illud obiectiuè in meo intellectu; nam prætereà habet *eſſe* ſuum reale, vel *actu*, vel ſaltem *potentiâ*, ſi ſermo eſt de Petro poſſibili: quæ autem ſunt obiectiuè tantùm in intellectu, nullum prætereà habent in ſe *eſſe* verum & reale; vt Chimæra, aut Hircocerus, cuiuſmodi ſupponimus eſſe ens impoſſibile, & purum intellectus noſtri figmentum; vt ipſa nos docet experientia. At

DICO II. Ad *ens rationis* propriè dictum tres omninò conditiones requiri. Primò, vt ſit purè non ens, quod videlicet neque ſit ens actu, neque potentiâ. 2. Vt ſit cognitum. 3. Vt ſit cognitum ad modum, ſeu ad ſimilitudinem veri alicuius Entis; ſic enim Angelus à nobis cognitus inſtar Iuuenis cuiuſdam alati: non eſt ens rationis, quia eſt ens aliquod verum & reale, quanuis modo imperfecto, falſòque à nobis hac ratione cognoſcatur: ſic Tenebræ non ſunt formaliter ens rationis, ſed fundamentaliter ſolùm, niſi dum actu à nobis cognoſcuntur ad ſimilitudinem nigredinis cuiuſdam diffuſæ per aërem. Et ſic de alijs;

NOTANDVMQVE eſt, imperfectam, falſamque eſſe illam mentis noſtræ operationem, per quam fit ens rationis; ſiquidem ipſum non fingimus, niſi quatenus nobis repræſentamus non ens tanquam aliquod ens, ſeu ad ſimilitudinem veri alicuius Entis; quæ cognitio falſa eſt, cùm non attingat obiectum vt in ſe eſt. Nec dicas, non ens non eſt alio modo cognoſcibile, ergo ſic perfectè cognoſcitur: N. *Ant*. Neque enim, vt habet D. Th. *non ens* ſic tantùm eſt cognoſcile *ſub ratione Entis*, id eſt, ad ſimilitudinem veri Entis; ſed prætereà etiam

ſub rationis negationis; id eſt, negatiuè: vt, ſi cognoſcam tenebras, quatenus non video lumen in aëre: qui modus cognitionis nullam habet imperfectionem.

Inſt. Falſitas nulla eſt in primâ mentis operatione; & tamen per eam fieri poteſt ens rationis; ergo fieri poteſt abſque vllâ falſitate. ℟. Prima mentis operatio falſitatem non habet circa obiectum ſimplex; habet autem circa compoſitum, quale eſt ens rationis: vt explicui in Logicâ. *Diſp.* 1. *c.* 2.

CAPVT II.

Soluuntur Obiectiones.

OBIICIVNT Nominales; nihil fieri à noſtro intellectu præter conceptum ſeu repræſentationem rei cognitæ: ergo ens rationis eſt ipſe noſter conceptus; ergo non eſt purè non ens, quod habeat eſſe tantùm obiectiuè in noſtro intellectu. *Diſt. Ant.* Nihil fit primariò, id eſt, nihil procedit immediatè à noſtro intellectu præter conceptum realem, *C.* Nihil fit ſecundariò, N. Sic enim per conceptum, ſeu per cognitionis actum, Hircoceruus fit obiectum noſtri intellectus; nec *eſſe* vllum habet aliud, quàm obiectiuum illud.

Inſt. Quod fit à cauſâ reali realiter operante, illud eſt reale; atqui ſic ſe habet ens rationis; fit enim ab intellectu per actionem, ſeu per cognitionem realem. *Diſt. Mai.* Quod fit primariò, *C.* Quod fit ſecundariò, *N.* Et verò, ſic per actionem realem generari poteſt Homo

cæcus; quo in caſu cæcitas erit tantùm effectus negatiuus, qui ſecundariò per actionem realem attingetur.

Inſt. 2. Ex eo dicitur actio realis, quòd habeat terminum realem. *Diſt.* Primarium, *Tr.* Secundarium, *N.*

Inſt. 3. Effectus ille eſt quid exiſtens: atqui quod exiſtit, eſt reale. *Diſt.* Quod exiſtit verè, *C.* Quod tantùm exiſtit fictitiè, *N.* Neque etiam ens rationis dicendum eſt fieri, aut componi verè, ſed tantùm fictitiè: neque Hircus & Ceruus v. g. ſunt *veræ* partes Hircocerui, ſed tantùm *fictitiæ.*

Inſt. 4. Quod eſt ens verum, illud verè fit; atqui ens rationis eſt ens verum, eſt enim verè ens rationis. *Diſt. Ma.* Quod eſt verum poſitiuè, *C.* Quod negatiuè tantùm, & fictitiè, *N.*

Inſt. 5. Eſt verè cognoſcibile, & per cognitionem poſitiuam, quâ ratione poſteà dicam verè cognoſci à Deo; ergo eſt quid verum poſitiuè. Item, ſi eſt aliquid verum, ſequitur eſſe ens reale; nam *verum* eſt proprietas Entis realis. *R.* Non eſſe verum niſi veritate negatiuâ: quo pacto v. g. tenebræ dicuntur eſſe veræ. Item, ſic in ſe non habet cognoſcibilitatem vllam poſitiuam; nec cognoſcitur, niſi ſecundariò per cognitionem poſitiuam; ex quo non ſequitur eſſe illud verum ens & poſitiuum.

Obijc. 2. Non poteſt cognoſci purè non ens: ergo nullum eſt ens rationis, quod fiat cognoſcendo purè non ens ad ſimilitudinem veri Entis. *Prob. Ant.* Purè *non ens* non habet vllam cognoſcibilitatem, cùm hæc ſit proprietas Entis realis. Et verò, oppoſitorum oppoſita eſt ratio; ergo ſi eſt proprietas Entis, vt ſit

cognoſcibile, debet purè *non ens* non eſſe cognoſcibile. R. Cognoſci à Deo & à nobis, ſiuè tenebras, ſiue impoſſibilia, de quibus interdum miſcetur Diſputatio; cùm tamen illa ſint purè non ens. At *non ens* in eo habet oppoſitionem cum vero Ente, quòd non ſit cognoſcibile poſitiuè, id eſt, tanquam aliquid poſitiuum, & per propriam cognoſcibilitatem, ſed tantùm per alienam; nec habet propriam ſpeciem, ſui, per ſe, repræſentatiuam. Sic enim tenebræ v. g. cognoſcuntur vel ſub ratione Entis; vel ſub ratione negationis, quatenus lumen, cuius habetur propria ſpecies, non videtur in aëre.

Inſt. 1. Eo modò res dicitur cognoſcibilis quo eſt ens. *Tranſ.* Ergo ſi nullò modo eſt ens, nullo modo eſt cognoſcibilis. *Diſt. Conſ.* Non eſt cognoſcibilis ſaltem negatiuè, aut per alienam ſpeciem, *N.* Poſitiuè, & per propriam ſpeciem, *C.*

Inſt. 2. Purè *non ens* non poteſt eſſe in ſenſu; id eſt, non poteſt ſenſu percipi; quia ſenſus eſt tantùm materialium, quæ conſequenter ſunt realia: ergo non poteſt eſſe in noſtro intellectu; id eſt, cognoſci à noſtro intellectu, iuxta commune axioma, *nihil eſt in intellectu noſtro, quod priùs non fuerit in ſenſu. Diſt.* Nihil eſt in intellectu, primario ſaltem, aut per propriam ſpeciem, quod non fuerit ſub ſenſu per propriam, vel alienam ſpeciem. *Tranſ.* Nihil eſt ſecundariò, ſaltem per alienam ſpeciem. *N.* Sic enim tenebræ cognoſcuntur per ſpeciem alienam, nempe per ſpeciem nigredinis, ſub quâ nobis repræſentantur.

Inſt. 3. Illud tantùm cognoſcitur, cuius habetur propria ſpecies; nam ſpecies eſt tantùm repræſentatiua illius rei, cuius eſt propria

Diſt. Eſt illius tantùm repræſentatiua primariò. *Tranſ.* Secundariò. N. Et verò ſic mihi repræſento Cæſarem per ſpeciem alterius hominis; aut Angelum per ſpeciem Iuuenis alati.

Obijc 3. Saltem purè *non ens* non repræſentari ad ſimilitudinem veri Entis; ergo ſic nullum ſit ens rationis. *Prob. Ant* Quia oppoſitum non habet ſpeciem repræſentatiuam ſui oppoſiti, quo pacto albedo v.g. non eſt repræſentatiua nigredinis. Ac proinde oppoſitum non poteſt cognoſci ad ſimilitudinem ſui oppoſiti: atqui Ens eſt oppoſitum *non Enti*, ergo *non ens* non poteſt cognoſci ad modum Entis. *Diſt. Ant.* De oppoſito vel proportionato ſaltem quoad nos; vel non proportionato. Sic enim non ens poteſt eſſe proportionatum ſaltem quoad nos cum Ente; quomodo connaturaliter nobis repræſentari poſſunt tenebræ ad modum nigredinis diffuſæ per aërem. Et verò, cùm lucem repræſentemus nobis per ſpeciem albedinis cuiuſdam, ita & ipſi oppoſitas tenebras per oppoſitum ad albedinem, id eſt, per ſpeciem nigri cognoſcimus.

Inſt. 1. *Ens* & *non ens* nullam inter ſe habent proportionem, ſiquidem in nullo conueniunt. *Diſt.* Nullam habent abſolutè & quoad ſe, C. Quoad nos, ſeu reſpectiuè ad noſtrum cognoſcendi modum, N.

Inſt. 2. Minus habent inter ſe proportionis quàm albedo & nigredo: nam hæc conueniunt realiter in multis; vnde, ſi non poteſt albedo cognoſci ad modum nigredinis, à fortiori non poterit cognoſci *non ens* ad modum *Entis*. *Diſt.* Minùs habent, quoad ſe & abſolutè. C. quoad nos. N. Nam ex naturâ rei ſpecies

nigri eſt potiùs deſtructiua albi, etiam quoad nos.

Inſt. 3. Sequeretur nigredinem v. g. eſſe ſignum vel naturale, vel ex inſtituto repræſentatiuum tenebrarum: atqui neutrum dici poteſt: nam quod eſt *ens* non poteſt eſſe ſignum *non Entis*, cùm inter ſe nullam habeant connexionem. R℞. Eſſe ſignum naturale: nigredo enim cuilibet ita eſt connaturaliter ſignum repræſentatiuum tenebrarum. Quanquam, *Diſt.* non eſt ſignum naturale *non Entis* abſolutè & quoad ſe, *C.* Reſpectiuè & quoad nos, *N.*

Inſt. 4. Nihil poteſt repræſentari per ſpeciem illius, cuius eſt negatio, quomodo tenebræ, quæ negatiuè opponuntur luci, non poſſunt repræſentari ad modum lucis: atqui non ens negat omne ens, ſeu dicit negationem omnis Entis: ergo non poteſt repræſentari ad modum vllius Entis. *Diſt. Ma.* Non poteſt repræſentari per ſpeciem illius, cuius eſt negatio excluſiua, vt in allato exemplo, *C.* Contrà autem eſt, ſi dicitur tantùm negatio abſtrahens, id eſt, neque inferens, neque excludens, vt habetur in Log. cap. vltimo.

Inſt. 5. Implicat non ens eſſe ens, *C.* Ergo implicat cognoſci tanquam ens. *Diſt.* Verè & affirmatiuè, ſeu affirmando non ens eſſe ens, *C.* Cognoſci fictitiè & abſtrahendo ab affirmatione & negatione, *N.*

Inſt. 6. Sequeretur ſic poſſe cognoſci infinitum tanquam finitum; & cætera id genus, *N.* Nam hæc non habent proportionem in cognoſcibilitate, etiam quoad nos.

Mitto alias leuioris momenti obiectiones, Vt, cùm aiunt, nullibi eſt ens rationis: ergo

nullum eſt. Facilè enim reſpondetur, nullibi eſſe verè, ſed eſſe fictitiè in intellectu, non quidem ſubiectiuè, ſed obiectiuè ſaltem, &c.

CAPVT III.

Cauſa effectiua Entis rationis.

ENs rationis propriè ita nuncupatur, quia fit à ratione, ſeu ab intellectu. Quæritur verò, an aliqua eiuſmodi alia, per proportionem, chymærica entia fieri poſſint ab alijs potentijs, quàm ab intellectu, verſando circa non ens ad modum Entis.

DICO I. Nulla potentia ſenſitiua, ſiue externa, ſiue interna, vt imaginatio, poteſt facere ens chymæricum. *Prob.* Quia nulla poteſt verſari circa non ens; ſeu repræſentare ſibi non ens: nam verſatur tantùm circa materialia; vt explicatur in Tractatu de Animâ: atqui materiale omne eſt ens: ergo eâ ex parte non poteſt fieri ens rationis.

NOTANDVM igitur eſt, oculum quidem falli nonnunquam videndo res alio modo quàm ſint; vt quando videt per refractionem baculum in aquâ veluti fractum, qui tamen fractus non eſt. Item, imaginatio poteſt quidem ſibi repræſentare Hircum & Ceruum ſimul etiam coniunctos vnione quadam continuationis: vt ſæpe contingit in Monſtris; at non poteſt fingere *Hircoceruum*, nempe naturam vnam conſtantem ex Hirco & Ceruo; vel aliquod aliud purè non ens.

DICO II. Nulla potentia appetitiua etiam id poteſt.

id poteſt. *Prob.* Quia non eſt repræſentatiua ſui obiecti; ſed potiùs illud ſupponit repræſentatum vel per imaginationem, ſi agitur de appetitu ſenſitiuo; vel per intellectum, ſi agitur de appetitu rationali, ſeu voluntate. Quare licet voluntas noſtra poſſit verſari circa non ens, aut circa figmentum aliquod, putà circa bonum impoſſibile, tanquam aliquid poſſibile, illius tamen figmenti non eſt opifex, ſed intellectus.

DICO III. Deus non poteſt facere ens rationis. *Prob.* Quia ens rationis non poteſt fieri ſine imperfectione & falſitate; cuiuſmodi imperfectio non poteſt reperiri in Deo; habemus enim ex cap. 1. illam cognitionem, per quam fit ens rationis, eſſe falſam. Et verò cùm Deus non cognoſcat res alio modo, quàm in ſe ſint, (eamque ob cauſam, ne Angelum quidem poſſit ſibi repræſentare inſtar pueri alati, quia illa cognitio falſa eſſet, ſaltem ſecundùm repræſentandi modum;) multò minùs poteſt ſibi repræſentare *non ens* tanquam *ens*.

Obijc. Deus cognoſcit ens rationis; comprehendit enim cognitionem eam, per quam facio ens rationis: ergo videt omne illius obiectum tam primarium quàm ſecundarium, C. Ergo facit, *N. Conſ.*

Inſt. Cognoſcere ens rationis eſt illud facere. *Diſt.* Cognoſcere directè, & quatenus fingitur, quod eſt cognoſcere per cognitionem illius effectiuam. *C.* Cognoſcere indirectè, ſeu mediante noſtro intellectu, & per cognitionem duntaxat illius veluti ſpeculatiuam, *N.*

NOTABIS igitur, figmentum illud noſtri intellectus cognoſci quidem à Deo, non autem ab

illo fieri : vel ſi lubet; cognoſcit factum, non facit. Quare

Not. 2. Propoſitionem illam, ſimpliciter loquendo, non eſſe veram; nempe, *cognoſcere ens rationis, eſt facere ens rationis*; quia propriè facere ens rationis, eſt cognoſcere *non ens* ad modum *Entis*; quod non cadit in Deum.

Inſt. Facere ens rationis, eſt dare illi *eſſe* obiectiuum in intellectu; cùm aliud nullum de ſe habeat. Atqui ſic Deus illi dare poteſt *eſſe* obiectiuum. *Diſt. Ma.* Eſt dare illi *eſſe* obiectiuum directè, *Tr.* Indirectè, *N.*

Inſt. 3. Poteſt cognoſci à Deo independenter à noſtro intellectu, putà cùm à Deo cognoſcitur ab æterno, nullo adhuc exiſtente intellectu; ergo ſic à Deo cognoſceretur directè, ſicque ab illo directè acciperet *eſſe* obiectiuum. ℞. Sic etiam non cognoſci à Deo niſi in intellectu creato poſſibili, ſeu in noſtro conceptu, tanquam in imagine quadam ipſius ſecundariò repræſentatiuâ. Et verò, ens illud rationis non eſt niſi figmentum creati intellectus, nec habet ſuum *eſſe*, niſi cum dependentiâ eſſentiali ab intellectu creato. Cùm igitur Deus non cognoſcat res, niſi provt in ſe ſunt, non poteſt cognoſcere illud ens rationis, niſi vt fingitur, aut fingi poteſt à creato intellectu, & mediante ipſo intellectu.

Inſt. 4. Deus cognoſcit veritatem hanc, etiam independenter ab intellectu creato impoſſibili, *hircoceruus eſt impoſſibilis*. Item, *impoſſibilis eſt vnio naturæ hircinæ cum ceruinâ*. Item, *impoſſibilis eſt alius Deus*, &c. Ergo ſic directè cognoſcit hircoceruum, aut alium Deum, alia-ve id genus Impoſſibilia; quæ hoc pacto habeant tantùm eſſe obiectiuè in intel-

lectu Diuino. ℞. 1. Quem, indirectè, & in intellectu ſaltem poſſibili cognoſcit *hircoceruum*, hunc iudicat impoſſibilem. Præterea autem, ℞. Quantuncunque illa impoſſibilia cognoſcantur directè à Deo, non tamen ab eo cognoſcuntur *per modum Entis*, ſed tantùm *ſub ratione negationis*, cognoſcendo videlicet res omnes poſſibiles, quas inter non contineantur illa impoſſibilia: vt primo cap. aiebam ex D. Thomâ; ergo Deus hoc modo non facit ens rationis.

Inſt. 5. Eſt aliqua perfectio in noſtro intellectu ſic poſſe facere ens rationis: nam in hoc ſuperat facultatem ſenſitiuam: ergo poteſt fieri cum aliquâ perfectione; ergo fieri poteſt à Deo, qui poteſt omnia, quæ fieri poſſunt cum perfectione. ℞. Neque illam eſſe ſimpliciter perfectionem in noſtro intellectu, ſed potiùs defectum; neque in hoc facultatem ſenſitiuam per ſe ſuperari ab intellectu, quòd ipſe intellectus poſſit admittere aliquem defectum, qui in facultatem ſenſitiuam cadere non poſſit: ſed in eo ſuperatur tantùm per accidens, & ſecundùm quid; quatenus hoc pacto extenditur ad pluta obiecta quàm Senſus.

Dico IV. Conſequenter ex ſuperiori doctrinâ, ſolùm Intellectum creatum poſſe facere ens rationis; quia ſolus poteſt verſari circa non ens ad ſimilitudinem veri Entis. At

Notabis, illud ſaltem fieri per primam intellectus noſtri operationem. Nec dicas, non eſt compoſitiua: ergo non poteſt fieri per illam, fit enim per compoſitionem plurium incompoſſibilium. *Diſt.* Non eſt compoſitiua cum affirmatione. *C.* Sine affirmatione. *N.* Sic enim componit, quatenus plura ſimul poſita & coniuncta ſibi repræſentat.

Præterea verò, poteſt intellectus noſter iudicare aliquod non ens, putà Hircoceruum, eſſe ens; tum etiam & quidpiam huiuſmodi inferre ex aliquo antecedenti; ac proinde ens rationis fiet non modò per primam, ſed etiam per alias mentis operationes.

NOTANDVMQVE eſt, *ens rationis* aliud dici *fundatum*, aliud *non fundatum*. Fundatum eſt, quando fit cum aliquo fundamento in rebus. Vt, ſi tenebras, aut negationem alicui ſubiecto inexiſtentem repræſento mihi, tanquam ens aliquod. Ita etiam, ſi v. g. viſo pariete, repræſento mihi inde aliquam entitatem in pariete, per modum relationis, ad viſionem meam reſurgere; quæ dicitur *relatio rationis*. At entia rationis non fundata ea dicuntur, quæ citra omne fundamentum in rebus, pro noſtro Libero Arbitrio fiunt; vt hircoceruus, chymæra, &c.

NOT. 3. Alia quoque dici entia rationis *Logica*, vbi ſcilicet rationem v. g. prædicati, ſubiecti, generis, ſpeciei, aliaſque ſimiles ſecundas intentiones Logicas, rebus affingimus ex modo cognoſcendi noſtro; vt habetur in Logica. *Diſp.* 2. *c.* 1.

NOT. 4. Secundas eiuſmodi intentiones, tum priuationes, aut negationes, aliáque id genus, non eſſe propriè dicta entia rationis formaliter, ſed fundamentaliter ſolùm, niſi quando ab intellectu per modum alicuius entitatis repræſentantur. Tunc enim tantùm fiunt non ens cognitum ad modum *Entis*.

DISPVTATIO V.

DE ENTE VNIVERSALI.

CAPVT I.

Exiſtentia Entis vniuerſalis.

VNIVERSALE idem ſignificat ac vnum versùs alia; ſeu quod eſt vnum habens ordinem ad alia. Quo pacto multiplex eſt genus vniuerſalis. Primò enim eſt quod vocant *vniuerſale in cauſando*, quæ eſt cauſa ſuperior ad varios diuerſæ rationis effectus concurrens: vt Deus, & Sol. 2. Eſt *vniuerſale in repræſentando*, vt Speculum rerum multarum repræſentatiuum. At 3. eſt *vniuerſale in eſſendo*. Nempe, natura aliqua vna, quæ ſit apta exiſtere in multis: quomodo concipimus *hominem* vt ſic, eſſe quid vnum in Petro, Paulo, aliiſque ſimilibus exiſtens. Ac de vniuerſali quidem in poſtremâ iſtâ acceptione ſolùm hic agimus.

Dico autem I. Vniuerſale in eſſendo vulgò dicitur vnum quid aptum eſſe in multis vniuocè & diuiſim. Sic enim homo vt ſic, vniuocè, id eſt, eodem modo; tum diuiſim, id eſt, cum ſit

diuiſione & multiplicitate exiſtit in Petro & Paulo; vnde Petrus & Paulus dicuntur multi homines. Alioqui natura Diuina exiſtens in tribus Perſonis indiuiſim : aut Anima rationalis in multis corporis partibus etiam indiuiſim exiſtens : aut corpus idem replicatum multis in locis; aut vna albedo in multis ſimul ſubiectis ſupernaturaliter inhærens, non idcirco eſt quid vniuerſale, ſed potiùs ſingulare. At

Notabis, Vniuerſale in eſſendo appellari *vniuerſale Metaphyſicum*, quia eſt conſiderationis Metaphyſicæ: quatenus verò eſt prædicabile, vocatur *vniuerſale Logicum*, quia Logica res conſiderat tantùm vt prædicabiles. Item,

Not. 2. Multa illa in quibus vniuerſale exiſtit, & conſequenter de quibus prædicari poteſt, vocantur ipſius inferiora; quòd vniuerſale ſuperiori loco, illa autem infrà ſoleant deſcribi, vt in Arbore Porphyrianâ.

Dico II. Admittendas eſſe naturas vniuerſales. *Prob.* Quia vulgò ſcientia non eſt niſi de vniuerſalibus, putà de Homine, de Animali vt ſic & in communi, &c.

Notabis autem, naturas illas vniuerſales, vel eſſe naturas, quas vocant *ſpecificas*; putà, Hominem, Equum, Quercum, Albedinem, Calorem, &c. vel eſſe naturas *genericas*; vt Animal, Corpus, &c. At

Dico III. Illæ naturæ vniuerſales non ſunt extra indiuidua, vt voluit Plato, quas vocabat *ideas*. *Prob.* Quia, vt ſuprà dictum eſt, illa Platonis doctrina erronea eſt. Item, quæ ſunt extra indiuidua, non poſſunt eſſe de illorum eſſentiâ; quia nihil magis debet eſſe rei intrin-

ſecum, quàm quod eſt ipſi eſſentiale.

Dico IV. Neque etiam in ipſis indiuiduis à parte rei, & nemine cogitante, exiſtunt vniuerſalia illa, ſeu naturæ vniuerſales. *Prob.* Quia nihil exiſtit à parte rei, niſi determinatum & contractum ad indiuidua: ergo nihil eſt vniuerſale formaliter à parte rei; quia vniuerſale, putà, homo vt ſic, debet eſſe quid indeterminatum, & de ſe indifferens ad quodlibet indiuiduum.

Conf. 1. Quia natura à parte rei eſt contracta ad indiuidua, per differentias, eorum ab inuicem diuiſiuas. Ergo à parte rei, indiuidua illa non ſunt vnum quid in naturâ. *Prob. Conſ.* Habent enim diuiſionem inter ſe in naturâ, per quam ſunt multæ naturæ, v. g. multæ humanitates in diuerſis indiuiduis. Ergo non habent vnitatem in naturâ; ſiquidem vnitas illa idem eſt ac indiuiſio in naturâ, per quam ſcilicet indiuiſionem, non ſint multæ humanitates, &c. *Reſpondent* eſſe quidem multas numero, ſed non ſpecie. *Contrà.* Quia illa indiuidua habent differentias numericas realiter identificatas cum ipsâ naturâ ſpecificâ, ſeu cum ipſo naturæ gradu ſpecifico: ergo ipſum naturæ ſpecificæ gradum realiter diuidunt. *Prob. Conſ.* Quia, vt differentia indiuidualis Petri eſt diſtincta realiter à differentiâ indiuiduali Pauli, ita & natura ſpecifica, ſeu humanitas Petri, cum quâ identificatur illa differentia indiuidualis, diſtincta eſt realiter à naturâ ſpecificâ Pauli. Item, quomodo illæ differentiæ indiuiduales v. g. in Petro & Paulo ſunt formaliter multæ; ita conſequenter & ipſis identificatæ humanitates debent eſſe multæ: quamobrem ſicut Petrus & Paulus habent ſinguli ſuum Corpus & ſuam

Animam, cum reali diſtinctione ab inuicem, ita habent & ſinguli ſuas proprias humanitates realiter diſtinctas; ac proinde ſunt homines duo realiter diſtincti ab inuicem in ratione hominis: ergo non eſt in illis vna aliqua humanitas vtrique communis: ergo nec aliqua natura formaliter vniuerſalis.

Conf. 2. Quia Animalitas illa generica & Rationalitas illa ſpecifica, per quam cõſtituitur Petrus in eſſe hominis, non eſt in Petro, nec ad eum tranſiuit ab Adamo, niſi per generationem. Ergo illa eſt ſingularis: neque enim producitur quidquam niſi ſingulare. Item, cùm generatur Petrus àb Adamo, non producitur niſi quid diſtinctum: ergo *eſſe* hominis, in Petro, quod conſtituitur per animalitatem & rationalitatem, eſt quid diſtinctum ab *eſſe* hominis quod eſt in Adamo. Neque vero producitur tantum ſecundùm differentiam indiuidualem, ſed potius ſecundùm humanitatem, per quam conſtituitur in *eſſe* hominis. Alioqui non diceretur tunc generari homo, ſed tantùm produci differentia indiuidualis. Item, ſequeretur, nec Petrum annihilari poſſe; quia ſemper eadem eius humanitas foret ſuperſtes in alijs hominibus reliquis: atqui hoc repugnat rei annihilationi, per quam, ipſa, ſecundùm eam omnem quam dicit entitatem debet deſtrui. Nec parum hoc repugnaret ſupremo Dei dominio, qui non poſſet abſolutè Petrum annihilare, conſeruatis alijs hominis indiuiduis: quæ ſunt per ſe omnino abſurda.

Conf. 3. Quia ſi eſſet vna tantùm aliqua humanitas in Petro & Paulo, illi non forent homines duo, ſed tantùm vnicus cum ſuis differentijs indiuidualibus; eodem per proportionem modo,

quo tres perſonæ in SS. Trinitate non dicuntur tres Dij, ſed vnus Deus cum tribus perſonalitatibus; quia in ijs non exiſtit niſi natura vnica.

Conf. 4. Quia ſequeretur eandem omnino indiuiſibiliter animalitatem exiſtere in Petro & & Bucephalo; tum eandem prorſus realem ſubſtantiam, per quam conſtituerentur in eſſe animalis, quod eſt impoſſibile. Non enim poteſt eſſe idem principium animalitatis in Petro & Bucephalo: ergo non eſt in ijs eadem realiter & formaliter animalitas, quæ dicitur generica. Nam principium formale & radicale animalitatis in Petro aliud eſſe non poteſt quàm anima rationalis, cuiuſmodi principium idem eſſe non poteſt in Bucephalo: ergo non eſt in vtroque eadem animalitas. Item, in Chriſto & Iudâ vna res & eadem foret homo, animal, Corpus, ſubſtantia, &c. Ergo ſimul idem Homo, idem-ve Corpus in Iudâ eſſet damnatum, & cruciaretur in inferis, idemque indiuiſibiliter eſſet Beatum in Chriſto; eadem humanitas foret Sancta in Chriſto, & eadem fœdata peccato in Iudâ, &c. quæ per ſe abſurda ſunt.

NOTANDVMQVE eſt, Aduerſarios in eâ re propugnandâ, quæ videtur eſſe tam imaginaria, ſolâ duntaxat niti verborum homonymiâ & improprietate; vel ſupponere quod probandum eſt; vel ex modo concipiendi & prædicandi noſtro, perperam de rebus ipſis ſtatuere; quemadmodum conſtabit poſteà, tunc maximè, vbi ſoluentur obiectiones.

DICO igitur V. Nulla eſt natura vniuerſalis niſi per intellectus noſtri operationem. Sicque Ariſt. in lib. de Animâ, ſcribit vni-

uerſale aut nihil eſſe, aut eſſe quid animâ poſterius. Nempe illa eſt vis & facultas noſtri intellectus, vt naturam communem in indiuiduis à parte rei exiſtentem, putà *eſſe hominis* in Petro & Paulo; vel ſi lubet, ipſos naturæ ſeu eſſentiæ gradus communes repræſentet ſibi ſine eorum differentijs; quod eſt naturam *præſcindere à differentijs*, aut illam ab inferioribus *abſtrahere*; Quamobrem natura ſic per intellectum abſtracta à differentijs ſui diuiſiuis, redditur perfectè *vna* vnitate quam vocant *abſtractionis*, ſeu *præciſionis*. Non enim redditur multiplex niſi per differentias, quibus ad inferiora, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, contrahitur; quæ ſunt principia naturæ ipſius diuiſiua; ac proinde principia per quæ redditur multiplex: ergo his quaſi denudata differentijs, non remanet multiplex; ergo eſt vna ſecundùm intellectum; quæ ſecundùm rem, ſeu à parte rei eſt multiplex: ergo ſic tantùm per abſtractiuam noſtri intellectus operationem, natura poteſt reddi formaliter vniuerſalis; cùm hoc ſolùm modo poſſit reddi *vna*. *Conf.* Quia in eo ſolùm ſtatu eſt apta prædicari de multis: ergo in eo ſolùm ſtatu habet proprietates naturæ *formaliter* vniuerſalis, nempe, eſſe *vnam aptam vt ſit, & prædicari poſſit de multis*. Quanquam

NOT. 1. Naturam communem, & gradus illius eſſentiales à parte rei in indiuiduis exiſtentes, nemine cogitante habere inter ſe aliquod genus vnitatis, quam propriè *vnitatem conformitatis, ſeu conuenientiæ aut ſimilitudinis* appellant; quatenus *multa* per illam conformitatem videntur quaſi venire in vnum; ſeu quatenus eam in ſe naturam continent, quæ per vnam &

eandem ideam repræſentetur. At

NOT. 2. Naturam illam communem, & gradus illius à parte rei in indiuiduis exiſtentes, vocari etiam *vniuerſales*, ſed *materialiter* tantùm & *fundamentaliter*, quia ſunt materia vniuerſalis propriè & *formaliter* ſumpti: quatenus natura communis illa in indiuiduis à parte rei multiplicata, ob conuenientiam & ſimilitudinem in ipsâ exiſtentem, fit noſtri intellectus obiectũ propriè & formaliter vnum vnitate præciſionis & abſtractionis, de quâ iam aiebam. Quare hoc modo animal v. g. aut natura humana, eſt quidem *materialiter* & *fundamentaliter* vniuerſalis à parte rei, & nemine cogitante; cùm tamen non ſit *formaliter* & *propriè* vniuerſalis, niſi per operationem intellectus.

Nec audiendi ſunt recentiores nonnulli, qui aliud vniuerſale formaliter ſumptum non probant, quàm iſtud, quod vniuerſale fundamentaliter appellamus; ſicque admittunt vniuerſale à parte rei *Logicè* vnum ex illa vnitate conuenientiæ, quæ, vt inquiunt, ſufficiat ad Scientias. *Contrà enim eſt.* Nam hoc pacto vniuerſale non eſſet quid poſterius ad intellectum, vt loquitur Ariſt. Item, illud non eſt *vnum aptum* eſſe in multis, & prædicabile de illis. Nam 1. id quod eſt à parte rei, eſt multiplex & contractum ad ſingularia, & idem cum ſuis differentijs: ergo non eſt ad ſua indiuidua contrahibile per prædicationem. 2. Quæ natura à nobis fit vniuerſalis per abſtractiuam mentis operationem, ea eſt verè & propriè vniuerſalis, & ſolùm propriè prædicabilis de inferioribus; ſiquidem hoc modo ſolùm eſt ſine differentijs, ac proinde vna; nec prædicatur natura, niſi prout eſt in

intellectu, cùm prædicatio huiuſmodi ſit duntaxat opus intellectus. Ergo illa, quæ ſupponitur ab Aduerſarijs, non eſt propriè & formaliter vniuerſalis, ſed fundamentaliter duntaxat. Quare

Not. 3. Triplici in ſtatu conſiderari poſſe Naturam. Primus eſt ſtatus ſingularitatis, ſeu exiſtentiæ realis, qualis eſt à parte rei, nemine cogitante. 2. Eſt ſtatus exiſtentiæ obiectiuæ, provt eſt in intellectu ſine differentijs, qui etiam dicitur ſtatus abſtractionis & præciſionis; in quo eſt formaliter vniuerſalis. 3. Denique eſt natura ſecundùm ſe, provt conſideratur tantùm ſecundùm attributa eſſentialia, & proprietates eſſentiales, abſtrahendo ab alijs, id eſt, nulla eorum habita ratione; quo ſenſu vulgò aiunt *abſtrahentium non eſſe mendacium*: vt cùm negas pertinere ad hominem vt ſic, ſeu ſecundùm ſe, quòd ſit vel magnus, vel doctus, vel albus, &c. Sic autem non malè diceretur *natura abſtrahens* à non eſſentialibus: alioquin natura vniuerſalis eſt *natura abſtracta* ab inferioribus, & ab eorum differentijs: ſingularis verò dicitur *natura contracta*.

NOTANDVMQVE eſt, id quod conuenit naturæ ſecundùm ſe, illi ſemper & in quocunque ſtatu conuenire. Putà, quia homini vt ſic, ſeu ſecundùm ſe, conuenit eſſe rationale, impoſſibile eſt aliquem hominem non eſſe rationalem. Atque ita etiam, ſi homini, ſecundùm ſe v. g. conueniret habere naturam formaliter vniuerſalem, ſequeretur quemlibet hominem etiam in particulari dici debere hominem vniuerſalem. Quod eſt etiam optimum argumentum contra Aduerſarios.

CAPVT II.

Eſſentia & proprietates Entis vniuerſalis.

DIco I. Natura formaliter vniuerſalis aliud nihil eſt, quàm natura abſtracta à ſuis differentijs. *Prob.* Quia ſic habet conditiones requiſitas ad naturam formaliter vniuerſalem. Primò enim ex eo quòd ita ſecundùm intellectum exiſtit ſine differentijs, eſt conſequenter vna vnitate abſtractionis ſeu præciſionis, quæ eſt vnitas vniuerſalis, quia ſic natura exiſtens vna ſecundùm intellectum, eſt nihilominus ſecundùm rem in multis. Secundò, ſic apta eſt prædicari de multis; neque verò vlla res eſt prædicabilis, niſi quatenus per ſpeciem ſui exiſtit in intellectu; quemadmodum explicatur in Logicâ. *Diſp.* 3. *c.* 1. & 2. Quomodo etiam, vt obiter illud moneam, nulla res quoque eſt obiectum terminatiuum Scientiæ noſtræ, niſi mediante ſui cognoſcibilitate, ſeu ſpecie ſui in intellectu. Quare

NOT. 1. Duo hæc conſiderari in naturâ formaliter vniuerſali; primò, obiectum cognitionis noſtræ abſtractiuæ, nempe naturam communem à parte rei exiſtentem, & quæ vocatur materiale vniuerſalis, aut vniuerſale fundamentaliter. 2. Conſideratur τὸ *eſſe cognitum ſine differentijs*, quod illi naturæ à parte rei exiſtenti extrinſecè aduenit à noſtrâ cognitione; eſtque principium formale conſtitutiuum naturæ vniuerſalis. Quare natura formaliter vniuerſalis eſt concretum aliquod ex

intellectu, cùm prædicatio huiuſmodi ſit duntaxat opus intellectus. Ergo illa, quæ ſupponitur ab Aduerſarijs, non eſt propriè & formaliter vniuerſalis, ſed fundamentaliter duntaxàt. Quare

Not. 3. Triplici in ſtatu conſiderari poſſe Naturam. Primus eſt ſtatus ſingularitatis, ſeu exiſtentiæ realis, qualis eſt à parte rei, nemine cogitante. 2. Eſt ſtatus exiſtentiæ obiectiuæ, prout eſt in intellectu ſine differentijs, qui etiam dicitur ſtatus abſtractionis & præciſionis; in quo eſt formaliter vniuerſalis. 3. Denique eſt natura ſecundùm ſe, prout conſideratur tantùm ſecundùm attributa eſſentialia, & proprietates eſſentiales, abſtrahendo ab alijs, id eſt, nullâ eorum habitâ ratione; quo ſenſu vulgò aiunt *abſtrahentium non eſſe mendacium*: vt cùm negas pertinere ad hominem vt ſic, ſeu ſecundùm ſe, quòd ſit vel magnus, vel doctus, vel albus, &c. Sic autem non malè diceretur *natura abſtrahens* à non eſſentialibus: alioquin natura vniuerſalis eſt *natura abſtracta* ab inferioribus, & ab eorum differentijs: ſingularis verò dicitur *natura contracta*.

NOTANDVMQVE eſt, id quod conuenit naturæ ſecundùm ſe, illi ſemper & in quocunque ſtatu conuenire. Putà, quia homini vt ſic, ſeu ſecundùm ſe, conuenit eſſe rationale, impoſſibile eſt aliquem hominem non eſſe rationalem. Atque ita etiam, ſi homini, ſecundùm ſe v. g. conueniret habere naturam formaliter vniuerſalem, ſequeretur quemlibet hominem etiam in particulari, dici debere hominem vniuerſalem. Quod eſt etiam optimum argumentum contra Aduerſarios.

CAPVT II.

Eſſentia & proprietates Entis vniuerſalis.

DIco I. Natura formaliter vniuerſalis aliud nihil eſt, quàm natura abſtracta à ſuis differentijs. *Prob.* Quia ſic habet conditiones requiſitas ad naturam formaliter vniuerſalem. Primò enim ex eo quòd ita ſecundùm intellectum exiſtit ſine differentijs, eſt conſequenter vna vnitate abſtractionis ſeu præciſionis, quæ eſt vnitas vniuerſalis, quia ſic natura exiſtens vna ſecundùm intellectum, eſt nihilominus ſecundùm rem in multis. Secundò, ſic apta eſt prædicari de multis; neque verò ylla res eſt prædicabilis, niſi quatenus per ſpeciem ſui exiſtit in intellectu; quemadmodum explicatur in Logicâ. *Diſp.* 3. *c.* 1. & 2. Quomodo etiam, vt obiter illud moneam, nulla res quoque eſt obiectum terminatiuum Scientiæ noſtræ, niſi mediante ſui cognoſcibilitate, ſeu ſpecie ſui in intellectu. Quare

NOT. 1. Duo hæc conſiderari in naturâ formaliter vniuerſali; primò, obiectum cognitionis noſtræ abſtractiuæ, nempe naturam communem à parte rei exiſtentem, & quæ vocatur materiale vniuerſalis, aut vniuerſale fundamentaliter. 2. Conſideratur τὸ *eſſe cognitum ſine differentijs*, quod illi naturæ à parte rei exiſtenti extrinſecè aduenit à noſtrâ cognitione; eſtque principium formale conſtitutiuum naturæ vniuerſalis. Quare natura formaliter vniuerſalis eſt concretum aliquod

es ſic prædicaren-
.
am habere quidem
aut reſpectum ad
ſſe cum illis com-
nt vniuerſalis per
em, ſeu per com-
quidem natura iam
per abſtractiuam:
eſt natura vniuer-
ra illa vniuerſalis.
io hominem vt ſic,
quòd ſeſe reflectat
de vnum cum alio

ræ vniuerſalis in eo
à differentijs. *Prob.*
ntium, veluti pro-
eſſe in multis; tum
is.
quenter, intellectum
rſalia; quia res non
fectè, & vt in ſe
& abſtractione à

modo connaturali,
e: quia de ſe eſt per-
gnoſcitinus, vt aliàs
cit potiùs homines,
icit hominem eſſe
ines eſſe animalia:
ctus noſtri verſari
arum abſtractione

naturâ communi à parte rei exiſtente; & ex illo *eſſe cognito*, ipſi extrinſecè adueniente; quod concretum dicitur vnum vnitate vniuerſali. Item conſequenter

NOT. 2. Contra Nominales, Naturam vniuerſalem non eſſe duntaxat conceptum, ſeu cognitionem noſtram; aut ipſum duntaxat obiectum conceptus noſtri; ſed potiùs eſſe obiectum ipſum vt cognitum per cognitionem abſtractiuam; vel ſi lubet, eſſe obiectum, quatenus per ſpeciem ſui exiſtit in noſtro intellectu ſine differentijs; quibus tamen ſecundùm rem identificatur. *Conſ.* Quia, vbi dicitur *Petrus eſt homo*, ſequeretur Petrum eſſe conceptum ipſum, ſeu cognitionem hominis repræſentatiuam: quod per ſe eſt abſurdum, & falſiſſimum. Nam Petrus eſt animal rationale; quod ipſi cognitioni Petri non conuenit. Quare etiam

NOT. 3. Dum ſit à nobis vniuerſale, illud non fieri adæquatè ſecundùm id totum quod dicit; neque enim fit ſecundùm materiale, quod eſt natura quæ abſtrahitur, ſed tantùm fit ſecundùm eſſe abſtractum, ſeu eſſe cognitum illius naturæ. Item,

NOT. 4. Naturam illam vniuerſalem non eſſe ſingularia confusè cognita, ſed tantùm naturam communem in ipſis exiſtentem; aut aliquem naturæ gradum communem, præciſum à differentijs. *Prob.* Contra Mendozam; quia multa illa habent oppoſitionem cum vnitate propriâ vniuerſalis, quæ ſcilicet ſit vnitas propriè dicta, ac proinde ſine multiplicitate; nam definitur indiuiſio in ſe; &c. *Confir.* Quia alioqui ſic poſſet ſenſus facere vniuerſalia, cum poſſit multa ſic confusè cognoſcere: ergo

non ſolus intellectus eſſet vniuerſalium, quod eſt contra Ariſt. Quinetiam cùm diceremus, *Petrus eſt homo*, vel hæc propoſitio eſſet identica; vel certè omnes homines ſic prædicarentur de Petro; ergo eſſet falſa.

NOT. 5. Naturam abſtractam habere quidem ordinem, ſeu relationem aut reſpectum ad inferiora; & conſequenter eſſe cum illis comparabilem; non tamen fit vniuerſalis per actualem illam comparationem, ſeu per comparatiuam operationem; ſiquidem natura iam ſupponitur facta vniuerſalis per abſtractiuam: neque enim comparari poteſt natura vniuerſalis, niſi ſupponatur natura illa vniuerſalis. Et verò, quilibet, cogitando hominem vt ſic, facit vniuerſale, abſque eo quòd ſeſe reflectat ad ſuam operationem, vnde vnum cum alio comparet.

DICO II. Eſſentia naturæ vniuerſalis in eo poſita eſt, quòd ſit abſtracta à differentijs. *Prob.* Nam ad id conſequitur tantùm, veluti proprietas, quòd ſit vna & apta eſſe in multis; tum quòd ſit de illis prædicabilis.

NOTANDVMQVE eſt conſequenter, intellectum Diuinum non facere vniuerſalia; quia res non poteſt cognoſcere niſi perfectè, & vt in ſe ſunt: ergo ſine præciſione & abſtractione à differentijs.

Item, nec Angelus, ex modo connaturali, poteſt etiam facere vniuerſale: quia de ſe eſt perfectè rerum, vt in ſe ſunt, cognoſcitiuus, vt aliàs explicabimus; vnde cognoſcit potiùs homines, quàm hominem vt ſic, nec dicit hominem eſſe animal, ſed potiùs videt homines eſſe animalia: ergo ſic proprium eſt intellectus noſtri verſari circa naturas cōmunes cum earum abſtractione

à differentijs. Item, etſi animalitas & rationalitas in homine præſcindant à ſe inuicem, ſintque duæ diſtinctæ formalitates, vna tamen videri, vt in ſe eſt, nequit ſine alterâ; quia vna idem eſt realiter atque indiuiſibiliter cum alterâ; ac proinde ſequeretur vnam non videri, vt in ſe eſt, ſi videretur ab Angelo ſine alterâ.

Dico III. Ex proprietatibus Entis vniuerſalis hæc præcipua eſt, inquiunt, vt ſit ingenerabile & incorruptibile, ac proinde ſit ſemper & vbique; quod poſitiuè quidem intelligunt Platonici de ſuis Ideis. Sicque etiam aliquâ ratione intelligi poteſt de vniuerſali Ariſtotelico, quatenus credit naturas vniuerſales in ſuis indiuiduis exiſtentes eſſe ab æterno, & æternas ſecundùm ſe, quamuis, vt in particularibus exiſtunt, generentur, corrumpanturque.

Quia verò dicimus vniuerſale formaliter fieri à nobis per operationem intellectus; ſic conſequenter eſt poſitiuè generabile & corruptibile. Dicitur nihilominus alio ſenſu ingenerabile & æternum, atque incorruptibile, nempe quatenus, ſi conſideratur ſecundùm ſe, & vt abſtrahit ab exiſtentiâ, fieri de illo poſſunt propoſitiones ſempiternæ veritatis. Sic enim ab æternò & ſemper de ſe verum eſt, *hominem* v. g. eſſe animal rationale, &c. Item, quia illud tantùm aut generatur aut corrumpitur, quod eſt ſingulare & à parte rei in ſe realiter exiſtens, ideoque vniuerſale ſecundùm ſe non eſt generabile, aut corruptibile.

Item, vniuerſale eſt *totum* quoddam ſua inferiora confusè aliquâ ratione continens. Atque ita animal diuidi poteſt in Hominem, Equum, Leonem, &c. quaſi in partes, quas etiam vocant *ſubiectiuas*. Quanquam

NOTABIS Ex Ariſt. Genus vocari Totum duntaxat *potentiale*, quatenus eſt veluti in potentiâ ad differentias, per quas intelligitur perfici, quando cum illo ſpeciem conſtituunt.

****

CAPVT III.

Soluuntur Obiectiones.

OBIIC. I. Datur natura humana à parte rei. C. Sed illa eſt vniuerſalis nemine cogitante. N. *Inſt.* Eſt vna nemine cogitante; ergo eſt vniuerſalis, *Diſt. Ant.* Eſt vna fundamentaliter. C. formaliter, N.

Inſt. I. Non eſt multiplex formaliter: ergo eſt formaliter vna. N. *Ant.* Tot enim ſunt naturæ humanæ, quot ſunt homines, cùm ſinguli ſuam habeant ab inuicem realiter diſtinctam.

Inſt. 2. Non eſt diuiſa in ſe; ergo non eſt multiplex. *Prob. Ant.* Quia non habet principium diuiſionis & multiplicitatis, N. Poſſunt enim aſſignari differentiæ indiuiduales, quæ faciunt Petrum & Paulum realiter diuiſos in naturâ humanâ. Vel certè habent negationem ſui inuicem, quod eſt eſſe diſtinctos, ſeu diuiſos à ſe inuicem.

Inſt. 3. Sunt vnum in eſſentiâ, quia non ſunt diuiſi in eſſentiâ; ſiquidem non differunt in eſſentiâ; non enim differunt eſſentialiter: cùm ijs competat eadem hominis definitio; ſunt indiuiſi & vnum in eſſentiâ: ergo

in iis vna eſt eſſentia, ſeu natura humana. ℞. Sunt vnum, id eſt, ſunt ſimiles; item, non ſunt diuiſi, nec differunt in eſſentiâ, id eſt, non ſunt diſſimiles, ipſiſque competit ſimilis definitio. *C*. Sunt enim ſic tantùm quid vnum vnitate & indiuiſione impropriè dictâ, quæ eſt vnitas conformitatis: at non ſunt vnum vnitate propriè dictâ.

Inſt. 4. Sunt ſimiles in naturâ, ex conceſſis. *C*. Ergo ſunt vnum in naturâ: quia ex Ariſt. vnitas debet ſupponi tanquam fundamentum ſimilitudinis. *Diſt*. Vnitas impropriè dicta conuenientiæ & ſimilitudinis, *C*. Propriè dicta, *N*.

Inſt. 5. Petrus & Paulus ſunt magis vnum in naturâ, nemine cogitante, quàm Petrus & Bucephalus: ergo ſunt vnum nemine cogitante; quia, quæ ſunt magis vnum nemine cogitante, illa ſupponuntur eſſe vnum. *Diſt*. *Ant*. Sunt magis vnum, id eſt, ſunt magis ſimiles. *C*. Alioqui natura humana exiſtens in Petro, tam non eſt natura humana exiſtens in Petro, tamque ab eâ propriè diuiditur, quàm à naturâ equinâ exiſtente in Bucephalo.

Inſt. 6. Nemine cogitante ſunt eiuſdem ſpeciei; neque enim ſic differunt ſpecie, aut ſunt diuerſæ ſpeciei. *Diſt*. Sunt eiuſdem, id eſt, ſunt ſimiles in ſpecie, ſeu in naturâ ſpecificâ, non autem diuerſi, id eſt, diſſimiles, *C*.

Inſt. 7. Ex conceſſis ſunt ſimiles in naturâ ſpecificâ: ergo datur in iis natura ſpecificâ; ergo & natura formaliter vniuerſalis. *Diſt*. In iis datur natura fundamentaliter ſpecifica nemine cogitante, *C*. Formaliter ſpecifica, *N*.

Inſt. 8. Natura humana eſt natura ſpecifica;

ſed nemine cogitante illis conuenit formaliter natura humana; ſunt enim formaliter homines nemine cogitante: ergo nemine cogitante illis conuenit formaliter natura ſpecifica. *Diſt. Ma.* Natura humana eſt natura ſpecifica vel fundamentaliter, vel formaliter, *C.* At non eſt formaliter ſpecifica, niſi poſt operationem intellectus.

Inſt. 9. Homo eſt ſpecies, nemine cogitante, diuidens animal; & ſic nemine cogitante dicuntur eſſe diuerſæ ſpecies animalium; ergo nemine cogitante eſt ſpecies. *Diſt. Ant.* Eſt ſpecies formaliter, nemine cogitante. *N.* Fundamentaliter, *C.* Notandumque eſt hominem poſt operationem intellectus reddi formaliter vniuerſalem, cui competit quidem denominari *ſpeciem*; ſed iſtud eſt nomen ſecundæ intentionis; cuiuſmodi etiam ſecunda intentio non competit naturæ abſtractæ & vniuerſali, niſi per operationem intellectus.

Inſt. 10. In Petro & Paulo, nemine cogitante, eſt formaliter gradus ſpecificus, nempe rationalitas; ergo in ijs nemine cogitante eſt ſpecies formaliter. ℞. In ijs nemine cogitante eſſe quidem formaliter rationalitatem; ſed ille gradus ante intellectus operationem, non eſt niſi fundamentaliter ſpecificus.

Inſt. 11. Tam eſt in ijs vnitas ſpecifica nemine cogitante, quàm in Petro eſt vnitas numerica, ſeu indiuidualis; atqui in Petro eſt vnitas indiuidualis nemine cogitante: ergo pariter in Petro & Paulo eſt vnitas formaliter ſpecifica. *Diſt. Ma.* Tam eſt, & eodem modo. *N.* Nam concedo quidem id quod habetur in Minori; at nego paritatem de vnitate ſpecificâ, quam probauimus ſic exiſtere tantùm fundamenta-

ſiter nemine cogitante.

Inſt. 12. Verè iudicamus illos eſſe eiuſdem ſpeciei nemine cogitante; nam illa propoſitio vera eſt, *Petrus & Paulus ſunt eiuſdem ſpeciei*; ergo ſic de facto ſunt eiuſdem ſpeciei; quia cognitio illa ſupponit obiectum, ideoque verè iudicamus eſſe tales, quia de facto ſunt tales, non è contrà. R. Iudicamus eſſe nemine cogitante eiuſdem ſpeciei fundamentaliter: C. ſeciùs, N.

Obijc. 2. Illud eſt formaliter à parte rei & nemine cogitante, quod mihi repræſento, quando cogito v. g. animal: atqui ſic mihi repræſento quid vnum formaliter: ergo eſt quid vnum,&c. *Diſt. Ma.* Illud eſt à parte rei, & eodem modo, quo mihi repræſento: N. Nam illud mihi repræſento cum abſtractione à differentijs, quod non eſt à parte rei cum abſtractione à differentijs.

Inſt. 1. Eſt obiectum intellectus: atqui obiectum intellectus ſupponitur ab intellectu. *Diſt. Mi.* Supponitur eo modo quo obijcitur, N. alio, C.

Inſt. 2. Sequeretur eſſe falſam illam cognitionem. R. Falſam quidem eſſe ſecundùm modum repræſentandi; non autem ſecundùm rem repræſentatam. Ita dicimur verè cognoſcere Deum & Angelos, quamuis illos nobis non repræſentemus vt in ſe ſunt.

Inſt. 3. Oſtendo veram eſſe etiam ex modo cognoſcendi; ſic enim repræſentatur animal ſine differentijs, quod de ſe non dicit differentias, prout eſt à parte rei; ſiquidem illa animalitas, quæ eſt à parte rei, non eſt rationalitas: ergo ſic à parte rei eſt quid formaliter vniuerſale. *Diſt.* Animalitas non dicit illas

differentias formaliter, ſeu ſecundùm propriam formalitatem. *Tranſ.* Illas non dicit entitatiuè, ſeu ſecundùm entitatem, vnde conſequenter dicatur animalitas ſingularis à parte rei, N.

Inſt. 4. Prædicatur verè de Petro & de Bucephalo animal, quod eſt formaliter vniuerſale. C. Ergo ſupponitur eſſe verè & formaliter vniuerſale à parte rei: nihil enim prædicatur verè de rebus, niſi quod ſupponitur verè eſſe in rebus. *Diſt.* Quod ſupponitur ſecundùm noſtrum cognoſcendi modum, C. Secundùm rem, & eo modo quo prædicatur, N. Vt videre eſt in Log. *Diſput.* 3. *c.* 1. *&* 2.

Inſt. 5. Illud eſt formaliter à parte rei, de quo aliud verè & realiter prædicatur: vt Petrus aut Paulus, de quo prædicatur homo. Ergo & homo vt ſic eſt formaliter à parte rei, de quo ſimiliter prædicatur animal. ℞. Satis eſt, vt ſubiectum iſtiuſmodi prædicationis exiſtat à parte rei ſecundùm eſſe materiale, non autem ſecundùm eſſe formale vniuerſalis.

NOTANDVMQVE eſt obiter, quàm immeritò Aduerſarij ex modo cognoſcendi & prædicandi noſtro, ſtatuant de vniuerſalibus.

Obijc. 3. Illa vniuerſalia ſunt obiectum Scientiæ. Atqui obiectum Scientiæ noſtræ ſupponitur eſſe à parte rei, & independenter à noſtro intellectu: ergo illa ſunt à parte rei & independenter à noſtro intellectu. *Diſt. Ma.* Vniuerſalia formaliter ſunt obiectum noſtræ ſcientiæ terminatiuum & mediatum. *N.* Immediatum & non terminatiuum. *C.* Neque enim ea, quæ ſunt à parte rei, poſſunt immediatè & per ſe terminare noſtram ſcientiam; ſed tantùm prout ſunt in noſtro intellectu, mediante

cognoſcibilitate, ſeu ſpecie ſui repræſentatiuâ.

Inſt. 1. Scientia eſt de rebus ijs, quarum demonſtrantur proprietates: atqui non demonſtrantur proprietates niſi de ijs rebus, quæ ſunt à parte rei. *Diſt.* De ijs, vt ſunt in noſtro intellectu, *C.* ſecùs, *N.*

Inſt. 2. Scientia eſt de ijs, quæ definiuntur. *C.* Sed ea tantùm, quæ ſunt à parte rei, definiuntur. *Diſt.* Immediatè, & vt ſunt à parte rei, *N.* Sed mediatè ſolùm, & vt ſunt in noſtro intellectu, eo modo quem iam expoſui.

Inſt. 3. Si vniuerſalia formaliter ſumpta ſunt tantùm dependenter à nobis etiam liberè operantibus per intellectum, ſequitur obiectum ſcientiæ noſtræ fieri à noſtro intellectu, & conſequenter eſſe quid contingens; quia ſic poſſet eſſe & non eſſe, &c. *C.* de obiecto immediato, non autem de mediato & terminatiuo.

Obijc. 4. Illud quod fit à noſtro intellectu, eſt aliquis ſingularis effectus; putà, hic aut ille conceptus, ſeu cognitionis actus: ergo non eſt natura vniuerſalis. *Diſt. Aut.* Quod fit primò & per ſe, *C.* Quod fit ſecundariò, *N.* Nam ex eo quòd natura communis à parte rei & extra intellectum exiſtens fiat obiectum cognitionis noſtræ abſtractiuæ, ſic conſequenter redditur vniuerſalis.

Inſt. 1. Vniuerſale illud fit tantùm per intellectum, *C.* Ergo vniuerſale eſt illud tantùm quod fit per intellectum: atqui illud quod fit, ſeu producitur per noſtrum intellectum, aliud nihil eſt quàm conceptus; ergo vniuerſale aliud nihil eſt quàm noſter conceptus, iuxta ſententiam Nominalium. ℞. Nego vniuerſale

adæquatè ſumptum eſſe illud tantùm, quod ſit per intellectum; nam vniuerſale dicit non tantùm τὸ *eſſe cognitum ſine differentijs*, quod pendet ab intellectu, ſed prætereà dicit pro materiali naturam extra intellectum à parte rei exiſtentem, quæ per operationem intellectus ſic redditur abſtracta, ſeu cognita ſine differentijs. Quare vniuerſale pendet quidem ab intellectu ſecundùm formale ſui conſtitutiuum, non tamen ſecundùm materiale: & ſic adæquatè ſecundùm id totum quod includit, non pendet ab intellectu.

Inſt. 2. Sequeretur tot fieri vniuerſalia, ſeu naturas vniuerſales, quot forent diuerſi intellectus abſtrahentes naturam v. g. humanam à ſuis differentijs, ſicque eſſent plures naturæ humanæ vniuerſales. ℟. Nego illam ſequelam; inde enim ſequeretur tantùm eandem naturam reddi multoties cognitam ſeu abſtractam. Et verò ad multiplicitatem concretorum non ſufficit pluralitas formarum, ſi ſubiectum fuerit ſemper idem: ſic enim Lapis idem habens multas albedines, non idcirco dicetur eſſe multa alba, ſed idem multoties album.

Obijc. 5. Natura illa abſtracta eſſet ens rationis, ergo vniuerſale omne, quod eſt obiectum ſcientiæ, diceretur eſſe ens rationis. *Prob. Ant.* Quia natura abſtracta eſt non ens, nam eſt natura impoſſibilis, ſiquidem eſt natura ſine differentijs; implicat autem naturam, putà animalitatem exiſtere ſine rationalitate aut irrationalitate. ℟. Naturam quidem abſtractam intrinſecè, id eſt, in ſe carentem differentijs, qualem figurauit ſibi Plato, eſſe naturam chimæricam. At in noſtro negotio, natura eſt tantùm abſtracta extrinſecè, quater-

nus videlicet in noſtro intellectu eſt exiſtens ſine differentijs, quibus à parte rei & intrinſecè identificatur: hoc autem modo negamus naturam illam eſſe non ens, ſiquidem aliud nihil eſt quàm animalitas v. g. exiſtens à parte rei in indiuiduis, cognita ſine differentijs.

Inſt. 1. Vniuerſalitas, quæ eſt forma conſtitutiua vniuerſalis, eſt tantùm ſecunda intentio; neque eſt niſi per intellectum, aut figmentum intellectus: ergo non eſt niſi ens rationis. ꝶ. Eſto vniuerſale ſecundò intentionaliter ſit ens rationis. *Tranſ.* Nego de vniuerſali primò intentionaliter. Memineris enim ex Logicâ. *Diſp.* 2. *c.* 1. Alijſque ex locis, quid ſit prima, aut ſecunda intentio: tum notabis hîc agi tantùm de vniuerſali primò intentionaliter; id eſt, de *natura abſtracta*, non autem de vniuerſalitate, de genereitate, alijſque ſimilibus ſecundis intentionibus, quæ poſteà per noſtri intellectus operam ipſi rei adueniunt; cuiuſmodi quidem ſecundas intentiones non negamus eſſe entia rationis, ſaltem fundamentaliter.

Inſt. 2. Etiam vniuerſale primò intentionaliter tam eſt ens rationis, quàm Hircoceruus; nam perinde ac Hircoceruus habet tantùm *eſſe* obiectiuè in intellectu. *N.* Nam Hircoceruus eſt purè non ens; at obiectum mei intellectus in iſto negotio, eſt v. g. animalitas à parte rei exiſtens, quam concedo ſolùm non eo modo cognoſci, quo in ſe eſt, ſed abſque differentijs cum quibus identificatur.

Inſt. 3. Impoſſibilis eſt animalitas eo modo, quo à me cognoſcitur; ergo perinde eſt purè non ens, ac Hircoceruus. *Diſt.* Impoſſibile eſt eſſe intrinſecè eo modo quo cognoſcitur, C. Extrinſecè, N.

Inſt. 4.

Inſt. 4. Vniuerſale ſic foret vnum quid ſimul ac multa; quod eſt impoſſibile: ergo ſic foret non ens, aut ens rationis. *Diſt. Ant.* Sic foret ſimul vnum extrinſecè, id eſt, ſecundùm intellectum; & multa ſecundùm rem, & intrinſecè. *C.* Sic foret vnum ſimul ac multa ſecundùm rem, aut intrinſecè in ſeſe. *N.* Notabis enim naturam, quæ intrinſecè eſt ſingularis & multiplex in multis indiuiduis à parte rei; eandem, vt abſtrahitur, fieri vnam extrinſecè, id eſt, ſecundùm noſtrum intellectum.

Inſt. 5. Si vniuerſale formaliter non eſt purè non ens; ſequitur ipſum eſſe aliquod ens à parte rei; atqui hoc eſſet contra nos. ℞. Vniuerſale formaliter ante operationem intellectus non eſſe quidem aliquod ens in rebus, vti ſuperiori capite aiebamus ex Ariſt. At poſt operationem intellectus eſt aliquid reale. Nam aliud nihil eſt quàm v. g. animalitas cognita ſine differentijs; vbi tam obiectum, quàm eſſe cognitum ipſi adueniens eſt quid reale.

CAPVT IV.

Numerus Vniuerſalium.

SVPPONO naturas vniuerſales, cùm ſint in multis, eſſe conſequenter prædicabiles de multis; ex eo enim quòd quidpiam eſt in alio, prædicatur de illo, & eo modo quo in ipſo eſt. Ita quia v.g. animal eſt eſſentialiter in Homine, in Equo, &c. ideo prædicatur de illis, & quidem eſſentialiter. At

Not. 1. Prædicari eſſentialiter idem eſſe ac prædicari *quidditatiuè*, ſeu *in quid*, quia Philoſophi rei eſſentiam ſolent appellare *quidditatem*, vt iam monui, nam ad quæſtionem *quid eſt*, reſponderi ſolet illud quod eſt rei eſſentia. Cùm autem eſſentia ſumatur vel completè, id eſt, ſecundùm eas omnes partes quas continet, nempe, ſecundùm genus & differentiam; vel incompletè, id eſt ſecundùm partem illam alterutram, ideo prædicatio eſſentialis dicitur fieri *in quid*, vel completè, vel incompletè. Item,

Not. 2. Prædicationem fieri quoque in *quale*, quando id, quod prædicatur, eſt in re, per modum formæ cuiuſdam adiacentis, ſoletque illud reſponderi ad quæſtionem *qualis res ſit*. Vt quando quæritur, qualis eſt homo, reſpondetur *eſt rationalis*. Quanquam

Not. 3. Duplex eſt genus illiùs *qualis*. Primò enim aliud eſt eſſentiale, vt *rationale*, aut *ſenſitiuum* in homine; vocaturque illud *quale quid*: aliud porrò eſt tantùm accidentale, quando forma eſt tantùm ſubiecto accidentalis, vt *viſibile*, vel *doctum*, vel *album* in homine. Atque his quidem ſuppoſitis;

Dico I. Ex doctrinâ communi Peripateticorum, quinque admittuntur vniuerſalia, ſeu quinque ſpecies vniuerſalium. *Prob.* Quia, cum Porphyrio, vulgò admittuntur quinque prædicabilia de multis, ſeu quinque vniuerſalia in prædicando. Ergo & quinque admittenda ſunt vniuerſalia in eſſendo; neque enim, vt iam aiebam, quidquam eſt prædicabile de multis, niſi quia ſupponitur eſſe in multis. *Conf.* Quia tot ſunt vniuerſalia, quot modi ſeu differentiæ eſſendi vnius in multis vniuocè & diuiſim;

atqui ſunt quinque. *Prob.* Primò enim vnum poteſt eſſe in multis vt pars materialis eſſentiæ; & conſequenter prædicabile de illis in quid incompletè; vt *animal* de Homine, de Equo, &c. diciturque *Genus*. 2. Poteſt eſſe in multis vt pars veluti formalis eſſentiæ, & prædicabile de illis in quale quid; vt *Rationale* de Petro & de Paulo, &c. diciturque *differentia*. 3. Poteſt eſſe in multis vt tota eſſentia, & conſequenter prædicabile in quid completè, vt *homo* de Petro, de Paulo, &c. diciturque *ſpecies*. 4. Poteſt eſſe in multis vt accidens proprium & inſeparabile, vt *riſibile* in Petro, in Paulo, &c. 5. Vt accidens commune & ſeparabile; vt *album* in Petro, Paulo, Niue, Lacte, &c.

NOTANDVMQVE eſt 1. Vulgò ſtatui hunc ordinem inter vniuerſalia; primò, eſt genus, tum 2. eſt ſpecies. 3. Differentia. 4. Accidens proprium & inſeparabile. 5. Denique eſt accidens commune & ſeparabile: ex quibus tria prima ſunt eſſentialia ſuis inferioribus, alia autem ſolum accidentalia. Item,

NOT. 2. Ex illis priora duo habere inferiora ſua in lineâ directâ, iuxta deſcriptionem Porphyrianam illi rei accommodatam: ita enim per differentiam ſpecificam contrahitur genus ad ſpeciem; vt *Animal* ad *hominem*, vel ad *Equum*: tum per differentiam numericam, ſeu indiuidualem contrahitur *ſpecies* ad *indiuidua*, vt *homo* ad *Petrum*, aut ad *Paulum*; ſuntque illæ tantùm duæ differentiæ contrahentes naturam vniuerſalem ad inferiora in lineâ directâ; quomodo etiam ſunt tantùm duæ vnitates vniuerſales in lineâ illâ directâ, nempe vnitas generica, & ſpecifica. Poſteriora autem vniuerſalia dicuntur tantùm habere inferiora ſua in

lineâ indirectâ; quia non habent illa ſub ſe directè. Sic *rationale*, quatènus eſt tertium vniuerſale, prædicatur de *Petro* & *Paulo*; alioqui ſi ſumitur quatenus habet ordinem ad *hoc* & *illud rationale*, reuocabitur ad ſecundùm vniuerſale. Idem à pari dicendum eſt de *riſibili* v. g. quod eſt Quartum: item, & de *albo* v. g. quod eſt Quintum vniuerſale; ſic enim, vt ſunt vel Quartum, vel Quintum vniuerſale, prædicantur de *Petro* & *Paulo*, &c.

Obijc. 1. *Album* v. g. non prædicatur de Petro, alijſque ſubiectis, niſi vt alba ſunt; alioqui prædicatio illa non eſſet vera: atqui prædicatio de hoc & illo albo vt ſic, eſt ſpecies de inferioribus etiam in lineâ rectâ; ac proinde eſt reuocabilis ad ſecundùm vniuerſale: quod per proportionem dicendum eſt de *rationali* v. g. aut de *riſibili*, reſpectu Petri & Pauli. Ergo iſta non conſtituent diuerſa vniuerſalia; ſoláque erunt *Genus* & *Species*. ℟. *Album* vt quintum vniuerſale, prædicari de Petro, lapide, niue, &c. non vt alba ſunt formaliter, id eſt quatenus albedo ſit ſubiectum illius prædicationis: ſed tantùm de illis prædicatur vt materialiter alba ſunt, id eſt, quatenus ſunt ſubiecta albedinis. Atque ita per proportionem reſpondendum eſt de *rationali*, & de *riſibili*.

Inſt. 1. *Album vt ſic*, prædicatur tantùm de ijs à quibus abſtrahit. *C.* Sed non abſtrahit ab albis materialiter, id eſt, à ſubiectis albedinis, ſed potius ab albis formaliter, id eſt, ab albis ſecundùm albedinem: ergo, &c. *Prob. Min.* Quod inuoluit ſemper ſubiectum, non abſtrahit à ſubiecto. *C.* Atqui tale eſt album

vt ſic; nam eſt concretum; atqui concretum inuoluit ſemper ſubiectum cum formâ. ℞. Sic abſtrahere ſaltem à ſubiecto determinato; nempe à niue, lacte, pariete, &c. quod ſufficit; quanuis non abſtrahat à ſubiecto indeterminato.

Inſt. 2. Abſtractio formæ à ſubiecto non eſt ſufficiens ad conſtituendum vniuerſale: ergo album vt ſic non eſt vniuerſale, prout habet ordinem ad ſubiecta. *Prob. Ant.* Quia forma etiam realiter abſtracta à ſubiecto, poteſt nihilominus remanere ſingularis; vt contingit in accidentibus Euchariſticis, quæ de facto ſunt extra omne ſubiectum. ℞. Solam quidem abſtractionem à ſubiecto inhæſionis non ſufficere ad vniuerſale, niſi adſit ſimul & abſtractio à ſubiecto contractionis. Suppono enim *album vt ſic* non modò comparari cum lacte, niue, alijſque ſubiectis quibus inhæret, ſed etiam cum hoc & illo albo; ſeu cum hac aut illâ albedine ad quam contrahitur. Fateor enim, quòd *albedo* v. g. non conſtitueret niſi ſecundùm vniuerſale, ſi tantùm compararetur ad ſubiectum contractionis: ſed præterea comparari debet tam cum ſubiecto contractionis, quàm cùm ſubiecto inhæſionis, vt conſtituat quintum vniuerſale. Et ſic per proportionem de alijs.

Inſt. 3. Accidens non prædicatur vniuocè de ſuis ſubiectis: ergo non eſt vniuerſale, prout habet ad illa ordinem, aut ad illa comparatur. *Prob. Ant.* Quia ex Ariſt. vniuoca dicuntur de ſuis inferioribus ſecundùm eandem ſubſtantiam: atqui quod tantùm eſt accidens, non dicitur ſecundum ſubſtantiam, id eſt, ſubſtantialiter. Ergo quod eſt accidens, non dicitur vniuocè

de ſuis ſubiectis : ac proinde reſpectu illorum non eſt vniuerſale. ℞. Tò *ſecundùm eandem ſubſtantiam*, ibi ſumi ab Ariſt. pro *ſecundùm eandem eſſentiam*; quod conuenit accidenti.

Inſt. 4. Nec ſecundùm eandem eſſentiam ipſis conuenit : ergo nulla ſolutio. *Prob. Ant.* Quia ſequeretur ipſis conuenire eſſentialiter, quod falſum eſt. *Diſt.* Quod multis conuenit ſecundùm eandem eſſentiam, eſſentialiter participatam, vt *animal* Homini & Equo; conuenit illis eſſentialiter. *C.* Quod conuenit tantùm ſecundùm eſſentiam accidentaliter participatam. *N.* Sic autem eſſentia albedinis participatur ſolùm accidentaliter à niue, lacte, &c.

Inſt. 5. Ariſt. in exemplum vniuocorum affert *animal*, quod participatur eſſentialiter ab inferioribus. ℞. Non affert niſi exemplum aliquorum, non omnium.

Obijc. 2. Sequeretur plura eſſe vniuerſalia quàm quinque : quia differentia ſuperior & inferior; tum proprium ſecundo modo, & quarto modo eſſent diuerſa vniuerſalia; ſiquidem diuerſa habent inferiora. ℞. Diuerſitatem illam ex ordine ad inferiora eſſe illis tantùm accidentalem : conuenire autem ſub eadem ratione eſſentiali, nempe quòd tum differentia ſuperior, tum inferior, prædicentur in *quale quid* : ſic etiam dicendum eſt diuiſionem *generis* in ſupremum, ſubalternum, & infimum, pari modo eſſe tantùm illi accidentalem.

Inſt. Dicere Petrum & Paulum eſſe ens ſingulare ſeu indiuiduum, eſt prædicatio vniuerſalis non reuocabilis ad vllam ex ſuperioribus; ergo auget numerum vniuerſalium. ℞. Eſſe

potiùs prædicationem tranſcendentalem; nam rei cuilibet tam ſubſtantiali, quàm accidentali & modali attribui poteſt: neque verò poteſt abſtrahi aliqua ratio indiuidui vt ſic ab omnibus indiuiduis, vnde conſequenter fieri poſſit propriè vniuerſalis; quod oſtendam poſteà, *Diſp. 7. De Analog. Entis, cap. 2.* Quòd autem ſpectat alias Indiuidui acceptiones; & quomodo *indiuiduum vagum* non ſit vniuerſale, oſtendetur *cap. 6. huius Diſput. Aſſert. 5.*

Inſt. 2. Tot futura eſſent vniuerſalia, quot prædicamenta; ergo eſſent plura quàm quinque. N. *Ant.* Quia nouem prædicamenta accidentalia, ſunt tantum diuerſa genera aut accidentium entitatiuorum, cuiuſmodi ſunt quantitas & qualitas; aut diuerſa genera denominationum accidentalium, quæ ſubſtantiæ attribui poſſunt; quæ omnia reuocabilia ſunt vel ad quartum, vel ad quintum vniuerſale.

Inſt. 3. Denominatio & prædicatio *exiſtentis*, non poteſt reuocari ad vllum genus ex ſuperioribus: ergo auget numerum vniuerſalium. ℞. Confundi cum prædicatis tranſcendentalibus, nec propriè eſſe genus vniuocum ad inferiora.

Inſt. 4. *Eſſe ſubſiſtens*, ſeu eſſe *perſonam* aut *ſuppoſitum*, ſunt etiam prædicata vniuerſalia à ſuperioribus diuerſa. ℞. Modos eiuſmodi, ſub quibus exiſtat ſubſtantia, reuocari ad genus ſubſtantiæ: alioquin pro noſtro libito multiplicarentur illa vniuerſalia; cùm tamen noſtra Aſſertio ſit de numero vniuerſalium iuxta Ariſt. & Peripateticos.

DICO II. Vniuerſale primò intentionaliter eſt vniuocum ad quinque. *Prob.* Quia τὸ *vnum*

actum eſſe in multis, in quinque illis eodem modo continetur.

DICO III. Vniuerſale ſecundò intentionaliter, ſeu ſecunda intentio vniuerſalitatis eſt etiam quid vniuocum, & genus ad ſuas quinque ſpecies. *Prob.* Quia ratio illa eadem contrahitur ad *genus* per *genereitatem*; ad *ſpeciem* per *ſpecieitatem*; ad *differentiam* per *differentialitatem*, & ſic de alijs, quibus perinde competit dici vniuerſale. Quare

NOTABIS iſtud, *genus* v. g. conſtare eſſentialiter ex *vniuerſalitate*, tanquam ex gradu communi, tum ex *genereitate* veluti ex differentiâ: at ſecunda huiuſmodi intentio non prædicatur niſi accidentaliter & denominatiuè de primis: vt cùm dicimus animal eſt *genus* ad hominem & Equum, aut etiam cùm dicimus vniuerſale eſt *genus* ad quinque illa vniuerſalia. Quo in caſu ſecunda illa intentio τῦ *vniuerſalis* ſe habet tantùm inſtar primæ intentionis, quæ fiat ſubiectum alterius ſecundæ intentionis. Facile eſt igitur reſpondere, cùm obijciunt contra poſtremam Aſſertionem, *genus*, quod eſt ſpecies τῦ vniuerſalis, prædicari de ipſo *vniuerſali*; & ſic ſpeciem prædicari de ſuo genere, quod abſurdum eſt; quomodo ſi prædicaretur homo de animali. Reſponderi enim debet, *genus* illud prædicari tantùm de vniuerſali accidentaliter & denominatiuè, vt cùm dicimus *animal eſt genus*; non autem eſſentialiter tanquam de ſpecie ſibi ſubordinatâ.

Inſt. Vniuerſale ad tertiam ſpeciem, nempe ad differentiam, contraheretur per differentiam, cuiuſmodi differentia contrahens iterum aliud vniuerſale conſtitueret; ſicque eſſet proceſſus

ceſſus in infinitum. ℞. Vniuerſale ſic contrahi per differentialitatem, quæ differentialitas poſſet inſtar primæ intentionis iterum dici differentia, & ſic pro libito poteſt fieri proceſſus in infinitum in ſecundis illis intentionibus.

CAPVT V.

De Genere.

GENVS ſumi poteſt vel materialiter, ſeu pro eo gradu eſſentiæ cui applicatur ſecunda illa intentio *genereitatis*, & dicitur genus: vt *animal*. Vel 2. ſumi poteſt vt concretum ex vtroque, nempe ex naturâ & genereitate. Quo pacto,

DICO I. Genus eſt vnum aptum eſſe in multis ſpecie differentibus, & prædicari de illis in quid incompletè, ſeu tanquam pars aut gradus potentialis. *Prob.* Quia ſic differt à cæteris ſpeciebus vniuerſalium.

NOTABIS autem hoc loco non definiri naturam ſolam ſecundùm ſe, ſed tantùm quatenus eſt ſub ſecundâ illâ intentione genereitatis: alioquin nec naturæ ſecundùm ſe conſideratæ, nec genereitati ſeorſim ſumptæ conueniret allata definitio.

NOT. 2. Genus prætereà ſumi vel vt eſt totum quoddam vniuerſale, ſub ſe inferiora continens tanquam partes ſubiectiuas, in quas etiam eſt diuiſibile; quomodo animal diuiditur in Hominem, Equum, &c. aut etiam in rationale & irrationale. 2. Sumitur vt pars compoſitiua ſpeciei ſeu totius ſpecifici: quo pacto animal ſimul & rationale hominem,

ſecundùm rationem, ſeu Metaphyſicè, conſtituunt, eiuſque definitionem ingrediuntur.

NOTANDVMQVE eſt 3. Ex Ariſt. 7. *Met.* ſic Genus eſſe velati partem materialem, ſeu inſtar materiæ, ob aliquam proportionem quam habeat cum materiâ primâ Corporis Phyſici realiter compoſitâ. Vt enim materia prima eſt in potentiâ ad formas, tum ab illis perfectibilis, cum indifferentiâ ad hanc, aut ad illam, &c. ita genus dicitur eſſe aliquis gradus eſſentiæ, quaſi in potentiâ ad *differentias*, tum ſecundùm noſtrum concipiendi modum determinari, contrahi, perfici; &c. Nec dicas; ſi genus hoc modo habet tantùm rationem partis, quomodo rectè prædicatur de ſpecie aut de indiuiduo ſpeciei, tanquam de toto; vt Animal de Homine, vel de Petro. R. 1. Partem in concreto rectè etiam prædicari de toto; cùm hoc modo dicat totum. Vt cùm dicimus *hominem eſſe oculatum*. R. 2. Genus dici etiam totum quoddam potentiale; quatenus eſt contrahibile ad inferiora per differentias, quas poteſtate ſaltem continet, vti mox explicabo. Et verò,

NOT. 2. Quòd ſi etſi genus dicatur pars eſſentiæ; hoc non impedit, quominus denominetur à totâ eſſentiâ, ſaltem inadæquatè ſumptâ: neque enim v. g. corpus tantùm, ſed anima ſimul cum corpore faciunt animal. Quanquam et anima v. g. humana intelligatur conſtituere animal cum corpore, quamuis eſt tantùm inadæquatè, quoniam et ipſa eſt principium vegetandi & ſentiendi, non tamen ideo ſecundum gradum rationalitatis, quod à pluribus per proportionem dicendum quod eſt de Differentiâ; ita enim definitionem [illegible] dicit ſolam animam; alioquin

Anima Equi ſeparata diceretur eſſe τὸ ſenſitiuum, cùm tamen hoc modo anima non ſit *animal*, nec reciprocetur cum animali. Item, cùm rationalitas dicat gradum intelligendi dependenter à corpore, rationale vt ſic non dicit animam rationalem ſolam, ſed ipſam animam cum corpore; alioquin etiam ſequeretur non omne rationale eſſe hominem; non enim anima ſeparata eſt homo, ſed dicitur tantùm anima hominis. Ex quibus concludes, tum *genus* tum *differentiam*, deſumi à totâ rei eſſentiâ, putà, à corpore ſimul & ab animâ inadæquatè ſaltem ſumptâ. Item,

Not. 5. Quod vulgò aiunt, genus continere potentiâ differentias, quibus eſt contrahibile; quo pacto per proportionem materia prima dicitur continere potentiâ formas ſubſtantiales, quatenus illas poteſt in ſe recipere.

At *Genus* differentias illas formaliter, aut actu non continet; quia mutuò præſcindunt ab inuicem; nec cognito genere, putà, *animali*, repræſentantur vllæ ipſius differentiæ; ergo illas actu aut formaliter non continet, ſed potiùs ab iis perfectè abſtrahit. *Conf.* Quia v. g. animal non includit formaliter niſi gradus vegetandi ſimul & ſentiendi, qui tantùm ſunt de eius eſſentiâ, non autem gradum ratiocinandi, aut hinniendi, &c. Alioquin ſi differentias illas contineret quoque formaliter, ſequeretur hominem, qui eſt animal, ſimul eſſe rationalem & irrationalem, &c.

Not. tamen 6. Ex Ariſt. in Genere contineri æquiuocationes, eo ſenſu, quòd nomen genericum pro diuerſis ſpeciebus ſuis poſſit ſupponere, vt animal pro rationali, hinnibili, &c. Ita noſtri Interpretes.

DICO II. Genus (ſi materialiter ſumitur, id eſt pro eâ re, quæ dicitur genus, putà, pro animali) poteſt conſeruari in vnicâ ſpecie. *Prob.* Quia ſolo Homine exiſtente in rerum naturâ, non defineret eſſe animal. Quinetiam cognitâ illâ animalis ſpecie cum alijs ſaltem poſſibilibus, poſſet ab ijs abſtrahi gradus communis animalis, & ſic fieri formaliter vnum aptum eſſe in multis ſpecie differentibus, & de illis prædicabile, &c.

NOTABIS autem, in eâ hypotheſi ſupponi ſaltem alias animalis ſpecies poſſibiles; alioquin non diceretur genus niſi *ſecundùm rationem*, non autem verè & *ſecundùm rem*; quia de multis ſpecie differentibus non eſſet verè & ſecundùm rem prædicabile.

DICO III. Ex generibus, primò, aliud eſt infimum, quod de ſolis ſpecie differentibus prædicatur; vt *animal* de Homine, Equo, &c. 2. Aliud eſt ſupremum & generaliſſimum, quod prædicatur etiam de alijs generibus, ipſi ſubalternis, nec alteri ſubijcitur. Vt *ſubſtantia* de corpore, de plantâ, de animali, &c. 3. Denique eſt intermedium, quod alijs quidem ſubijcitur, vt corpus ſubſtantiæ; at prædicatur de alijs generibus ipſi ſubalternis, vt de plantâ, lapide, animali, &c.

NOTABIS autem eſſe generi per accidens, quòd ſit ſupremum, medium, aut infimum; habeatque pro ſubiecto prædicationis vel alia genera, vel ſpecies infimas, aut ipſa etiam indiuidua ſpecierum; vt quando animal prædicatur de Petro, de Bucephalo, &c.

NOTABIS enim 2. Omnia illa conuenire in ratione eſſentiali generis, quæ eſt prædicari de ſuis inferioribus illis *in quid* incompletè.

CAPVT VI.

De Specie, & de Indiuiduo.

SPECIES quidem definitur à Porphyrio, id quod ſubijcitur Generi; ſeu id de quo prædicatur Genus. Sed quamuis illa ſit aliqua proprietas Speciei, vt immediatè ſaltem generi ſubijciatur; per id tamen non conſtituitur in ratione vniuerſalis. Alioquin ipſa indiuidua per huiuſmodi ſubijcibilitatem ad ſuperiora poſſent dici vniuerſalia. Et verò vniuerſale eſt vnum aptum eſſe in multis, &c. eſtque illa propria & eſſentialis definitio *vniuerſalis.* Quare

DICO I. *Species* ex eo conſtituitur ſecundum vniuerſale, quòd ſit *vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de illis in quid completè*: id eſt, vt tota natura, conſtans ex genere & differentia. Et in eo quidem conueniunt ſpecies tam ſuprema, quàm media, aut infima: quomodo ſuperiori capite tradebam de Genere; cùm ratio ſupremi, medij, aut infimi, ſit tantùm illi accidentalis.

DICO II. Eodem per proportionem modo quo aiebamus Genus poſſe conſeruari in vnica ſpecie; ita & Species conſeruari poteſt in vnico indiuiduo; vt natura humana ſolo exiſtente Adamo.

DICO III. Species infima illa eſt, quæ de ſolis numero differentibus prædicatur. Suppono enim dari actu aliquas ſpecies infimas, putà, hominem ſub animali; etſi per abſolutam Dei

potentiam poſſent in infinitum dari aliæ ſpecies ſub homine, ac proinde diuerſæ ſpecie Animæ rationales, per quas conſtituerentur illæ ſpecies diuerſæ, vt docent nonnulli. Certè in Numeris ſaltem, & in Figuris dantur ſpecies infimæ, quæ in alias eſſentialiter diuerſas nequeunt diuidi: vt in Numeris Binarium, aut Ternarium, &c. In Figuris Triangulus, Circulus, Quadratum, &c. Nam illæ figuræ non ſunt diuiſibiles in alias eſſentialiter ſaltem diuerſas.

Dico IV. Indiuiduum eſt natura aliqua particularis ſeu ſingularis; vocaturque indiuiduum, vt opponatur vniuerſali; quia non poteſt diuidi in aliqua inferiora; eo modo quo v. g. homo diuiditur in Petrum, Paulum, &c. At

Not. 1. Indiuiduum aliud eſt *primò intentionaliter*, ſeu quale eſt à parte rei, ſine ordine ad noſtrum intellectum: deſcribiturque à Porphyrio: *Quod conſtat proprietatibus, quarum collectio nunquam in aliquo alio eadem eſſe poteſt.* Solentque tradi iſto verſiculo:

Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus.

Quatenus verò ſubijcitur intellectui, & vocatur *indiuiduum ſecundò intentionaliter*, dicitur *id quod de vno tantùm prædicatur.* Item, *id de quo prædicatur ſpecies.*

Notabis prætereà 2. Indiuiduum aliud eſſe ſubſtantiale, nempe ſubſtantia aliqua ſingularis; vt Petrus; aliud accidentale, nempe aliquod accidens particulare, vt hæc albedo. Item,

Not. 3. Diuiditur quoque in indiuiduum determinatum, quale eſt *Petrus*, vel *hic homo*. Tum indeterminatum, ſeu vagum, vt *aliquis homo*, quod naturam aliquam particularem

indeterminatè & confusè ſignificat, abſtrahendo ab omni determinatâ: vt *aliquis homo.*

DICO V. Non idcirco eſt vniuerſale. Probo. Quia vniuerſale eſt quid prorſus indeterminatum, nec confusè aut diſtinctè particularem vllam naturam inuoluit. At indiuiduum vagum inuoluit indeterminatè ſaltem naturam aliquam particularem. *Confir.* Quòd alioquin ſi foret vniuerſale, ſequeretur propoſitionem hanc eſſe vniuerſalem, *aliquis homo eſt animal*: quia haberet ſubiectum & prædicatum vniuerſale: atqui falſum conſequens: neque enim idem eſt *aliquis homo*, ac *omnis homo.*

CAPVT VII.

De Differentia.

NE quid dicam de differentiâ indiuiduali, aut de differentiâ accidentali, quæ petitur à formâ accidentali; diſputabimus tantum de eâ, quæ petitur à gradu eſſentiæ, per quem res inter ſe differunt ſecundùm eſſentiam.

DICO autem I. Sic definiri ſolet. Eſt vnum aptum eſſe in multis, vt formalis pars eſſentiæ, & conſequenter prædicabilis de illis in quale quid. Qui termini iam habent ſuam intelligentiam ex doctrinâ ſuperiori.

NOTANDVMQVE eſt, hæc tria recenſeri munera differentiæ eſſentialis. 1. Diuidit genus, ipſum determinando & contrahendo ad certam ſpeciem. 2. Cum eo ſpeciem illam conſtituit; quomodo *rationale* diuidit *animal*, & cum

eò conſtituit hominem ; ac tertiò denique ipſum diſtinguit à quacunque aliâ ſpecie. Vno verbo, differentia hæc ſolet dici primò, diuiſiua generis, 2. ſpeciei conſtitutiua, 3. denique illius à quocunque alio diſtinctiua. At

Not. 2. Differentias alias eſſe ſuperiores, quæ & genericæ appellantur ; vt *corporeum*, *ſenſitiuum*, &c. alias autem inferiores : omniumque inter eſſentiales infima & vltima, dicitur *ſpecifica*, vt *rationale* : omneſque idem *vniuerſale tertium* conſtituunt, quia conueniunt ſub eadem ratione formali prædicandi in quale quid ; nec differunt niſi accidentaliter, ex eo quòd differentiæ ſuperiores prædicentur de multis ſpecie & numero diuerſis ; vltima verò de numero ſolùm diuerſis. Quanquam

Not. 3. Ex doctrinâ Porphyrij, vltimam differentiam prædicari etiam de ſpecie diuerſis : ſic enim ſtatuit *rationale* prædicari non tantùm de indiuiduis Hominis, ſed etiam & de Angelis, qui ab ipſo exiſtimantur eſſe animalia quædam rationalia ; in eo tamen diuerſa ab homine, quòd ſint immortalia. Verùm, vt in compoſito naturali, putà in Homine, eſt vnica & ſimplex forma ſubſtantialis ipſius conſtitutiua ; ita & quæ ab ipſâ formâ petitur differentia ſpecifica, eſt ſimplex : nititurque falſo principio doctrina Porphyrij ; neque enim Angeli ſunt animalia, nec ſimilem habent nobiſcum rationalitatem ; ſiquidem in ſublimiori genere intelligendi ſunt conſtituti ; vt ſuo loco explicabitur. Porrò,

Dico II. Differentia inferior ſupponit ex naturâ ſuâ ſuperiores, quomodo rationale ſupponit ſenſitiuum, & à ſenſitiuo pariter

ſuppoſitur corporeum, &c. neque enim vllum eſt rationale, quod non ſit ſenſitiuum, &c. At

Dico III. Differentiæ ſuperiores non includuntur formaliter in inferioribus, nec earum eſſentiam ingrediuntur: quomodo v. g. *ſenſitiuum* non eſt de eſſentiâ aut conceptu formali *rationalis*. *Prob*. Quia ſequeretur genus includi formaliter in ſuis differentijs; putà, animal in rationali; vnde rationale vt ſic formaliter eſſet principium ſentiendi. Sequela manifeſta eſt; nam *ſenſitiuum*, primò & per ſe includitur in animali, cùm ipſum animal conſtituat; neque in inferioribus reperitur, niſi per animal: atqui animal non includitur formaliter in rationali; ſunt enim conceptus mutuò præciſi, vnde conſequens eſt neutrum in alio contineri, aut de illo prædicari. *Confir*. Quia *ſenſitiuum* includeretur in rationali, tanquam genus in ſpecie, ac proinde *rationale* eſſet ſpecies *ſenſitiui*: atqui differentia non eſt ſpecies ſub genere, cùm potiùs ſit ipſius generis diuiſiua, & cum eo ſpeciei conſtitutiua, vt tradebam modò, ex communi omnium ſententiâ.

Obijc. 1. Ex Ariſt. differentia eſt tota rei eſſentia; quod dici non poſſet, niſi genera & differentias ſuperiores in ſe formaliter contineret. *Diſt*. Eſt formaliter tota eſſentia. *N*. Eſt completiuè tota eſſentia, quatenus eâ poſitâ intelligitur eſſe tota eſſentia, *C*.

Inſt. 1. Differentiæ ſunt diuiſiuæ generis, & conſequenter ſuperiorum differentiarum. *C*. Ergo ſuperiores illæ continentur in inferioribus; quia diuiſum debet contineri in membris diuidentibus. *Diſt*. Debet contineri in diuidentibus *id quod*; quales ſunt ſpecies reſpectu

ſunt. Sic enim anima rationalis formaliter includit gradum vegetandi & ſentiendi : ergo à pari differentia inferior, quæ perfectior eſt, includit formaliter ſuperiores. *Diſt.* Anima rationalis, quatenus rationalis, includit formaliter illos gradus. *N.* Quæ rationalis eſt, eos ita includit. *Tr.* Ergo à pari differentia perfectior includit formaliter imperfectiores, cuiuſmodi ſunt ſuperiores. *Nego*, ſed tantùm materialiter, quatenus ſunt eadem entitas.

CAPVT VIII.

De Accidente Proprio, & de Communi.

QVOD in aliquo exiſtit, non tamen vt genus, aut vt ſpecies, aut vt differentia; ſed tantùm vt forma in ſubiecto extra eſſentiam rei, illud dicitur accidens; vt *album*, *calidum*, &c.

At vulgò ſtatuitur duplex genus, ſeu ordo accidentium eiuſmodi. Primò enim alia dicuntur *propria* alicuius duntaxat ſpeciei, aut generis. 2. autem alia indifferenter ſe habent ad ſubiecta ſpeciei, aut generis diuerſi, ideoque appellantur *communia*.

Accidentis proprij quadripertita eſt diuiſio. Ac primò quidem eſt *proprium primo modo*, ſoli tantùm ſpeciei conueniens, ſed non omni; id eſt, non omnibus eius indiuiduis; vt eſſe Medicum, aut Philoſophum, aut Muſicum reſpectu Hominis. 2. *Proprium ſecundo modo* conuenit omni ſpeciei, ſed non ſoli: vt eſſe Bipedem reſpectu Hominis. 3. *Proprium tertio modo* ſoli

& omni conuenit, ſed non ſemper: vt caneſcere reſpectu hominis. 4. *Eſt proprium quarto modo* conueniens omni, ſoli, & ſemper: vt riſibile homini.

Not. 1. Accidens alicui ſubiecto proprium, conuenire illi propter aliquam rationem intrinſecam; vel vt alij loquuntur, per intrinſeca ipſius ſubiecti principia, & ea quidem vel eſſentialia, vt quæ toti generi, vel ſpeciei conueniant; vel ſaltem per indiuiduantia; quando non toti ſpeciei. Item,

Not. 2. Huiuſmodi accidens habere connexionem neceſſariam cum ſubiecto ſuo: nullumque eſſe eſſentiæ gradum vllâ in ſubſtantiâ, quem non ſequatur, ſeu à quo non emanet aliquod accidens, tanquam eius proprietas, quæ cum eo eſſentiæ gradu connexionem habet neceſſariam, & cum eo reciprocatur ſeu conuertitur. Ita homo, quatenus eſt corpus, ſeu ſecundùm corporeitatis gradum, habet extenſionem diuiſibilem in partes, &c. quatenus eſt animal, dicitur capax doloris, aut voluptatis: quatenus ſecundùm animam, eſt quid ſpirituale, habet vim intelligendi: quatenus denique dicitur quid rationale, habet vim admirandi, ridendi, &c. ſic ait Ariſt. perſpicuitatem, aquæ, aëri, vitro, rebuſque alijs id genus conuenire per aliquod principium eſſentiale ipſis commune. Ita eſſe bipes, conuenit homini, & aui, quatenus habent gradum aliquem animalitatis communem, nobis autem vulgò innominatum; quem gradum, aut quam differentiam animalitatis non habent Equus, Leo, &c.

Not. 2. Accidentia, quæ connexionem illam habent cum ſuo ſubiecto, dici *inſeparabilia*,

vnde accidentia *propria* & *inſeparabilia* idem ſunt. Alioquin, vt habet Porphyrius de accidentibus Quinti vniuerſalis, poſſunt abeſſe & adeſſe ſine ſubiecti interitu, ſeu corruptione. Quanquam

NOT. 4. Tunc intelligi non poſſe de ſeparabilitate, aut inſeparabilitate phyſicâ & reali; ſiquidem multa ſunt in eo genere accidentia, quæ, ne à ſubiecto quidem ſuo ſeparari poſſunt phyſicè, & realiter; imò plurima ſunt, quæ realitatem propriam non habent, vti ſupponimus de Relatione, &c. Vnde ſequitur tunc Porphyrium accipi tantùm debere de ſeparabilitate, & inſeparabilitate Logicâ; id eſt, mentali. Item, ex Porphyrio, quem authorem hoc loco vulgò ſequuntur Philoſophi, Accidens *Quinti* vniuerſalis ab accidente *Quarti* differt per eiuſmodi ſeparabilitatem, aut inſeparabilitatem à ſubiecto. At

NOT. 5. Logica illa ſeparabilitas, aut inſeparabilitas duplex eſt: Primò enim eſt *apprehenſiua* tantùm, id eſt, quæ fit per ſolam ſimplicem apprehenſionem; alia eſt *iudicatiua*, quæ fit per ſecundam mentis operationem, iudicando accidens eſſe, aut non eſſe in ſubiecto; vel cum interitu, vel abſque interitu illius ſubiecti.

NOTANDVMQVE eſt 6. Sermonem hîc non fieri de interitu phyſico, ſed de Logico tantùm; quatenus per conſequentiam Logicam tollatur, vel non tollatur ſubiectum; quomodo ſi dixero, *hoc non eſt riſibile*, ſequetur non eſſe hominem. At ſi dixero, *homo non eſt*, vel *hoc non eſt album*, non ſequitur aut eſſe, aut non eſſe Lapidem. Atque his poſitis;

DICO I. Ratio conſtitutiua Quarti vniuerſa-

lis, eſt *inſeparabilitas Logica indicatiua* : per hoc enim diſtinguitur ab Accidente Quinti vniuerſalis, cùm iſtud, iuxta Porphyrium, poſſit *indicatiuè* abeſſe, & adeſſe ſine ſubiecti interitu Logico. Et verò, quamuis accidens ſit phyſicè corruptiuum ſubiecti, vt *combuſtio* in ligno, aut *ægritudo* in Petro; non ſequitur tamen, *lignum hoc comburitur*, ergo hoc non eſt lignum : aut, *Petrus ægrotat* : ergo Petrus non eſt homo, &c.

DICO II. Tam proprium ſecundo modo, quàm proprium Quarto modo, pertinet ad Quartum vniuerſale. *Prob.* Quia conueniunt ſub eadem ratione eſſendi in ſubiecto inſeparabiliter ſeparatione Logicâ indicatiuâ.

Obijc. Soli proprio Quarto modo conuenit eſſe maximè proprium, quia eſt proprium ſpecificum, *C.* Ergo ſoli conuenit eſſe de Quarto vniuerſali. *N. Conſ.*

Inſt. 1. Quod eſt commune multis ſpeciebus, non eſt proprium; nam perinde quodlibet accidens aliud diceretur proprium : atqui tale eſt proprium ſecundo modo; vt *quantitas* reſpectu corporis. *Diſt. M.* Quod eſt commune ſeparabiliter, *C.* Inſeparabiliter, *N.* Item, proprium ſecundo modo non eſt proprium. *Diſt.* Non eſt proprium ſpecificum, *C.* Non eſt proprium genericum, *N.*

Inſt. 2. Quartum vniuerſale ex Ariſt. debet dici *ad conuertentiam*, ſeu reciprocari cum ſuo ſubiecto. Atqui hoc conuenit duntaxat proprio Quarto modo. Ergo proprium Quarto modo duntaxat eſt de Quarto vniuerſali. R. Satis eſt quod proprium de Quarto vniuerſali

reciprocetur cum eo gradu eſſentiæ, quem ſequitur: quod conuenit proprio etiam ſecundo modo.

DICO III. Accidens Quinti vniuerſalis, ex definitione Porphyrij, eſt illud quod poteſt abeſſe aut adeſſe abſque interitu ſubiecti; id eſt, quod poteſt cum illo coniungi coniunctione Logicâ iudicatiuâ; aut ab eo ſeparari ſeparatione Logicâ iudicatiuâ, abſque interitu Logico ſubiecti. Hæc enim ſola eſt ratio diſtinctiua accidentis de Quinto vniuerſali, ab accidente quod ſpectat ad Quartum vniuerſale.

DISPVT.

DISPVTATIO VI.

DE ENTE SVBSTANTIALI ET ACCIDENTALI.

CAPVT I.

Natura & diuiſiones Subſtantiæ.

NOMEN *ſubſtantia* ſumitur præcipuè duobus modis: ac primò quidem impropriè pro quauis rei eſſentiâ; ſicque accidentibus etiam conuenit. Secundò propriè ſumitur pro eo genere Entis, quod per ſe ſubſiſtit, ſeu quod eſt principium ſubſiſtendi per ſe, non autem in alio tanquam in ſubiecto: diciturque etiam *ſubſtantia*, quaſi ſtet ſub accidentibus, tanquam ſubiectum eorum receptiuum; maximè vbi agitur de ſubſtantiâ creatâ. Sic Angelus, Homo, Cœlum, Lapis, Aër, & cætera eiuſmodi, ſunt entia ſubſtantialia, ſeu ſubſtantiæ, quæ diuerſarum facultatum, aliarumque perfectionum accidentalium ipſis inhærentium ſunt ſubiectum. Quare

DICO I. Subſtantia eſt ens illud, quod de ſe ſubſtat accidentibus: ſoletque hoc modo per

oppoſitionem ad accidens definiri. *Eſt ens per ſe ſubſiſtens, non autem in alio tanquam in ſubiecto inhæſionis, more accidentium.* Quo loco *perſeitas* eſt veluti conſtitutiuum *ſubſtantiæ*, quemadmodum & *accidens* per *inalietatem*, ſui quoque veluti conſtitutiuam, differt ab Ente ſubſtantiali : neque, ex communi ſententiâ, quid nobis occurrit magis illi intimum, per quod definiatur : hicque agitur maximè de ſubſtantiâ completâ. At

Dico II. Subſtantia vt ſic diuiditur in *increatam*, qualis eſt Solus Deus; tum in *creatam*. Creata verò ſubſtantia alia eſt *incorporea*, eaque ſimplex; vt Angelus; alia eſt *corporea*, vt homo, Brutum, Cœlum, Ignis, Aër, Lapis, Planta, & cætera huiuſmodi. Subſtantia corporea compoſita eſt ex partibus ſubſtantialibus ſui conſtitutiuis, quarum altera vocari ſolet *forma ſubſtantialis*, altera autem *materia prima*, quæ eſt formæ ſubſtantialis ſubiectum receptiuum, ſimulque conſtituunt totam eſſentiam *corporis*, vt vocant, *naturalis*. Item, ſubſtantia illa compoſita ex materiâ & formâ dicitur ſubſtantia ſimpliciter & *completa*; cùm è contrà, partes illius conſtitutiuæ appellentur ſolùm ſubſtantiæ *incompleta*, vt in Homine, corpus & anima. Nam ens incõpletum vulgò illud dicitur, quod eſt pars totius ſubſtantialis conſtitutiua.

Dico III. Subſtantia diuiditur prætereà ex Ariſt. in *primam* & *ſecundam*. *Primas ſubſtantias* vocat eas, quæ particulares ſunt, ſeu indiuiduæ : cùm illas appellet *ſecundas*, quæ fiunt per abſtractiuam mentis operationem formaliter vniuerſales.

Dico autem IV. Subſtantiæ primæ, ſeu indiuiduæ, ſunt primò & per ſe ſubſtantiæ ; item, ex

Ariſt. dicuntur magis ſubſtantiæ, quàm ſecundæ, quia magis ſubſtant. Primò enim ſubſtant non tantùm accidentibus, ſed etiam ſecundis ſubſtantijs, quas in ſe continent, cùm è contrà inferiores non contineantur in ſuperioribus.

Item, ſubſtantiæ proprietates ſunt. 1. Eſſe ſubiectum primum accidentium. 2. Non recipere magis minùs, vt explicatur in Phyſicâ, *vbi de intenſione qualitatum*. 3. Non habet contrarium propriè dictum; quia contraria propriè dicta ſe expellunt ab eodem ſubiecto: atqui ſubſtantia non eſt in ſubiecto, vbi ſermo eſt de ſubſtantiâ ſimpliciter, ſeu completâ. Et verò contrarietatem inter ſe non exercent diuerſæ ſubſtantiæ, niſi per accidentia oppoſita; vt Ignis & Aqua per Calorem & Frigus.

Dico V. Subſtantiæ primæ ſeu indiuiduæ & ſingulari competit eſſe *ſuppoſitum*; quod eſt eſſe ens per ſe ſubſiſtens, non in alio tanquam in ſuſtentante, ſeu ſuppoſito. Quâ ratione humanitas Chriſti Domini conſtans ex corpore & animâ rationali non dicitur ſuppoſitum, quia vnita eſt Perſonæ Verbi Domini, à quâ ſuſtentatur. Quare

Notabis 1. Varijs modis competere ſubſtantiæ ſingulari, vt non ſit in alio; maximè verò vbi agitur de ſubſtantiâ ſimpliciter, ſeu ſubſtantiâ completâ. Primò enim non eſt de ſe exiſtens in alio, tanquam in ſubiecto inhæſionis; ſicque opponitur accidenti. Etſi autem Forma ſubſtantialis ſit in Materiâ tanquam in ſubiecto; in eo tamen non exiſtit more accidentium; ſed tanquam pars totius per ſe, nempe corporis naturalis; quemadmodum docetur initio Phyſicæ. 2. Non eſt in alio tanquam in inferiori; vnde opponitur ſubſtantiæ vniuerſali. Ac tertiò

tandem, ſi non fuerit in alio tanquam in ſuppoſito ſui ſuſtentatiuo, propriamque habuerit ſubſiſtentiam, tunc propriè dicitur Suppoſitum, & per ſe ſubſiſtens. At

NOT. 2. Tò *ſubſiſtere* varias etiam habet acceptiones: primò enim idem eſt ac exiſtere & conſeruari in rerum naturâ. 2. *Per ſe ſubſiſtere*, aut *per ſe exiſtere*, idem eſt ac non eſſe in alio per modum accidentis; quâ ratione ſubſtantia omnis ſiue completa, ſiue incompleta, eſt ens per ſe ſubſiſtens; hæcque eſt definitio ſubſtantiæ; quo ſenſu ipſa etiam Humanitas Sacroſancta Chriſti Domini, vnita Verbo Diuino, dicitur nihilominus ens per ſe ſubſiſtens. 3. Denique iuxta ſignificationem huius vocis magis ſtrictam, *per ſe ſubſiſtere*, eſt exiſtere per ſe completè, & independenter ab alio vt ſuſtentante ſeu ſuppoſito, in quo ſubſiſtat. Atque hoc ſenſu ſola Suppoſita propriè *ſubſiſtunt per ſe*; ſicque humanitas Chriſti Domini non dicitur Suppoſitum, aut per ſe ſubſiſtens, quatenus dependenter à Verbo Diuino vt ſuſtentante exiſtit; vel ſi lubet, quatenus non ſubſiſtit niſi per Subſiſtentiam Verbi Diuini, non autem per propriam.

NOTABIS igitur 3. Subſtantiam, quæ ſit completa & ſingularis, ſeu indiuidua, non idcirco dici *ſuppoſitum*, aut idem eſſe ac *ſuppoſitum*. Sic enim natura Diuina eſt vna & ſingularis, in quâ tamen ſunt tria Suppoſita, quas etiam vocant *perſonas*. Item, in Chriſto Domino ſunt duæ naturæ perfectæ ſimul vnitæ, nempe Diuina, tum Humana conſtans ex corpore & animâ rationali; nec tamen in Chriſto eſt niſi vnicum Suppoſitum, ſeu Perſona. Ergo ſubſtantia, ſeu natura ſubſtantialis indiuidua, etiam

Verbum, quia vnitur, deſinit eſſe Perſona. Nec dicas in eo eſſe diſparitatem, quòd Humanitas à Verbo dependeat. Hoc enim refellitur; quia perinde Humanitas retineret ſuum *eſſe* completum extra Verbum; tamque eſſet completa ſubſtantia, quàm vbi eſt vnita Verbo: quo tamen in caſu diceretur Perſona: ergo, &c. Iam verò conſequenter;

DICO II. Subſiſtentiam in naturâ creatâ eſſe aliquam perfectionem, ſeu modum realem ab ipsâ naturâ diſtinctum realiter. *Probatur.* Quia natura poteſt realiter exiſtere, illo realiter ſublato: ergo ille modus eſt realiter diſtinctus à naturâ creatâ.

NOTANDVMQVE eſt, illud à pari de qualibet aliâ creatâ ſubſtantiâ perinde ſtatui; quia eſt par ratio; poſſuntque aliæ omnes ſubſtantiæ creatæ perinde aſſumi hypoſtaticè, ac natura humana.

CAPVT III.

Natura & proprietates Suppoſiti.

DICO I. Suppoſitum eſt ſubſtantia ſingularis completa, per ſe ſubſiſtens, & independenter ab alio vt ſuſtentante. Probatur ex doctrinâ ſuperiori.

DICO II. Ratio formaliter conſtitutiua Suppoſiti eſt ſubſiſtentia, ſeu actus ſubſiſtendi, à naturâ diſtinctus realiter: quod etiam conſtat ex ijs, quæ iam expoſuimus. At

NOT. 1. In compoſito naturali ſuam eſſe propriam ſubſiſtentiam partialem tum materiæ,

NOTABIS igitur 5. Idem ſignificare hæc omnia nomina, niſi quòd *perſona* & *hypoſtaſis* connotant naturam intellectualem. Quare ſubſiſtentia & ſubſiſtens, ſuppoſitalitas & ſuppoſitum dicuntur quidem de omni ſubſtantiâ ſingulari & completâ; perſonalitas verò & perſona ſeu hypoſtaſis tribuitur ſolùm naturæ intelligenti; ita vt *perſona* nihil ſit aliud, quàm ſuppoſitum naturæ intelligentis, vt in Diuinis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: in creatis hic Homo, & hic Angelus. Iam verò,

NOT. 6. Cùm ex iſtâ doctrinâ idem non ſint natura indiuidua, & ſuppoſitum aut perſona, vt modò explicabam; conſequens eſt, vt ſubſiſtentia, ſeu ratio ſuppoſiti aut perſonæ, aliquid ſuperaddat naturæ, quicquid tandem illud ſit. Alioquin Verbum Diuinum in Chriſto aſſumens totam atque integram naturam humanam, aſſumpſiſſet quoque perſonam humanam, ſi perſonalitas naturæ humanæ nihil eſſet præter ipſam naturam humanam: quod repugnat Diuinæ Fidei. Ergo perſonalitas ſeu ſubſiſtentia, per quam natura humana conſtituitur in *eſſe* ſuppoſiti ſeu perſonæ, eſt aliquid præter ipſam naturam.

Scotiſtæ quidem illud ſuperadditum volunt aliud nihil eſſe, quàm negationem dependentiæ huius naturæ ab alio, vt Suppoſito ipſam naturam ſuſtentante: quamobrem, inquiunt, ſi natura aliqua, putà, Chriſti Domini humanitas, relinqueretur ſibi ſola, nec ampliùs vniretur Diuino ſuppoſito, hoc ipſo, ſeu per negationem illius vnionis & dependentiæ à Diuino ſuppoſito; hoc, inquam, ipſo, diceretur per ſe ſubſiſtere, eſſetque propriè Suppoſitum & Perſona humana.

Contrarium ſentiunt Thomiſtæ omnes cum D. Thomâ. Ex recentioribus Vaſquez, Suarez, Card. de Lugo, innumerabileſque alij. Rem diſcutio.

CAPVT II.

Quidnam Suppoſitum ſuperaddat ad Subſtantiam creatam.

DICO I. Suppoſitum ſupra naturam ſingularem addit poſitiuam aliquam perfectionem; vel ſi lubet, ſubſiſtentia formaliter ſumpta eſt aliqua poſitiua perfectio in naturâ ipsâ. Sic. D. Thomas 1. p. q. 30. art. 4. diſertè ait nomen *perſonæ* non eſſe nomen *negationis*, ſed *rei*; ſatiſque clarè his verbis mentem ſuam eâ de re aperit. Ita Sancti Patres apud Suarem, & apud alios Societatis ſcriptores ferè omnes. Et verò SS. PP. vulgò docent contra Eutychetem, Perſonam Verbi Domini, quando caro factum eſt, conſumpſiſſe Perſonam humanam, non autem Naturam, quod volebat ille Hæreticus: at non rectè diceretur conſumi negatio, ſaltem eo modo, quo dicebatur ab Hæreticis conſumi natura humana: ergo perſona humana non eſt tantùm negatio. *Prob. ratione.* Quia hic homo vt hic homo, eſt formaliter ſuppoſitum; quemadmodum ſuprà aiebam ex D. Thomâ. Atqui hic homo vt hic homo, eſt quid poſitiuum; nam vt ſic eſt ens per ſe vnum; quod ſecus eueniret, ſi negatio tantùm rationem ſuppoſiti conſtitueret cum naturâ; ſiquidem natura cum negatione faceret ſolùm ens

per accidens. Vnde ſequitur Suppoſitum in ratione formali Suppoſiti eſſe quid poſitiuum.

Confir. 1. Quia conſtitutiuum Perſonæ in Diuinis eſt quid reale, non autem ſola negatio; conſtituuntur enim per Relationes reales; nec diſtinguuntur inter ſe tantùm vt negationes: quomodo nec diceretur negatio eſſe productiua Perſonæ alterius: Item, neque humanitas in Chriſto Domino ſic diceretur fuiſſe vnita ſolùm negationi, &c. Ergo à pari per proportionem dicendum eſt, perſonalitatem creatam eſſe poſitiuam, ſi non repugnet naturam creatam ſubſiſtere per aliquam ſubſiſtentiam poſitiuam. Atqui hoc non repugnat; ſic enim credimus de facto naturam humanam in Chriſto ſubſiſtere per poſitiuam ſubſiſtentiam Verbi Diuini. Item, cùm ſubſiſtentia creata ſit participatio quædam increatæ, ſequitur vt creata ſit etiam perinde per proportionem & poſitiua.

Confir. 2. Quia in omni ſubſtantiâ, putà, in naturâ humanâ, datur potentia realiter & poſitiuè perfectibilis per actum ſubſiſtendi: ergo actus ſubſiſtendi eſt aliqua perfectio poſitiua. *Prob. Ant.* 1. Quia de facto humanitas in Chriſto Domino perficitur à ſubſiſtentiâ Verbi Diuini tanquam potentiâ ab actu ipſam actuante & perficiente; alioqui Sacroſancta illa humanitas non poſſet dici perfectior ſubſtantialiter ex vnione ſui cum Verbo Diuino; ſiquidem, nihil formaliter ab alio perficitur, niſi tanquam potentia ab actu ſui perfectiuo: nec aliam ob cauſam, vt poſteà dicam, humanitas ſic vniri potuit Deo ſecundùm ipſius naturam, vt ex duabus naturis fieret vna per ſe. Quare, niſi ſupponeretur in illâ humanitate potentia per eiuſmodi ſubſiſtentiam actuabilis, Verbum

Diuinum

Diuinum non faceret cum eâ vnum per ſe ſubſtantiale: quia vnum per ſe non fit niſi ex actu & potentiâ eiuſdem generis, aut quaſi eiuſdem generis; putà, ex actu & potentiâ ſubſtantiali. Atqui Verbum Diuinum ſimul cum Humanitate in Chriſto facit vnum per ſe ſubſtantiale; ita enim habetur in Symbolo S. Athanaſij, *ſicut Anima rationalis & Caro eſt vnus Homo*, id eſt, facit per ſe vnum vnitate naturæ; ita per proportionem *Deus & Homo vnus eſt Chriſtus* vnitate Perſonæ. Vnde concludendum eſt, in Humanitate præſupponi potentiam actuabilem per aliquem ſubſiſtendi actum. Quemadmodum igitur Natura illa Humana non poteſt cum Naturâ Diuinâ facere vnum per ſe vnitate naturæ, quia eſt poſitiuè completa in *eſſe* naturæ; nec proinde habet potentiam actuabilem ab alio in *eſſe* naturæ: ita, per proportionem, niſi pariter foret in illâ Humanitate potentia actuabilis ab alio in *eſſe* Perſonæ, non poſſet facere cum illo vnum per ſe vnitate Perſonæ. Ergo, cùm de facto Humanitas in Chriſto faciat cum Verbo Diuino vnum per ſe vnitate Perſonæ; conſequens eſt, vt in eâ exiſtat potentia ad aliquem ſubſiſtendi actum, cum quo faciat vnum per ſe ſubſtantiale; ergo ille ſubſiſtendi actus eſt poſitiua aliqua perfectio, cuius vices ſuppleat Verbum Diuinum in aſſumptâ Humanitate ſubſiſtens.

Confir. 3. Quia ſi nulla hîc fuit priuatio perfectionis, cuius vices ſuppleat Diuina Subſiſtentia, ſequeretur Humanitatem illam non pendere à Verbo vt Suppoſito ſuſtentante & perficiente, ſeu complente; quia, vt docent Aduerſarij, haberet in ſe omnem realitatem ad

ſubſiſtendum per ſe neceſſariam; nec quidquam dependet ab alio in aliquâ perfectione, quam in ſe, & de ſe habet; ſiquidem, ab alio dependere in aliquâ perfectione, aliud nihil eſt, quàm ab alio habere perfectionem, ſine quo non haberet, cùm illam de ſe non habeat. Item,

Confirm. 4. Vanus & nugatorius foret ille Sanctorum Patrum & Conciliorum loquendi modus, cùm aiunt, Humanitatem in Chriſto fuiſſe aſſumptam, *non autem Perſonam.* Idem enim hoc foret, ac Naturam eſſe vnitam Verbo Diuino, non remanente negatione vnionis cum ipſo Verbo: nec eâ de re potuiſſet eſſe contentio inter viros graues: debetque ſermo eſſe de vnione ſubſtantiali; alioqui non dicerent, hîc ſuppleri Perſonalitatem creatam per ſubſiſtentiam Verbi; non enim hac ratione ſuppleri debet niſi defectus perfectionis poſitiuæ. Et verò, tam foret Perſona Humana in Chriſto, quàm *Gutta Aqua* proiecta in dolium vini, ipſique vnita, foret nihilominus, ſecundum ſe, eadem realiter *Gutta Aquæ*: quod ſonaret malè; nec differrent Aduerſarij à Neſtorio, niſi in modo loquendi. Staret enim illius doctrina, ſi admitterentur in Chriſto duæ, ſecundùm realitates proprias, Perſonæ.

Item, ſequeretur in opinione Scoti, Verbum ipſum Diuinum, poſt vnionem, non eſſe Perſonam, ſed duntaxat compoſitum ex naturâ Humanâ & Verbo, quod eſt Hæreticum. *Probatur ſequela.* Quia in Humanitate aſſumptâ, iuxta illum, remanent omnia realia, & modus realis omnis, qui reperitur in Perſonâ creatâ, & tamen deſinit eſſe Perſona, ex eo tantùm quòd vniatur; ergo à pari

Verbum, quia vnitur, deſinit eſſe Perſona. Nec dicas in eo eſſe diſparitatem, quòd Humanitas à Verbo dependeat. Hoc enim refellitur; quia perinde Humanitas retineret ſuum *eſſe* completum extra Verbum; tamque eſſet completa ſubſtantia, quàm vbi eſt vnita Verbo: quo tamen in caſu diceretur Perſona: ergo, &c. Iam verò conſequenter;

Dico II. Subſiſtentiam in naturâ creatâ eſſe aliquam perfectionem, ſeu modum realem ab ipsâ naturâ diſtinctum realiter. *Probatur.* Quia natura poteſt realiter exiſtere, illo realiter ſublato: ergo ille modus eſt realiter diſtinctus à naturâ creatâ.

Notandumque eſt, illud à pari de qualibet aliâ creatâ ſubſtantiâ perinde ſtatui; quia eſt par ratio; poſſuntque aliæ omnes ſubſtantiæ creatæ perinde aſſumi hypoſtaticè, ac natura humana.

Capvt III.

Natura & proprietates Suppoſiti.

Dico I. Suppoſitum eſt ſubſtantia ſingularis completa, per ſe ſubſiſtens, & independenter ab alio vt ſuſtentante. Probatur ex doctrinâ ſuperiori.

Dico II. Ratio formaliter conſtitutiua Suppoſiti eſt ſubſiſtentia, ſeu actus ſubſiſtendi, à naturâ diſtinctus realiter: quod etiam conſtat ex ijs, quæ iam expoſuimus. At

Not. 1. In compoſito naturali ſuam eſſe propriam ſubſiſtentiam partialem tum materiæ,

ſubſiſtendum per ſe neceſſariam; nec quidquam dependet ab alio in aliquâ perfectione, quam in ſe, & de ſe habet; ſiquidem, ab alio dependere in aliquâ perfectione, aliud nihil eſt, quàm ab alio habere perfectionem, ſine quo non haberet, cùm illam de ſe non habeat. Item,

Confirm. 4. Vanus & nugatorius foret ille Sanctorum Patrum & Conciliorum loquendi modus, cùm aiunt, Humanitatem in Chriſto fuiſſe aſſumptam, *non autem Perſonam.* Idem enim hoc foret, ac Naturam eſſe vnitam Verbo Diuino, non remanente negatione vnionis cum ipſo Verbo: nec eâ de re potuiſſet eſſe contentio inter viros graues: debetque ſermo eſſe de vnione ſubſtantiali; alioqui non dicerent, hîc ſuppleri Perſonalitatem creatam per ſubſiſtentiam Verbi; non enim hac ratione ſuppleri debet niſi defectus perfectionis poſitiuæ. Et verò, tam foret Perſona Humana in Chriſto, quàm *Gutta Aqua* proiecta in dolium vini, ipſique vnita, foret nihilominus, ſecundum ſe, eadem realiter *Gutta Aquæ*: quod ſonaret malè; nec differrent Aduerſarij à Neſtorio, niſi in modo loquendi. Staret enim illius doctrina, ſi admitterentur in Chriſto duæ, ſecundùm realitates proprias, Perſonæ.

Item, ſequeretur in opinione Scoti, Verbum ipſum Diuinum, poſt vnionem, non eſſe Perſonam, ſed duntaxat compoſitum ex naturâ Humanâ & Verbo, quod eſt Hæreticum. *Probatur ſequela.* Quia in Humanitate aſſumptâ, iuxta illum, remanent omnia realia, & modus realis omnis, qui reperitur in Perſonâ creatâ, & tamen deſinit eſſe Perſona, ex eo tantùm quòd vniatur; ergo à pari

Verbum, quia vnitur, deſinit eſſe Perſona. Nec dicas in eo eſſe diſparitatem, quòd Humanitas à Verbo dependeat. Hoc enim refellitur; quia perinde Humanitas retineret ſuum *eſſe* completum extra Verbum; tamque eſſet completa ſubſtantia, quàm vbi eſt vnita Verbo: quo tamen in caſu diceretur Perſona: ergo, &c. Iam verò conſequenter;

Dico II. Subſiſtentiam in naturâ creatâ eſſe aliquam perfectionem, ſeu modum realem ab ipsâ naturâ diſtinctum realiter. *Probatur.* Quia natura poteſt realiter exiſtere, illo realiter ſublato: ergo ille modus eſt realiter diſtinctus à naturâ creatâ.

Notandumque eſt, illud à pari de qualibet aliâ creatâ ſubſtantiâ perinde ſtatui; quia eſt par ratio; poſſuntque aliæ omnes ſubſtantiæ creatæ perinde aſſumi hypoſtaticè, ac natura humana.

Caput III.

Natura & proprietates Suppoſiti.

Dico I. Suppoſitum eſt ſubſtantia ſingularis completa, per ſe ſubſiſtens, & independenter ab alio vt ſuſtentante. Probatur ex doctrinâ ſuperiori.

Dico II. Ratio formaliter conſtitutiua Suppoſiti eſt ſubſiſtentia, ſeu actus ſubſiſtendi, à naturâ diſtinctus realiter: quod etiam conſtat ex ijs, quæ iam expoſuimus. At

Not. 1. In compoſito naturali ſuam eſſe propriam ſubſiſtentiam partialem tum materiæ,

tum formæ ſubſtantialis, ex quibus conflatur totalis ſubſiſtentia compoſiti. Certè, in triduo mortis, Verbum Diuinum ſubſiſtebat nihilominus tum in corpore, tum ſimul in animâ Chriſti ſeparatâ; *quod enim ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*: ergo partes illæ hominis ſingulæ ſuum habent ſubſiſtendi actum, quem eo in caſu ſupplebat Verbum Diuinum, tum in corpore, tum in animâ Chriſti Domini ſubſiſtendo. Quanquam

NOT. 2. Non idcirco vel corpus, vel animam ſeparatam cum ſuo ſubſiſtendi actu dici aut Suppoſitum, aut Perſonam; quia ſic per ſe ſubſiſtunt duntaxat incompletè: at propriè ſuppoſitum eſt completa ſubſtantia; nec ſubſiſtendi actus denominat ſuppoſitum, niſi eam ſubſtantiam, quæ completa ſit, putà, vel hominem, vel Angelum, &c. Ita Suarez *Diſput.* 14. *ſ.* 5. *n.* 59. Item,

NOT. 3. Subſiſtentiam eſſe vltimum naturæ ſubſtantialis complementum ac terminum: quia, illâ poſitâ, nihil in eâ ampliùs ſupereſt, vnde perficiatur in ratione ſubſtantiæ. Item, ſubſiſtentia creata ſic terminat ſubſtantiam, vt illam reddat alteri incommunicabilem, non tantùm vt ſubiecto, more accidentium, ſed etiam vt Suppoſito à quo ſuſtentetur, quâ ratione Humanitas in Chriſto Domino ſuſtentatur à Verbo Diuino. Sic enim dicitur *ſuſtentari*, quia, connaturaliter ſaltem loquendo, non poteſt ſubſtantia exiſtere ſine huiuſmodi actu ſubſiſtendi vt complemento; vel ſaltem ſine alio ſuppoſito vices illius supplente. Item, ſubſiſtentia creata dicitur alteri incommunicabilis, quia ſic modificat ac terminat hanc numero ſubſtantiam, vt alteri præſtare illud

officium nequeat. Nam ea eſt naturà modificationis omnis creatæ, vt de ſe non habeat ordinem, niſi ad hoc vnum duntaxat; vt ſuo loco iam diximus. Ex quò fit, vt nulli Enti creatò poſſet alia natura vniri hypoſtaticè: ſolumque hoc habent Diuinæ Perſonæ pro ſuâ infinitate, vt naturas quaſcunque alias creatas terminare poſſint. Neque etiam repugnat, vt eadem natura terminetur ſimul tum ſubſiſtentiâ propriâ, tum ſimul Diuinâ. Ita Suarez iunior. *Tom. 4.* Curſus Philoſophici; multique alij quos citat. Nec dicas, ideo SS. Patres inferebant contra Neſtorium, non eſſe in Chriſto ſubſiſtentiam creatam, quia ſubſiſtebat per Diuinam. ℞. optimè illud inferri à SS. Patribus; quia ſine nouo miraculo non poteſt reperiri multiplex eiuſmodi ſubſiſtentia in eadem naturâ creatâ; fruſtra autem fieret nouum eiuſmodi miraculum, nec conſtat fuiſſe factum: imò locutiones Scripturæ Sacræ & SS. Patrum ſatis oſtendunt vnicam duntaxat in Chriſto reperiri ſubſiſtentiam Diuinam. His autem poſitis;

Not. 4. In Homine v. g. duplex eſſe genus perfectionum: aliæ enim dicuntur *naturales*, id eſt, quæ ſpectant tum ad eſſentiam illius conſtituendam, tum ad eius facultates operatiuas, cæteraſque id genus: quò etiam reuocatur exiſtentia, per quam ipſa natura intelligatur eſſe actu in rerum naturâ. Secundò autem, ex illis hominis perfectionibus aliæ dicuntur *perſonales*, quæ ſcilicet ad ipſum Perſonæ conſtitutionem attinent. Sicque etiam in homine duplex eſt actus; primus quidem *eſſentiæ*, qualis eſt anima rationalis: alter verò *perſonæ*, qui eſt ipſa ſubſiſtentia. Quod per proportio-

nem dicendum eſt de alijs ſuppoſitorum generibus.

DICO III. Probabilius eſt actum hunc ſubſiſtentiæ creatæ ſimul prodire à causâ ipſius ſubſtantiæ productiuâ; quia videtur minùs probabile, quòd ſubſtantia dicatur emanare ex ſeſe ſubſtantialem actum, quo tandem vltimò compleatur in genere ſubſtantiæ.

DICO IV. Subſiſtentia non habet quidem proprium & immediatum influxum phyſicum in actiones Suppoſiti. Probantque illud Theologi de Deo, in quo tota ratio agendi eſt natura ſeu voluntas Diuina; quam ob cauſam operationes Dei ad extra dicuntur eſſe indiuiſæ in Trinitate, quomodo ipſa natura, voluntas & potentia eſt indiuiſa in Tribus perſonis. In creatis autem natura ipſa, cum potentijs illi ſuperadditis, eſt ſufficiens principium operationis eliciтiuum. Quâ ratione Humanitas in Chriſto habuit integrum ac totale principium humanarum operationum. Neque enim Verbum vt ſupplens vices creatæ ſubſiſtentiæ in eas effectiuè influit: huic enim doctrinæ, vt iam aiebam, repugnat axioma illud Theologicum; *actiones Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa & communes Tribus perſonis*. Quanquam

DICO V. Cum Suario *in Metaph. Diſp.* 34. *ſect.* 7. *n.* 10. Subſiſtentia creata non merè concomitanter ſe habet ad eiuſmodi actiones, ſed antecedenter: nec merè per accidens, ſed per ſe ex parte agentis; eſtque in eo conditio, connaturaliter ſaltem, ad agendum neceſſaria: etſi, vt dixi, non eſt actiua. *Prob.* Quia nihil eſt actiuum, ſeu communicatiuum ſui, niſi quando perfectum eſt. At ſubſtantia creata nondum perfecta intelligitur, niſi cùm habet

ſum illud complementum vltimum. Dixi *connaturaliter*, quia abſtraho ab eorum ſententiâ, qui docent Naturam poſſe Diuinitùs conſeruari & agere ſine ſubſiſtentiæ modo illi ſuperaddito. At

NOTABIS 1. Huc referri commune illud effatum, *actiones ſunt Suppoſitorum*. Quia non ſunt à naturâ niſi vt ſubſiſtente & vltimò perfectâ. Item, quia etiam ex communi vſu loquendi, vel ipſarum partium propriæ operationes denominatiuè tribuuntur toti, etſi elicitiuè ſint tantùm illarum partium. Quo pacto non dicuntur pedes ambulare, digiti cytharizare, aut oculus videre; &c. niſi *vt quo*, ſed tantùm Homo ſecundùm illas partes agit *vt quod*. Ita Ariſt. 2. de Anima. *Meliùs*, inquit, *dicitur non Animam diſcere, aut ratiocinari, ſed Hominem Animâ*. Ita Chriſti Domini operationes humanæ dicuntur etiam Diuinæ, & *Theandricæ*, quia hoc modo ſunt à Suppoſito Diuino, à quo dignitatem & valorem infinitum trahunt.

NOTANDVMQVE eſt 2. Illas Chriſti Domini operationes humanas, tribui quidem Suppoſito *vt quod*; dici nihilominus eſſe à naturâ humanâ, ſaltem *vt quo*: alioqui non dicerentur *humanæ*. Item, dicuntur eſſe à Chriſto vt ab *Homine*, non tamen tanquam ab humano ſuppoſito, ſed quia hoc modo ſunt à naturâ humanâ ſubſiſtente.

NOTABIS autem 3. Naturam humanam, vt ſubſiſtentem, dici *hominem*, quo pacto Chriſtus Dominus dicitur eſſe ſimul *Deus* & *Homo*. Verùm, non idcirco τὸ *Homo* hoc loco ſignificat ſuppoſitum humanum. Nam ad hoc deberet dici natura humana non tantùm *ſubſiſtens*,

ſed etiam *per ſe* ſubſiſtens, cùm tamen non ſubſiſtat, niſi per ſubſiſtentiam Diuinam. Nec dicitur *Homo* aſſumptus à Verbo; quia tunc *Homo* ſupponeretur pro naturâ humanâ *per ſe ſubſiſtente*; ſicque eſſet falſum. Etſi enim, quod multi aiunt, non repugnet naturam humanam retinere propriam ſubſiſtentiam ſimul cum Diuinâ, illam tamen de facto non retinuit in Chriſto, vti quidem habemus ex doctrinâ Fidei; & fruſtra retineretur propria, vbi maximè per aliam ſublimioris ordinis ſuppletur.

DICO VI. Contra Capreolum, aliaſque recentiores Thomiſtas; Subſiſtentiam non eſſe idem cum exiſtentiâ propriè dictâ; quam exiſtentiam idcirco volunt eſſe diſtinctam realiter ab eſſentiâ, vt obſeruauimus *Diſp.* 3. *c.* 4. *Prob.* Quia, vt inquit iam eam in rem citatus Suarez, non poteſt intelligi, quomodo rès aliqua ſit in ſe ens actu formaliter per alienam entitatem ipſi vnitam: nam repugnat omnino rem actu eſſe formaliter per aliud *eſſe*, quàm per ſuum: ergo exiſtentia non eſt realiter diſtincta ab eſſentiâ; cùm tamen, ex dictis, ſubſiſtentia diſtinguatur realiter. Ergo non ſunt idem exiſtentia & ſubſiſtentia. Item, habent effectus formales diuerſos; nam exiſtentia conſtituit rem in ratione Entis actu: ſubſiſtentia verò communicat vltimam Enti exiſtenti perfectionem, vnde per ſe exiſtat independenter ab alio vt ſuſtentante, ſeu ſuppoſito. Item, Antichriſtus dicitur eſſe perſona quædam futura & nondum exiſtens: ergo ſic excluditur exiſtentia à conceptu ſuppoſiti, ſiquidem hac ratione concipitur Perſona Antichriſti, excluſâ ab eo exiſtentiâ. Item, vbi Thomiſtæ conſe-

quenter ad ſua illa principia docent Humanitatem in Chriſto non exiſtere niſi per exiſtentiam Verbi Diuini; ſequeretur, Angelum ſeu Dæmonem, cùm de ſe & naturaliter, intuitiuo & proprio conceptu videret exiſtentem Chriſti Humanitatem, vidiſſe ſimiliter & exiſtentiam illam Diuinam, per quam formaliter exiſtere ſupponitur, quo pacto, per proportionem, non poteſt videri album, niſi viſâ albedine. Atqui falſum eſt illud conſequens: nam Angelus, vi ſuâ naturali, non poteſt proprio conçeptu & intuitiuo attingere Diuinam exiſtentiam, &c.

Obijc. Non aliam ob cauſam ſæpe aiunt SS. PP. Humanitatem Chriſti Domini exiſtere in Verbo, aut in ſe non habere exiſtentiam, ſed tantùm in Verbo; niſi quia ſupponunt exiſtentiam per ſe, & ſubſiſtentiam eſſe idem. ℞. Exiſtentiam per ſe, cùm latè ſumitur, confundi cum ſubſiſtentiâ. Neque verò diſputarunt Sancti Patres de diſtinctione exiſtentiæ, per quam natura fieret formaliter exiſtens; cùm ſola Quæſtio aduersùs Neſtorianos eſſet de ſubſiſtentiâ.

Inſt. 1. Subſiſtentia & exiſtentia propriè dicta habent eaſdem proprietates & eoſdem effectus formales. ℞. Huius inſtantiæ falſitas patet ex doctrinâ iſtius Aſſertionis. Nec rectè Aduerſarij ſupponunt exiſtentiam propriè dictam eſſe vltimum naturæ ſubſtantialis terminum, cùm illud potiùs competat ſoli ſubſiſtentiæ.

Inſt. 2. Non poſſet explicari, quomodo B. Virgo ſit Mater Dei, niſi quia cauſalitas illius terminata eſt ad Chriſti Domini exiſtentiam, quam proinde oportuit eſſe eandem cum Diuinâ ſubſiſtentiâ. ℞. Ideo B. Virgo eſt Mater

Dei, quia per ſuam cauſalitatem formaliter attigit vltimam diſpoſitionem ad Animam rationalem, vnde conſtitueretur illa Humanitas, quæ loco propriæ ſubſiſtentiæ accepit Diuinam, quâ ratione B. Virgo terminatiuè attigit Hominem Deum, & facta eſt propriè Dei Mater: neque enim generatio huiuſmodi terminatur niſi ad ſuppoſitum. Quare

NOT. 1. Quemadmodum accipiendum illud ſit, quod vulgò aiunt, non reperiri in Chriſto niſi *vnum eſſe*, nimirum *eſſe* ſubſiſtentiæ. Item,

NOT. 2. Negandum eſſe illud, quod ſupponunt Thomiſtæ de exiſtentiâ, tanquam de vltimo termino generationis; cùm illud potiùs ſit attribuendum ſubſiſtentiæ, quæ ſola verè & propriè eſt vltimus indiuiduæ ſubſtantiæ terminus. Item,

NOT. 3. Non eſſe mirum, quòd in hac Quæſtione ſermo tam frequens ſit de myſterijs Fidei; quia non aliunde à nobis petuntur principia & argumenta, quibus ſtatuatur hæc doctrina.

CAPVT IV.

Obiectiones contra ſuperiorem doctrinam de diſtinctione Subſiſtentiæ.

OBIIC. 1. Habemus ſæpe ex SS. PP. Suppoſitum Hominis non eſſe quid diſtinctum ab homine. C Quia τὸ *homo* propriè loquendo dicit ipſum ſuppoſitum, ſeu naturam humanam ſubſiſtentem.

Inſt. 1. Hæc affertur ex Boëtio communis perſonæ definitio. *Eſt rationalis naturæ indiuiduæ ſubſtantia*. Sic autem manifeſtè inſinuat Perſonam aliud nihil eſſe, quàm ipſam ſubſtantiam indiuiduam; ſiquidem huius tantùm meminit. ℟. Boëtium non loqui niſi de *Perſonâ*, cuius diſcrimen vt ab aliâ ſpecie ſuppoſiti afferat, dicit eſſe rationalis ſeu intellectualis naturæ indiuiduam ſubſtantiam: cùm tamen non neget, *Perſonam* in ratione *Perſonæ* conſtitui per modum aliquem realiter ſuperadditum.

Inſt. 2. Ex D. Th. non diſtinguitur in Angelo: ergo à pari nec in Homine, aut in alijs ſubſtantijs; quia non eſt potior ratio vnius quàm alterius. ℟. D. Thomam Quodlib. 2. a. 4. ſcribere expreſsè Naturam & Suppoſitum diſtingui in Angelis à parte rei; perinde ac docuit varijs locis de ſubſtantiâ materiali v.g. de Homine. Quare ne dicatur ſibi contradicere. ℟. Sic loqui D.Thomam, quatenus Suppoſitum ſumit aliquando pro Indiuiduo, quale Indiuiduum, quoad nos, vult conſtitui per quantitatem & alia accidentia ſenſibilia, ſeu per *materiam ſignatam*, à quibus diſtinguitur Suppoſitum, vt loquitur, ſeu Natura ipſa ſecundùm ſe ſumpta: hoc autem non reperitur in Angelis, quamobrem, vt inquit, hæc ratione non differunt Indiuiduo. Item, ℟. 2. Ab eo etiam Totum Phyſicum vocari Suppoſitum. At ſupponit totum eiuſmodi eſſe quid realiter diſtinctum à ſuis partibus ſiue diſtributiuè, ſiue, vt aiunt Thomiſtæ, collectiuè ſumptis: quod in ſubſtantijs immaterialibus nequit contingere. Non inde tamen ſequitur ſubſiſtentiam, quæ eſt ratio conſtitutiua Suppoſiti, pro-

priè & formaliter ſumpti, eſſe indiſtinctam ab Angelo.

Obijc. 2. Suppoſitum nihil eſt aliud, quàm natura indiuidua per ſe ſubſiſtens. Atqui hoc ipſo quòd natura ipſa indiuidua habeat negationem vnionis cum alio ſuſtentante, id eſt, quòd non exiſtat in alio vt ſuppoſito ſui terminatiuo; hoc ipſo, inquam, neceſſe eſt, vt ſit per ſe ſubſiſtens; quia, in eâ hypotheſi, non ſubſiſtit per aliud, cùm tamen verè ſubſiſtat. Vnde colligere eſt, rationem Suppoſiti nihil addere ſupra indiuiduam ſubſtantiam, niſi negationem vnionis cum alio. *Conf.* Sic poſſe naturam exiſtere extra alienum Suppoſitum, ſublato etiam omni ſubſiſtentiæ modo ſuperaddito: quia nihil implicat ſubſtantiam aliquam indiuiduam conſeruari à Deo ſine illo ſubſiſtentiæ modo; ſiquidem eſt tantùm conſequens ad ſubſtantiam ſingularem, à quâ vulgò aiunt emanare; Item, quia eſt tantùm accidens, cùm ſit extra rei eſſentiam; at poteſt conſeruari omne ſubiectum ſine accidente illi realiter ſuperaddito: ergo fruſtra eſt ille modus ſubſiſtentiæ. ℞. 1. Non eſſe accidens, quamuis ſit extra rei eſſentiam, ſed modum aliquem ſubſtantialem, Naturæ ſubſtantialiter perfectiuum. ℞. 2. Non eſſe certum, an emanet à ſubſtantiâ ſingulari, an potiùs, vt alij probabiliùs putant, in eâ comproducatur ab agente ipſius ſubſtantiæ ſingularis productiuo. Sed eſ de re quicquid ſit. ℞. 3. Non eſſe etiam certum, an ſubſtantia ſingularis poſſit eſſe abſque omni ſubſiſtentiâ; quòd ille ſubſiſtentiæ modus non videatur eſſe ſine neceſſitate. Sed tranſeat quoque iſtud. ℞. 4. In allatâ hypotheſi, ſubſtantia ſingularis non eſſet ſubſiſtens, ſeu non haberet

rationem Suppoſiti, ac proinde nec foret connaturaliter operatiua, ſed tantùm ex ſpeciali concurſu Diuino; quia non haberet perfectionem omnem ſibi debitam, &c.

Inſt. 1. Cùm vna aqua v. g. vnitur alteri aquæ, ex eo præcisè deſinit eſſe tale ſuppoſitum, ſine vllâ detractione modi alicuius ſubſtantialis; fitque ex duabus nouum Suppoſitum, ſine additione nouæ ſubſiſtentiæ: ergo à pari, ex eo præcisè, quòd v. g. Humanitas Chriſti Domini vniatur Diuino Suppoſito, deſinet eſſe Suppoſitum. ℞. *Nego parit.* Nam duæ aquæ ſic continuatæ, retinendo propriam ſibi partialem ſubſiſtentiam, fiunt vnum totale Suppoſitum continuum; nec vna aqua ſubſiſtit per ſubſiſtentiam alterius, quomodo Humanitas ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi Diuini.

Inſt. 2. Non poſſet aſſignari effectus formalis illius ſubſiſtentiæ in ſubſtantiâ ſingulari: ergo nulla eſt. ℞. 1. Sæpe id contingere, vt quamuis certi ſimus de exiſtentiâ modi, aut formæ alicuius, non conſtet tamen de illius effectu formali. Quanquam illi quæſtioni ex doctrinâ capitis ſuperioris abundè ſatisfieri poteſt: ſatiſque eſt, ſi dixerimus completam ſubſtantiam hac ratione conſtitui formaliter in ratione Suppoſiti.

Inſt. 3. Si ſubſiſtentia eſt aliqua perfectio poſitiua in homine, ipſique connaturalis; humanitas in Chriſto Domino priuaretur perfectione aliquâ ſibi connaturali; nec Verbum Diuinum per Incarnationem aſſumpſiſſet humanitatem perfectam, cùm tamen vulgò doceant SS. PP. aſſumpſiſſe, *quitquid plan auit in Adamo*, id eſt, perfectiones omnes eas, quæ

reperiuntur in homine. R. Diſtinguendum eſſe diligenter hoc loco inter perfectiones *perſonales*, tum inter *naturales*, id eſt, quæ pertinent ad naturam. De naturalibus accipiendi ſunt Sancti Patres, non de perſonalibus, qualis eſt ſubſiſtentia; etſi autem Sacroſancta Humanitas in Chriſto propriâ deſtituatur, longè perfectiori modo ſuppletur eius defectus per Diuini Verbi ſubſiſtentiam.

****

Capvt V.

De Accidente.

Accidens & *accidentale* illud plerumque dicitur, quod in re eſt extra illius eſſentiam, quanuis in ſe ſit ſubſtantia. Hîc autem agimus de eo genere Entis quod opponitur ſubſtantiæ; vt ſicut illa eſt ens per ſe, & in ſe exiſtens; ita accidens, è contrà, ſit ens quòd de ſe non exiſtat niſi inhærendo ſubſtantiæ: cuiuſmodi eſt Frigus in Aquâ, aut Calor in eâ productus eum deſtructione frigoris oppoſiti. Quomodo etiam Fides docet Species Euchariſticas eſſe accidentia Panis & Vini ab ipſis realiter ſeparata.

Dico autem I. Accidens ſic vulgò definiri. Eſt ens, quod de ſe non exiſtit niſi in alio, tanquam in ſubiecto inhæſionis, non vt pars; vt Calor, Frigus, Albedo, &c. Quare, primò, differt à ſubſtantiâ per ſuam eiuſmodi *inalietatem*, vt vocant. Item, differt à formâ ſubſtantiali, quæ recipitur quidem in materiâ primâ, tanquam in ſubiecto, ſed eſt pars totius per ſe, & ſubſtantialis.

NOTANDVMQVE eſt, non eſſe quidem de eſſentiâ Accidentis, vt actu ſubiecto inhæreat; nam de facto accidentia Euchariſtica exiſtunt ſupernaturaliter extra omne ſubiectum: quanuis de ſe, ſeu ex naturâ ſuâ exigant inhærere ſubjecto. Quare ſtatuendum eſt, exigentiam inhærendi, vel ſi lubet, aptitudinalem inhærentiam eſſe duntaxat de eſſentiâ Accidentis.

NOTABIS verò 2. Per modum eſſendi aliquem realiter diſtinctum, habere omne accidens, vt determinetur ad inhærendum tali, aut tali ſubiecto; quem eſſendi modum vulgò appellant alij *actualem inhærentiam*. Quanquam modus ille non eſt actualis inhærentia, niſi *cauſaliter*, non autem formaliter; cùm forma accidentalis per ſuam immediatè entitatem ſubjecto vniatur; quemadmodum per proportionem dicitur de vnione Formæ ſubſtantialis *in Phyſicâ Vniverſ. Tract. 1. Diſp. 4. c. 2.*

DICO II. Definitur quoque Accidens, *Entis ens*, id eſt, *ſubſtantiæ ens*: quia non eſt ens niſi per ordinem ad Subſtantiam, aut propter Subſtantiam, cui inhæreat, vel tanquam virtus ad agendum, vel alium in finem. Quare Accidens dependet eſſentialiter à ſubſtantiâ, non ſolùm tanquam à ſubiecto, cui inhæreat, & ſine quo non poſſet naturaliter ſaltem exiſtere; ſed etiam tanquam à cauſâ finali; quatenus videlicet nullum foret accidens, eſſetque impoſſibile, ſi eſſet impoſſibilis ſubſtantia. Sicque Accidens participat tantùm rationem Entis per poſterius ad Subſtantiam. Quam ob cauſam, iuxta Ariſt. 3. *Metaph. c.* 2. eſt ens deterius, quàm ſubſtantia, id eſt, minùs perfectum in ratione Entis; neque eſt æquè ens, vt ſæpe loquitur D. Thomas. At

DICO III. Accidens aliud eſt, quod appellant *Phyſicum*, aliud autem *Metaphyſicum*. Phyſicum eſt illud, quod habet propriam entitatem, ſeu realitatem diſtinctam à realitate ſui ſubiecti; ideóque vocari ſolet & Accidens *entitatiuum*; cuiuſmodi eſt Calor, Frigus, &c. quæ dicuntur Accidentia Phyſica, quia ſolent eſſe proprietates Corporis Phyſici, & ſunt Phyſicæ conſiderationis. Alia autem maximè pertinent ad Metaphyſicam, quæ non habent propriam entitatem ſeu diſtinctam à realitate ſubiecti, vt poſteà dicetur de *Relatione*; ſolentque potiùs dici *formalitates*, quàm *formę* accidentales.

NOTABIS autem, Accidens entitatiuum, aliud eſſe proprium ſubſtantiæ materialis, per quod habet extenſionem diuiſibilem in partes, & occupatiuam loci, cum trinâ dimenſione in longum, latum, & profundum: cuiuſmodi accidens vocatur *Quantitas*. Aliud verò eſt accidentis genus, quod ſequitur ad formam ſubſtantialem, cuiuſmodi etiam duntaxat reperitur in ſubſtantijs immaterialibus, & dicitur *Qualitas*: quæ *Qualitas* vel materialis eſt, vt Calor, Frigus, Lux, Color, &c. vel eſt immaterialis, quæ afficit ſubſtantias immateriales, vt Facultas ſeu Potentia intellectualis, Scientia, cæteræque innumerabiles aliæ, quarum genera nonnulla deſcribemus in Categoriâ Qualitatis. Item prætereà,

NOT. 2. Accidens aliud eſſe *naturale*, quod rerum naturalium eſt proprium; poteſtque à cauſis naturalibus ex naturæ communi ordine produci. Aliud autem, ex ſuperiori Diſp. 2. c. 3. vocatur *ſupernaturale*, quod eſt ſupra exigentiam Naturæ, & à ſolo Deo, tanquam à cauſâ principali produci poteſt: vt qualitas Gratiæ ſanctifican-

ſanctificantis, & habitus virtutum ſiue Theologicarum, ſiue Moralium, quas aut præſupponit, aut annexas habet. Item,

Not. 3. Dicitur quoque & *naturale* accidens, quod ſubiecto conuenit per principia ipſius ſubiecti intrinſeca, vel eſſentialia, vel ſaltem indiuiduantia; vt calor in Igne, Lux in Sole. Dicitur etiam *radicatum* in ſubiecto; quòd ab ipſo emanet conſerueturque, vnde & naturaliter ſeparari ab illo non poteſt. Contrà autem alia ſunt accidentia, quæ hoc pacto non ſunt naturalia ſuo ſubiecto, ſiue illius perfectiua ſint, vt Lux in aëre; ſiue illius corruptiua, vt calor in ligno, in aquâ, &c. dicunturque exiſtere in ſuo ſubiecto modo quodam *intentionali*; id eſt, eo per proportionem modo, quo ſpecies intentionales exiſtunt in ſuo ſubiecto, à quo non conſeruantur, ſed potius conſeruati debent per influxum agentis extrinſeci. Item,

Not. 4. Omne accidens habere ſemper connaturalem exigentiam determinati alicuius ſubiecti; quanuis ab illo ſubiecto naturaliter non exigatur. Sic enim v. g. ipſa viſio beatifica & lumen gloriæ de ſe poſtulant eſſe non in alio ſubiecto, quàm in intellectu, &c. Item, quemadmodum potentia v. g. viſiua oculi corporei, aut intellectus, non poteſt ferri extra obiectum ſuum, vt dictum eſt in Phyſicâ Vni. *Diſp. de Natura & diuiſionis cauſæ efficientis, cap. 2. ſub finem*, ita, per proportionem, ex naturâ ſuâ determinatur ad certum genus ſubiecti, vt in alio nequeat conſiſtere, ſaltem connaturaliter, aut effectum formalem illi conferendo. Quia habitudo accidentis ad ſubiectum tam illi eſt eſſentialis, quàm ad obiectum. Quanquam

NOT. 5. Non repugnare abſolutè, quominus ſic accidens ſpirituale in ſubiecto corporeo inhæreat, eo per proportionem modo, quo Anima rationalis inhæret ſubſtantialiter materiæ. Et è contrà, accidens corporeum ſic etiam per proportionem, mortuo veluti ſaltem modo, & abſque vllo effectu formali poſſet exiſtere in ſubiecto ſpirituali, totum in toto, & totum in qualibet ipſius ſubiecti parte; non enim repugnat rem corpoream ſic exiſtere indiuiſibiliter, vt de facto contingit in Corpore Chriſti Domini poſito ſub ſpeciebus Euchariſticis; neque verò eâ neceſſitate accidens eſt determinatum ad exiſtendum in tali ſubiecto, quâ determinatum eſt ad producendos tales actus. Ratio eſt, quia longè pauciora requiruntur ad exiſtendum in ſubiecto aliquo, quàm ad agendum; nihil enim aliud requiritur ad exiſtendum in ſubiecto, niſi vt ad illud per certum *eſſendi* actum determinetur. Verùm, vt eleuetur ad agendum, debet habere potentiam ſaltem inchoatam, vt dixi, qualem non habet potentia v. g. viſiua, ad percipiendos odores, aut ad eliciendam intellectionem. At omne ſubiectum habet vt poſſit recipere accidens vt ſic; & accidens vt pariter illi poſſit inexiſtere.

NOT. 6. In ijs, quæ ſunt accidentia propria ſubiecti alicuius, ſeu veluti proprietates quædam ſiue Phyſicæ ſiue Metaphyſicæ; in ijs, inquam, conſiderari ordinem generationis quendam, ex quo ordine petitur etiam Demonſtrationum ordo. Quod etiam obſeruare eſt & in rebus ſubſtantialibus; vt quando ex ſpiritualitate Animæ rationalis probatur eius Immortalitas, quæ eſt attributum veluti conſequens ad ſpiritualitatem, &c.

DISPVTATIO VII.

ENTIS ANALOGIA AD SVBSTANTIAM ET ACCIDENS, &c.

CAPVT I.

Quæ præſupponi debent de vnitate Entis abſtracti.

ENs ſumi poteſt duobus modis. Primò, adæquatè, pro eo omni quod opponitur nihilo. Quo ſenſu, apud Ariſt. *ens* ſignificat immediatè multa, aitque *ens ſtatim eſſe ſubſtantiam, quantitatem*, &c. Secundò verò ſumitur inadæquatè pro Ente vt ſic, quatenus abſtrahit à quolibet Ente in particulari, quocunque modo dicatur ab eo abſtrahere: eſtque illud quod concipimus audito nomine *entis*, & quod eſt prædicabile de alijs. Item, ens illud vt ſic vocari ſolet impropriè *conceptus obiectiuus Entis*, quatenus eſt obiectum illius conceptus formalis & propriè dicti, per quem intellectus ſibi repræſentat *ens vt ſic*, ſeu rationem communem in quâ conueniunt omnia Entia. Quæ-

ritur autem, quomodo *ens vt ſit*, ſeu conceptus ille obiectiuus Entis, abſtrahat ab inferioribus, & quam habeat vnitatem. At

Dico I. Conceptus ille obiectiuus *Entis* eſt aliqua diſtincta ratio abſtracta ab omnibus ipſius inferioribus. *Prob.* Poteſt enim quis cognoſcere clarè & diſtinctè lumen v. g. eſſe *ens*, ſeu habere id in quo conueniunt ea omnia quæ ſunt *ens*, illudque certò demonſtrare; neſciens tamen, vtrum ſit vel ſubſtântia, vel accidens; nec proinde ſubſtantiæ, aut accidentis conceptum vllum habens. Ergo ens vt ſic, eſt diſtincta aliqua ratio præciſa ab inferioribus. Item, ratio illa Entis vt ſic pauciora dicit, quàm ſubſtantia & accidens, aut Deus & creatura; ergo ab illis abſtrahit, & conſequenter de ſe neque eſt ſubſtantia, aut accidens: nec Deus aut creatura: quomodo per proportionem animal vt ſic abſtrahens ab Homine & Equo, de ſe neque eſt Homo, neque Equus, &c. Quanquam

NOTABIS cum Suare in Metaph. *Diſput.* 2. poſſe vnum ab inferioribus abſtrahi duobus modis. Primò, *perfectè* & *adæquatè*; quia ſcilicet abſtrahit ſecundùm aliquem gradum præciſum à differentijs, quas, vt aiunt, perfectè relinquat; quomodo animal abſtrahit à rationali & irrationali, quæ ſunt extra illius eſſentiam, nec poteſt alterum formaliter prædicari de altero: quamobrem etiam abſtractio illa dicitur mutua.

At ſecundò, vnum ab inferioribus poteſt abſtrahi *imperfectè* & *inadæquatè*, ſi non ſit aliquis eiuſmodi gradus præſcindens à differentijs. Et verò, vt ſæpe docet D. Thomas, cùm differentiæ *Entis vt ſit*, non ſint extra eſſentiam

ipſius Entis, quia non ſunt nihil; *ens vt ſic* abſtrahens à ſubſtantia & accidente, non abſtrahit ſecundùm aliquem gradum ab eorum differentijs præciſum, vnde illas relinquat. Imò, vt poſteà dicam, ſubſtantia ſe tota eſt ens, & accidens pariter ſe toto eſt ens, ſeu ſimpliciſſima ratio Entis, non habens in ſe Genus & Differentiam, aut graduum diuerſorum obiectiuam præciſionem, qualem expoſui. *Diſp.* 2. ſ. 1. Quare ſubſtantia & accidens ſe totis perfectè & ſimpliciter opponuntur, dicunturque *primò diuerſa*, cùm aliunde tamen imperfectè ſaltem & ſecundùm quid, ſe totis etiam conueniant in eo quòd ſint *ens*, ſeu quòd opponantur nihilo. Atque his ſuppoſitis;

Dico II. Ens ab inferioribus non abſtrahit perfectè, ſeu adæquatè, id eſt, ſecundùm aliquem eſſentiæ gradum præciſum à differentijs quas relinquat, ſiquidem propter tranſcendentiam ſuam includitur ſeu imbibitur formaliter in eo omni quod reale eſt. Quare

Dico III. Ab inferioribus non abſtrahit niſi imperfectè & inadæquatè, ſeu ſecundùm quid; quatenus, ex noſtro imperfecto cognoſcendi modo, rationes proprias ſubſtantiæ & accidentis, Dei & creaturæ non penetramus, ideóque nobis tantùm repræſentamus rationem Entis vt ſic, in quâ ſaltem ſecundùm quid & imperfectè conueniunt. Quanquam nihilominus;

Dico IV. *Ens vt ſic*, eſſe perfectè vnum & ſimplex, nec ſignificare multa. *Prob.* Quia in eo conceptu nulla apparet diuerſitas: alioquin, audito nomine *Entis*, non quieſceret animus, dum explicaretur, quo ſenſu accipiendum foret;

pectiuè ad Hominem, Equum, Leonem, &c. Ergo, vt *ens* foret vniuocum, deberet eodem modo ſe habere ad inferiora: at iſtud verum non eſt. Nam primò, *animal vt ſic* perfectè abſtrahit à differentijs, quæ & mutuam ab eo præciſionem habent. Item, æquali cum perfectione repetitur in ſuis inferioribus; neque vnum animal dicitur alio perfectius, niſi ratione differentiæ ſpecificæ. Hæc autem *Enti vt ſic* non conueniunt. Nam primò, quamuis *ens* abſtrahat à differentijs, poſſetque ſine illis concipi; differentiæ tamen ab eo non abſtrahunt, nec poſſunt ſine illo concipi, cum ſint eſſentialiter ens. Item, *ens* æquali cum perfectione in ijs non includitur: nam ſubſtantia, quatenus ſubſtantia, perfectiori modo eſt ens, quàm accidens ſecundùm rationem accidentis vt ſic. Item, Deus in ratione Entis infinitè perfectior eſt, quàm creatura, quatenus ipſa eſt ens; nam creatura in ratione Entis eſt eſſentialiter dependens & finita; ſiquidem in ratione Entis eſt à Deo, non autem à ſe. Item, ſi ens eſſet vniuocum v. g. ad Deum & creaturas, illud eſſet genus ad Deum & creaturas; ergo Deus eſſet ſub genere, intelligereturque in Deo compoſitio aliqua ex genere & differentiâ. Atqui falſum eſt iſtud conſequens, vt ſequenti Diſput. oſtendam, vbi de Categoriâ ſubſtantiæ. Ac denique tandem, ſi *ens* eſſet vniuocum, contraheretur inſtar generis ad inferiora, per differentias propriè dictas; putà, ad ſubſtantiam per *perſeitatem*; ad accidens per *inalietatem*. Atqui iſtæ non poſſunt eſſe *Entis* propriè dictæ differentiæ; quia non deberent eſſe *ens*, ſeu in ſuo conceptu formali & eſſentiali includere *ens*; quo pacto *rationale*, & *irrationale* non includunt *animal*. At

Dico II.

DICO II. *Ens vt ſic*, non eſt purè æquiuocum ad ſua inferiora; putà, ad Deum & creaturas; aut ad ſubſtantiam & accidens. *Prob* Quia inter purè æquiuoca nulla eſt connexio, vnde alia inferantur ex alijs, aut cognoſcantur ex alijs, habeantque ordinem ad illa. At cognoſcimus Deum ex creaturis, habentque creaturæ ordinem ad Deum. Item, cognoſcimus ſubſtantiam per accidentia, quæ de ſe etiam non exiſtunt, niſi cum ordine ad ſubſtantiam; vt ſuperiori Diſput. oſtendimus.

DICO igitur III. Ens eſſe analogum ad ſua inferiora. Sic Ariſt. vbi 4. Metaph. c. 2. & 7. alijſque in locis, ſcribit eſſe æquiuocum ab vno, vel ad vnum, quod eſt eſſe Analogum. Quo pacto, vt inquit, *ſanitas* dicitur ſecundùm Analogiam attributionis de ſanitate animalis, Medicinæ, Aëris, Vrinæ, &c. *Prob* Quia non eſt purè æquiuocum, aut vniuocum; ſupereſt ergo, vt ſit analogum. *Conf.* Quia in Ente vt ſic eſt ratio partim eadem, nempe *ſecundùm intellectum*, propter illud conuenientiæ genus, quod habent eius inferiora inter ſe; ſimul verò *ſecundùm rem* dicitur partim diuerſa, cùm hoc pacto ſimpliciter diſconueniant; vt Deus & creatura: ſubſtantia & accidens; vbi ſaltem ſecundùm proprias quaſi differentias accipiuntur.

Conf 1. De Deo & creaturis: quia in ijs non reperitur τὸ *eſſe*, niſi *ab vno*, *ad vnum*, quæ eſt analogia attributionis, iuxta Ariſt. Nam ratio Entis vt ſic in Deo eſt per eſſentiam, in creaturis autem per participationem, & per dependentiam eſſentialem à Deo, tum in ordine ad Deum, cùm de ſe non ſint niſi ad Dei gloriam. Item, in creaturis reperitur quidem intrinſecè

quo eſt à parte rei, & contractum, N. Vt eſt abſtractum, & in intellectu, C.

Inſt. 4. Ens vt ſic vel eſt ſubſtantia, vel accidens, vel vtrumque ſimul, & alia omnia quæ ſunt ens: atqui non eſt ſubſtantia potiùs quàm accidens: ergo eſt vtrumque ſimul: ergò eſt multa. ℞. Ens vt ſic neque eſſe ſubſtantiam, neque accidens, aut aliud quidquam determinatum & contractum; ſed potiùs eſt ratio aliqua communis ab ijs abſtracta. Sicque vt abſtrahit v. g. à Deo & creaturis, neque eſt Deus, neque creatura: quamuis ſecundùm rem ſit aut Deus aut creatura; quod per proportionem dicendum eſt de alijs Entis inferioribus.

Inſt. 5. Quæ habent diuerſos conceptus formales, vt ſubſtantia & accidens, non poſſunt concipi ſub vnâ & eâdem ratione. *Diſt.* Quatenus diuerſitatem habent, *C.* Quatenus conueniunt ſub aliquâ ratione vnâ, *N.*

Inſt. 6. Quæ ſunt primò diuerſa, ſeu quæ ſeſe totis opponuntur, nihil habent in quo conueniant: atqui ſubſtantia & accidens, Deus & creatura ſe totis opponuntur: alioquin haberent ſupra ſe aliquod genus: ergo nihil habent in quo conueniant. *Diſt.* Perfectè, *C.* ſaltem imperfectè, *N.*

Obijc. 2. Subſtantia v. g. eſt ſimpliciter atque indiuiſibiliter *ens*, nec habet in ſe gradus, aut formalitates ab inuicem præſcindentes, quæ ſeorſim & ab inuicem poſſint diſtingui per intellectum: ergo non poteſt fieri abſtractio alicuius Entis à ſubſtantiâ; nam hoc modo abſtraheretur ſubſtantia à ſeipsâ; ſicque idem cognoſceretur ſine ſeipſo; ſiquidem abſtrahere, eſt per-ſectionem in re aliquâ repræſentare ſibi ſepara-

tim ab aliâ. Hoc autem in noſtro caſu tam implicat, quàm aliquid eſſe ſine ſeipſo. ℟. Quanuis ſubſtantia & accidens vt ſic non habeant in ſe gradus præſcindentes ab inuicem; poteſt nihilominus imperfectè & inadæquatè conſiderari, & ab ijs abſtrahi vna ratio, in quâ conueniant. Neque ad diſtinctionem eiuſmodi opus eſt ſemper diſtinctione formali aliquâ ex parte obiecti; vt quando Entitas ab Ente, & Humanitas ab Homine abſtrahit.

Inſt. 1. Nihil poteſt eſſe commune Deo & creaturis: ergo nihil habent, in quo etiam imperfectè conueniant; vnde & poſſit ab ijs abſtrahi aliqua ratio communis. *Diſt. Ant.* Nihil eſt ipſis commune perfectè & vniuocè, *C.* Analogicè, *N.*

Inſt. 2. Nihil eſt in Deo, niſi eſſentialiter ſingulare. *C.* Ergo nihil poteſt habere commune. *Diſt. Conſ* Commune multis inferioribus, *C.* Commune, id eſt, conueniens cum alijs, *N.*

****

CAPVT IV.

Obiectiones pro vniuocatione Entis.

OBIICIES 1. Ens vt ſic eſt quid vnum. *C.* Ergo eſt vniuocum. *N. Conſ.* Quia, vt dixi, non reperitur in inferioribus æquali cum perfectione.

Inſt. 1. Proprietates Entis eodem modo vbique reperiuntur: ergo vniuocè: ergo & ipſum *ens*; quia eodem modo *ens* eſt in ſuis inferioribus, quo ipſius proprietates: ſic autem probatur eas reperiri vbique eodem modo; quia

vnitas & veritas non ſuſcipiunt magis & minùs.
℞. Vnitatem ſecundùm poſitiuum quod dicit, eſſe perfectiorem in Ente perfectiori. Quo pacto & ens perfectius dicitur eſſe perfectiùs verum; non quidem intenſiuè, ſed extenſiuè, vt habetur, *Diſput.* 1. *huius Tract. c.* 2.

Inſt. 2. Quòd ens participetur per priùs & poſteriùs à Deo & à creaturis; aut à ſubſtantiâ & accidente, ex eo non debet deſtrui illius vniuocatio; non enim hoc impedit, quominus ratio *numeri* ad omnem numerum; aut ratio *Qualitatis* ad potentiam eiuſque habitum ſit vniuoca. ℞. Haberi ſolutionem huius difficultatis in Logicâ, *Diſput.* 2. *cap.* 4.

Inſt. 3. Qui gradus eſſentiæ eſt indiuiſibilis, reperitur eodem modo in inferioribus; quia indiuiſibile non recipit magis & minùs. *C.* Atqui ens eſt gradus indiuiſibilis; quò enim gradus ſunt ſuperiores, eò minùs ſunt diuiſibiles in alios gradus: quomodo animal quidem eſt diuiſibile in gradum *viuentis*, *corporis*, & *ſubſtantiæ*; at, qui gradus eſt omnium ſupremus, ille eſt indiuiſibilis. *Concedo totum.* Atqui ens eſt gradus omnium ſupremus. *Nego*: Quia non eſt aliquis gradus ab alijs præſcindens; quin potiùs propter ſuam tranſcendentiam, dicit illud totum quod res eſt.

Obijc. 2. *Ens* eſt vniuerſale, quia eſt vnum aptum eſſe in multis. Ergo eſt vniuocum: quia omne vniuerſale eſt vniuocum. ℞. *Ens* defectu vniuocationis non eſſe propriè vniuerſale. Quia propriè vniuerſale debet dici de multis vniuocè.

Inſt. 1. Perfectè abſtrahit à differentijs ſubſtantiæ & accidentis: ergo nihil impedit quominus ſit vniuocum, & propriè vniuerſale

reſpectu ſubſtantiæ & accidentis. *Diſt. Ant.* Quia abſtrahit vt completum ab incompletis; nam differentiæ non ſunt niſi quid incompletum. ℞. Nego in doctrinâ Ariſtotelis *ens* abſtrahere vt quid completum. Nam ens completum, ex Ariſt. hoc loco ſumitur pro eo, quod eſt vel indiuiduum, vel ſpecies, vel genus, excludendo ſolùm differentias, vt ſequenti Diſputatione exponam. Quare, cùm ex eodem Ariſt. ens non ſit genus, aut ſpecies, aut indiuiduum, non eſt conſequenter, eo ſenſu, ens completum. Nec dicas, non eſt incompletum; quia non eſt differentia. *C.* Ergo eſt completum. *N. Conſ.* Neutrum enim eſt in ſenſu Ariſtotelis; nec ſermo eſt de completo, aut incompleto, niſi reſpectu eorum, quæ ſunt vel directè, vel indirectè in Categoriâ, vt poſteà videbimus.

Inſt. 2. *Ens vt ſic*, contrahitur per perſeitatem, & inalietatem, tanquam per differentias propriè dictas: ergo eſt genus. ℞. Subſtantiam ſeipsâ totâ contrahere ens, nec in eâ *perſeitatem* eſſe propriè differentiam; quia ens & *perſeitas* non ſunt gradus aliqui mutuò præciſi; ſiquidem illa *perſeitas* eſt formaliter ens. Ergo *perſeitas* in ſubſtantiâ ſe habet tanquam forma totius, perinde ac Humanitas in Homine. Idem per proportionem dicendum eſt de *inalietate* accidentis.

Inſt. 3. Perfectè abſtrahit à ſubſtantiâ & ab accidente: item à Deo, & à creaturis: ergo eſt genus. *Prob. Ant.* Quia perfectè conſideratur ſine illis inferioribus. *Diſt.* Perfectè, id eſt, diſtinctè, *Tranſ.* Perfectè, id eſt, adæquatè, ſeu tanquam aliquis gradus ab eorum differentijs præciſus, *N.*

Inſt. 4. Abſtrahit perfectè & adæquatè v. g. à rationali & irrationali: ergo abſtrahit perfectè à differentijs. *Prob. Ant* Quia rectè concludi poteſt rationale, aut irrationale non eſſe formaliter ens, hoc pacto. *Animal eſt ens: atqui animal non eſt formaliter rationale: ergo aliquid formaliter rationale non eſt ens.* Neganda eſt conſequentia, quia in tertiâ figurâ nihil concluditur ex minori negatiuâ; vel ſi tranſponantur propoſitiones; concludendum erit, *ergo aliquod ens non eſt formaliter rationale.*

Item, ſi dixeris, *ſubſtantia eſt ens: atqui ſubſtantia vt ſic abſtrahit perfectè à differentijs*; quod conceſſimus: *ergo ens abſtrahit perfectè à differentijs.* Neganda eſt etiam conſequentia: quia in tertiâ figurâ concluſio debet eſſe particularis, puta, *ergo aliquod ens abſtrahit perfectè à differentijs*; nempe aliquod ens Categoricum completum, vt ſubſtantia creata completa, &c.

Inſt. 5. Satis eſt ad vniuocationem,vt abſtrahat perfectè ab inferioribus, tanquam quid vnum commune, à particularibus. ℞. Nego, ſi ſecundùm rem in particularium illorum differentijs includatur formaliter.

Inſt. 6. Etſi non abſtrahat perfectè,aut adæquatè à ſuis differentijs; hoc non debet impedire ipſius vniuocationem. *Prob.* Sic enim *ſubſtantia*, quæ generica eſt, aut *qualitas*, aut *relatio*, perinde non abſtrahunt à ſuis differentijs, quia differentiæ *ſubſtantiæ*, ſunt ſubſtantiæ. Item, differentiæ *qualitatis* ſunt qualitates, &c. ℞. Iam ſupra illi difficultati ſatisfactum eſt. *Diſput.* 5. *cap.* 7. *Aſſert.* 3. *ad* 3. *Inſt.*

Inſt. 7. Differentia vt ſic eſt vniuoca ad

omnes differentias ſiue genericas, ſiue ſpecificas, ſiue numericas; & tamen non abſtrahit à differentijs, per quas conſtituuntur in • talis differentiæ, nempe vel genericæ, vel ſpecificæ, vel numericæ: ab ijs, inquam, non abſtrahit; quia perinde ſunt differentiæ, &c. Ergo quòd aliquid non abſtrahat à differentijs, non deſinit eſſe vniuocum. Rꝫ. Si differentia ſumitur primò intentionaliter, id eſt, pro eâ re, quæ denominatur differentia, quale eſt v. g. *ra ional vt ſic*, reſpondeo, inquam, differentiam ita ſumptam, putà rationalitatem, perfectè abſtrahere ab illâ aut illâ hæcceitate rationalitatis. Si autem ſumitur ſecundò intentionaliter, abſtrahit quoque à varijs differentialitatibus, quæ vt ſic non ſunt differentiæ, ſed potiùs modi contrahentes differentiam vt ſic, ad *eſſe* tali modo differentiam; quæ iam aliàs diximus. *Diſp.* 5. *mox citatâ.*

Obijc. 3. Ea lex eſt Analogorum, vt ſecundaria Analogata definiantur per primum & præcipuum Analogatum; vt quando v. g. *ſanum* dicitur de Animali, de Medicinâ, de Sudore, de Vrinâ, &c. propriè quidem & formaliter dicitur de primo Analogato, nempe de Animali, in quo duntaxat eſt formalis ratio ſanitatis, & formaliter dicitur ſanum: at Medicinæ non tribuitur, niſi quatenus cauſat ſanitatem animalis; ſicque eſt ſana cauſaliter: ſudori autem tribuitur, quatenus eſt ſignum ſanitatis, &c. Item, res Analoga ſic dicitur ſolùm per eſſentiam & intrinſecè de primo Analogato; de alijs verò ſecundùm extrinſecam tantùm denominationem ab illo petitam, &c. Atqui hæc non competunt ſubſtantiæ & accidentibus; ergo accidentia non ſe habent ad ſubſtantiam

tanquam ſecundaria quædam Analogata ad primum; ergo nec *ens* eſt ad illa Analogum. *Pro. Min.* Quia ſæpe definiuntur accidentia, nullâ factâ mentione ſubſtantiæ; vt cùm aiunt, *albedo eſt diſgregatiua viſus.* Ita Quantitatem conſiderant Mathematici, abſtrahendo ab omni eius ſubiecto. ℞. 1. Leges illas Analogorum ſeruari tantùm in ijs, quæ ſolam habent Analogiam attributionis, vt in allato exemplo *ſani.* Non autem in ijs, quæ ſimul habent Analogiam proportionis: maximè verò vbi ratio Analoga continetur in Analogatis non tantùm accidentaliter, ſed eſſentialiter: quomodo *ens vt ſic*, prædicatur eſſentialiter de ſuis inferioribus; vt iam notaui in Logicâ. *Diſput. & cap. iam citatis.* ℞. 2. Albedinem à Phyſicis; aut Quantitatem à Mathematicis in eo caſu conſiderari tantùm inadæquatè, provt facit ad eorum inſtitutum. Quanquam ℞. 3. Tunc etiam ſubiectum accidentium conſiderari ſaltem implicitè, etſi ab eo fiat abſtractio, quatenus ſumitur explicitè.

DISPVTATIO VIII.
DE
ENTE CATEGORICO.

CAPVT I.

Quid ſit Ens Categoricum.

VT rerum omnium notitiam aliquam in communi traderet Ariſtoteles, ens in certos quoſdam ordines digeſſit, quos nomine Græco appellauit, *Categorias*: quæ vox in vſu quidem forenſi accuſationem ſignificat, ſed ab Ariſtotele tranſlata eſt ad Philoſophiam, vt ſumeretur pro ordine, ſeu ſerie generum, ſpecierum atque indiuiduorum, quæ ſub aliquo genere ſupremo collocantur: ipſæque Categoriæ à Latinis nuncupantur Prædicamenta; quod in ijs, quæ ſuperiora ſunt, de inferioribus prædicentur.

DICO autem I. Ex Ariſt. numerantur decem Categoriæ. *Prob.* Quia quicquid eſt, vel eſt ſubſtantia, vel in ſubſtantiâ, illam afficiens accidentaliter, aut denominationem aliquam accidentalem illi tribuens. Primam igitur Categoriam conſtituit *Subſtantia*, eſtque aliarum veluti baſis ac fundamentum. At reliqua ſunt

nouem genera accidentium, aut accidentaſium denominationum, quæ illi attribui ſolent. Ac primò quidem ex accidentibus eſt *Quantitas*, quæ ſubſtantiæ conuenit ratione materiæ, vnde reddatur extenſa cum ordinatione partium extra partes, in quas etiam ſit diuiſibilis, & cum impenetrabilitate ſaltem radicali, nec reperitur niſi in rebus corporeis. 2. Eſt *Qualitas*, quæ in rebus corporeis conſequitur ſolùm ad formam ſubſtantialem, reperiturque in ſubſtantijs immaterialibus; & denominat *qualem*, vt Scientia Scientem, &c. Item præthereà. 3. Subſtantia aliqua denominari poteſt ad aliud relata per *Relationem*; v. g. Petrus denominatur Pater Ioannis per *paternitatem*; vel Filius per *filiationem*, &c. Item, 4. Eſt in loco per *Vbi*. 5. In tempore per *Quando*. 6. Cum tali partium diſpoſitione in loco, nempe, vel ſedens, vel iacens, &c. qui eſt *ſitus*. Item, 7. Denominatur veſtitus, armatus, coronatus, &c. per *habere* ſeu *habitum*. 8. Denominatur agens actu per *actionem*. Item, & patiens ſeu formam aliquam in ſe recipiens per *paſſionem*; vt quando res dicitur calefieri, illuminari, &c. At

NOT. 1. Accidentia illa Categorica ſeu prædicamenta debere ſaltem inter ſe ratione diſtingui, tanquam diuerſas aliquas formalitates; alioquin non conſtituerent diuerſa genera: ſed non eſt neceſſe, vt ſint diuerſæ entitates reales, ſeu accidentia realiter diſtincta. Siquidem in communiori doctrina *Quantitati* & *Qualitati* duntaxat competit, vt ſint accidentia realia cum propriâ realitate, & realiter diſtincta; alia autem non ſunt niſi aut formalitates quædam, aut etiam denominationes tantùm extrinſecæ, cuiuſmodi aiunt eſſe *habitum*, vnde quis deno-

minetur veſtitus à veſte circumpoſitâ. Quomodo etiam ab aliis numerantur tantùm inter denominationes extrinſecas, ortas videlicet ab aliquo circumſtante extrinſeco: v. g. *eſſe in loco, eſſe in tempore, &c.*

NOT. 2. Non eſſe hîc quòd diſputetur de numero Categoriarum. Petierunt enim plures aut pauciores recenſeri. Sed hunc numerum ſeruare voluit Ariſt. quòd indicaret ſufficere ad inſtitutum, aut Logicum, aut Metaphyſicum. Item,

NOT. 3. Illa vocari ab Ariſt. *ſumma genera, & non ſubalternatim poſita*; quia non conueniunt in ratione aliquâ vniuocâ, nec conſtituuntur ſub Ente tanquam ſub genere propriè dicto, vt ex ſuperiori Diſputatione liquet. Neque verò etiam accidens vt ſic eſt aliquod genus ad nouem genera accidentium; ſaltem in doctrinâ Ariſtotelis, quia, vt inquit, non participant rationem illam ſuam, niſi per ordinem ad aliud, nempe ad ſubſtantiam; perinde per proportionem ac omne ſalubre ad ſanitatem; ac proinde non conueniunt inter ſe niſi Analogicè. Nam v. g. quantitas, qualitas, &c. quatenus *Entis Entia*, & in ratione illâ veluti génericâ accidentis, eodem modo non afficiunt ſubſtantiam, ex doctrinâ Ariſtotelis & D. Thomæ. Porrò

DICò II. Certas conditiones exigit Ariſt. vt quid reponatur in Categ. ſeu Prædicamento. Primò, debet eſſe ens reale. 2. Debet eſſe genus, aut contineri ſub genere propriè dicto: id eſt, quod habeat rationem vniuocè communem. 3. Debet eſſe finitum, quia vt poſteà dicam, Deus non eſt in Categoriâ.

4. Debet eſſe quid vnum per ſe, cuiuſmodi

eſt vel ſimplex, vt Angelus: vel compoſitum ex potentiâ & actu eiuſdem generis, vt Homo conſtans ex corpore & animâ. Vnde, iuxta inſtitutum Ariſtotelis, excluduntur Entia per accidens, vt album: item, & aggregata per accidens; cuiuſmodi ſunt arteſacta, cumulus lapidum, exercitus, &c.

5. Vbi aliquod ens Phyſicum repoitur in Prædicamento, debet illud eſſe completum: putà, Homo, Equus, &c. Alioquin materia & forma; item, partes integrantes, vt caput, pedes, &c. locum in ſerie prædicamentali non habent per ſe & directè ex inſtituto Ariſtotelico. *Probatione.* Quia ſatis eſt, quòd ſint in Categoriâ, ratione totius quod conſtituunt. Item, quia v.g. ſub animali non rectè ponerentur illæ partes Hominis, aut Equi, ſiquidem de ipſis prædicari *animal* non poſſet.

NOTABIS tamen, quòd, etſi genus inter Metaphyſica ſit quoddam ens incompletum, vt pote concurrens tanquam pars cum differentiâ ad conſtituendam ſpeciem; habet tamen ſedem in Categoriâ; quia eſt aptum prædicari de inferioribus tum generibus, tum ſpeciebus atque indiuiduis ſecundùm eandem lineam rectam diſpoſitis; ſicque eſt completum in ratione prædicabilis propriè & directè Categorici. Hoc autem Differentiæ non conuenit, quæ neque in inferioribus differentijs continetur formaliter, nec proinde apta eſt de illis prædicari; nec de aliis prædicatur, niſi ſecundùm aliam lineam ad latus poſitam.

Sexta conditio Entis Categorici ſeu prædicamentalis eſt, vt ſit aliquo modo concretum. Sicque ex inſtituto Ariſtotelis, in Categoriâ ſolet admitti Homo, non autem Humanitas,

aliaque id genus ſubſtantiarum concreta. Alioquin de Humanitate v. g. non rectè prædicaretur *animal*: non enim rectè dicitur *humanitas eſt animal*. Item, ſic admittuntur ſolùm concreta Phyſica accidentium, vt calor, albedo, color, &c. non autem quæ dicuntur abſtracta Metaphyſica, ſeu ſecundò abſtracta: vt albedineitas, &c. Ratio eſt, quia res non ponuntur in Categoriâ, niſi eo modo quo ſunt naturaliter prædicabiles, aut ſubijcibiles. Atqui non rectè diceretur Petrus eſt animalitas, albedineitas, &c.

Obijcies. Quid-ni accidentia ponantur omnino in concreto, vt album, calidum, &c. Nam debent poni eo in ſtatu in quo poſſint prædicari de ſubſtantiâ, ergo ſic debent eſſe concreta Phyſica. *Diſt.* Sic debent eſſe concreta pro Prædicamentis Logicis, quod etiam obſeruauit Ariſtoteles. *Tr.* Verùm alio modo res ſe habet pro Prædicamentis Metaphyſicis, in quibus conſiderantur tantùm illa accidentia, quæ poſſunt attribui ſubſtantiæ; non autem modus, ſub quo prædicari de illâ poſſint.

CAPVT II.

Categoria Subſtantiæ.

CATEGORIA ſubſtantiæ eſt ſeries generum, ſpecierum atque indiuiduorum, quæ ſub eodem ſupremo genere ſubſtantiæ diſponuntur. Atque iſta quidem indiuidua vocantur ab Ariſt. *primæ ſubſtantiæ* de quibus, tanquam de ſubiectis, id eſt, inferioribus, ſeu infrà poſitis, dicantur *ſecundæ*, ſeu *vniuerſales* ſubſtantiæ. Quò

refertur commune illud, ex modo loquendi Ariſtotelico; *multa dicuntur de ſubiecto, quæ non ſunt in ſubiecto*. Nempe *animal*, *viuens*, *corpus*, *&c.* quæ ſunt ſubſtantiæ, ac proinde *non ſunt in ſubiecto* inhæſionis; dicuntur, ſeu prædicantur de Petro, tanquam de inferiori ſibi ſubiecto, id eſt, infrà poſito, in quo continentur.

Dico autem I. Categoria ſubſtantiæ completam omnem ſaltem creatam complectitur. Sic enim ſub eodem genere ſupremo ſubſtantiæ eſt *Corpus*, *viuens*, *animal*, *Homo*, *Equus*, *Petrus*, *Bucephalus*, *&c.* Nec corpus cœleſte, quamuis incorruptibile, excluditur ab illo Prædicamento. Cùm enim dixit Ariſtoteles *corruptibile & incorruptibile* differre genere, intelligendus eſt de genere ſubalterno; non autem de ſupremo, ſub quo perfectè conueniunt. Item,

Dico II. Angeli, quos ſupponimus eſſe ſubſtantias immateriales, continentur in eâdem Categoriâ ſubſtantiæ. *Prob.* Quia genus illud ſupremum ſubſtantiæ abſtrahit perfectè à corporeâ & incorporeâ; à corruptibili & incorruptibili; à ſimplici & compoſitâ; habetque tantùm ex differentijs quòd dicatur vel corporea, vel incorporea. Nam, quantùm eſt de ſe, vbique ſeruat rationem eandem Entis per ſe ſubſiſtentis, & quòd ſit ſubiectum accidentium.

Obijc. Quæ non conſtant ex materiâ, illa non habent genus: quia, vt vulgò aiunt, *Genus petitur à materiâ, vt Differentia à formâ.* ℞. Ex communi doctrinâ, quæ noſtra eſt, *cap. de Genere*; Genus peti potius à totâ rei eſſentiâ inadæquatè ſumptâ, quatenus in ſe continet gradum eſſentiæ communem multis ſpecie differentibus,

rentibus, ab alio, nempe a differentiâ quaſi determinabilem, & contrahibilem ad ſpeciem, Cuiuſmodi eſt in Angelo *gradus ſubſtantiæ*, qui per *incorporeitatem* contrahitur ad Angelum; cùm, de ſe, ſubſtantia vt ſic neque ſit corporea, neque incorporea.

DICO III. Subſtantia increata, id eſt, Deus non continetur in Categoriâ. *Prob.* Quia rem contineri in Categoriâ, eſt illam conſtitui ſub genere aliquo ſupremo ab ipsâ & aliijs ſpeciebus participabili: atqui Deus non poteſt eſſe ſub genere. Ita D. Thomas 1. p. q. 3. a. 5. *Prob. ratione.* Quia quod continetur ſub genere, illud continet in ſe genus & differentiam, habetque compoſitionem ex genere & differentiâ: hoc autem reperiri in Deo non poteſt. Primò enim repugnaret iſtud perfectiſſimæ Dei ſimplicitati, quæ rationem omnem compoſitionis excludit. 2. Non poteſt eſſe aliquis ſubſtantiæ gradus, qui ſit vniuocus ad Deum & creaturas: ergo nec genericus. *Prob. Ant.* Quia ſi quis foret gradus ſubſtantiæ à Deo abſtrahens; ille, de ſe & per ſe, non autem, vt aiunt, per aliquam differentiam eſſet infinitus, quia de ſe & per ſe eſſet eſſentialiter independens: ergo non poſſet cum eo conuenire vniuocè gradus ſubſtantiæ creatæ, qui de ſe & per ſe eſt eſſentialiter dependens & finitus. 3. Genus & differentia ſe habent inſtar cuiuſdam actus & potentiæ, vel, ſi lubet, inſtar cuiuſdam perfectibilis & perfectiui: hoc autem reperiri in Deo non poteſt. Sic enim Deus non foret actus puriſſimus, id eſt, ſine omni potentialitate, ſeu perfectibilitate, vt paſſim ſcribit idem S. Doctor. Item, ſic diceretur Deus componi ex finitis, & finitæ perfectionis. Cùm enim genus & differentia ſeſe

inuicem non includant formaliter, ſequeretur nec genus, nec differentiam includere formaliter omnem perfectionem poſſibilem; ergo non eſſent formaliter infinitæ perfectionis; nec conſequenter Deus ſic conſtans ex finitis, eſſet infinitæ perfectionis.

Obijc. Ex D. Auguſtino: quædam Prædicamenta, putà ſubſtantiam & relationem, dici propriè de Deo, non autem abuſiuè. Ergo ſic Deus eſſet in Prædicamento. ℞. Eo tantùm ſenſu dici propriè, quòd non dicantur Metaphoricè. Deus enim dicitur propriè ſubſtantia, quatenus èſt ens per ſe ſubſiſtens: quanquam meliùs diceretur ſuperſubſtantia, inquit D. Auguſtinus, quia eſt ſupra ordinem ſubſtantiæ omnis creatæ: vnde nec poteſt eſſe ſubiectum receptiuum accidentium.

Inſt. 1. Illi ſubſtantiæ vniuocationi obſtare non poteſt infinitudo; quia ſi daretur quantitas infinita, illa nihilominus foret ſub eodem genere cum quantitate finitâ. ℞. Foret ſimul & non foret; nam foret quidem, quia eſſet eiuſdem naturæ cum finitâ; ſimul autem non foret, quia eſt chimærica; & conſequenter non eiuſdem naturæ cum finitâ, vt docetur in Phyſicâ, *vbi de infinito*.

Inſt. 2. Reperiuntur perfectiones in creaturis ſimiles cum Diuinis, vt ſapientia, ſanctitas, &c. Ergo habent rationem vniuocè communem. ℞. Eſſe tantùm ſimiles imperfectè, ſeu per aliquam proportionem; nam quæ ſunt tantùm accidentia in creaturis, ſunt in Deo ipſa Dei ſubſtantia & eſſentia.

Inſt. 3. Actus cognitionis, per quam Deus cognoſcit Petrum eſſe Hominem, eſt eiuſdem ſpeciei cum meo; quia actus ſpecificantur ab

obiectis : ergo nihil repugnat eſſe aliquid vniuocè commune Deo & creaturis. *Diſt. Ant.* Illi actus ſunt obiectiuè ſimiles. *Tr.* Secundùm ſe. *N.* Quia actus cognitionis Diuinæ eſt ipſa Dei eſſentia, vt aliàs explicabitur ; nec ea poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, quæ ſunt generis diuerſi.

DICO IV. Chriſtus, qui ſimul eſt Deus & Homo, ſi ſumitur ratione ſuppoſiti, procul dubio eſt ſupra omnem Categoriam, ex doctrinâ modò allatâ. Si autem ſumitur tantùm ſecundùm naturam humanam, nihil impedit, quominus dicatur ſubſtantia Prædicamentalis. Et verò, vt notat D. Thomas. 3. p. q. 2. a. 3. Res non ponuntur in Categoriâ ratione Perſonalitatis, ſed tantùm ratione Naturæ, in quâ eſt compoſitio ex genere & differentiâ.

****

CAPVT III.

Categoria Quantitatis.

QVANTITAS ſumitur varijs modis : nam primò, alia eſt quam vocant *Quantitatem virtutis* ſeu *perfectionis*, vnde res aliqua dicitur vel parum, vel multùm perfecta, aut rem aliam ſuperare in perfectione. Sic Deus & Angelus dicuntur eſſe maioris perfectionis in naturâ, quàm Homo. Hucque refertur commune illud dictum : *quod eſt primum in vnoquoque genere, illud eſt menſura cæterorum* : quia, quâ proportione res aliqua accedit ad perfectiſſimum, dicitur eſſe perfectior : menſurare autem, aut menſurari proprium eſt Quantitatis. At 2. propriè Quantitas vulgò ſumitur in communi pro ea

quod eſt diuiſibile in partes. Ac ne quid dicam de Quantitate virtuali;

NOT. 1. Quantitatem aliam eſſe *continuam*, cuius nimirum partes inter ſe copulantur ſimul; vt Quantitas huius Chartæ, huius Ligni, &c. alia autem eſt Quantitas *diſcreta*; cuius partes actualem inter ſe habent diſtinctionem. Qualis eſt numerus, aut multitudo hominum, rerum-ve aliarum.

Item, Quantitas continua ſubdiuiditur in *permanentem*, & *ſucceſſiuam*. Permanens eſt cuius partes ſimul copulatæ ſimul exiſtunt: vt partes cuius Ligni, aut huius Chartæ. Succeſſiua eſt cuius partes ſimul non exiſtunt, ſed tantùm in fluxu quodam, & aliæ poſt alias. Vt partes motus, aut partes temporis: neque enim diei, aut horæ pars prima ſimul eſt cum ſecundâ; & ſic de alijs.

Quantitas diſcreta diuiditur quoque in ſucceſſiuam, & permanentem. Succeſſiua eſt cuius partes ſimul non ſunt, vt in Oratione, cuius verba alia poſt alia enunciantur. Permanens eſt cuius partes ſimul coëxiſtunt: vt in numero & multitudine, putà in exercitu. Iam verò,

DICO I. Quantitas continua permanens eadem eſt ac *Quantitas molis*, & propria eſt rei corporeæ, per quam videlicet habet partes extra partes, cum earum proximâ & Phyſicâ diuiſibilitate, & impenetrabilitate, cuius etiam beneficio coëxtenditur diuiſibiliter ad locum; hancque extenſionem ſequitur menſurabilitas, & cætera id genus, de quibus in Phyſicâ. At

NOT. 1. Huius Quantitatis tres iſtas numerari ſpecies. Nempe lineam, ſuperficiem, & corpus.

Linea eſt extenſio in longum, abſtrahendo à latitudine & profunditate.

Superficies eſt extenſio in longum ſimul & in latum, abſtrahendo à profunditate.

Corpus hoc loco ſumitur, non pro ſubſtantiâ corporeâ, vt in Phyſicâ; ſed pro extenſione in longum, latum ſimul & in profundum; quâ ratione trinam illam dimenſionem ſimul complectitur. Quartam ſpeciem addebat Ariſt. nempe *locum*; ſed minùs accuratè rem pertractans. Nam ex Ariſt. locus ille aliud nihil eſt quàm ſuperficies concaua corporis ambientis; quæ ſuperficies, vt ſic, non differt à ſecundâ ſpecie Quantitatis.

Obijc. Si linea aut ſuperficies eſſent diuerſæ ſpecies Quantitatis, non deberent conſtituere corpus, tanquam ſpeciem à ſe diuerſam; quia vna ſpecies completa non ingreditur aliam, tanquam pars illius. R. Linea ſuperficiem, tum vtraque hæc corpus conſtituunt materialiter tantùm & præſuppoſitiuè, quomodo per proportionem numerus minor includitur in maiori, non autem formaliter. Quia linea v. g. formaliter ſumpta, eſt extenſio in longum, abſtrahens ab extenſione in latum & profundum, quam formaliter includit corpus.

Dico II. Quantitatis continuæ ſucceſſiuæ duæ ſunt illæ ſpecies, *motus* & *tempus*; habentque veram & propriè dictam rationem Quantitatis; nam habent partes extra partes, poſſuntque diuidi in partes præteritas, præſentes & futuras. Iam verò vt agam de Quantitate diſcretâ, & maximè de Numero;

Dico III. Numerus eſt collectio plurium vnitatum ſimul. Sed

Not. 1. Numerum, vt ſic, tribus modis ſumi,

Primò enim eſt *numerus*, vt vocant *materialis*, ſeu rebus coniunctus, qui conſequenter idem eſt cum ipſis rebus. Quâ ratione dicuntur eſſe centum, aut mille homines in concione. 2. Eſt *numerus numeratus*; vt quando ex multis hominibus vnus dicitur Primus, alius Secundus, Tertius, & ſic deinceps. Tertiò denique eſt *numerus abſtractus*; is nempe qui abſtrahit ab omni materiâ; vt cùm dicitur numerus ternarius, centenarius, &c.

Dico autem IV. Numerum duplici hoc modo poſteriori ſumptum, non eſſe à parte rei ſine opere intellectus. Nam primò, res vna non dicitur prima, alia autem Secunda, Tertia, &c. niſi ab intellectu ordinante: quo ſenſu aiebat Ariſt. 4. *Phyſic.* ſublato intellectu tolli numerum. Quod autem ſpectat ad numerum abſtractum; certum eſt *Binarium* v.g. aut *Centenarium*, vt ſic, concipi extra omnem materiam, nec exiſtere niſi ope intellectus: ſiquidem à parte rei non eſt numerus aut ternarius, aut Centenarius niſi vel hominum, vel rerum aliarum ad quas eſt contractus. At

Dico V. Numerum cum ipſis rebus coniunctum, eſſe à parte rei independenter ab intellectu. *Prob.* Quia *decem homines* tot ſunt formaliter & à parte rei, nemine etiam cogitante; nec plures, aut pauciores. *Conf.* 1. Quia multitudo rerum, ſeu res in *eſſe* tot, vel tot, non magis dependent ab intellectu, quàm vt ſint tantæ, vel tantæ magnitudinis: ſed lignum v. g. eſt bipedale, aut alicuius determinatæ magnitudinis, nemine etiam cogitante: quod à pari dicendum eſt de numero. *Conf.* 2. Quod eſt ſenſibile, illud eſt reale; atqui numerus ille eſt ſenſibilis; nam Lupus diſcernit Canem

vnum à *pluribus*; ſiquidem, viſo Cane vno non fugit, fugit verò ſi videat plures: ergo ille numerus eſt realis.

Obijc. Sequeretur à parte rei rerum omnium vnicum exiſtere numerum. *C*. Quanquam poſſunt nihilominus dici rerum diuerſarum numeri diuerſi: vt numerus elementorum, numerus hominum, &c.

Inſt. In numero hominum v. g. duodenario, poſſent reperiri numeri infiniti actu à parte rei exiſtentes: nam in eo ſunt duo Senarij, duo Binarij, duo Ternarij, ex quibus reſurgerent compoſiti alij numeri in infinitum. ℞. Comparationem illam non eſſe niſi per operationem intellectus. Quare ex Ariſt. 5. *Metaph. c.* 11. ſex homines citra operationem intellectus, *non ſunt bis tres, ſed tantum ſemel ſex*.

NOTABIS verò, numeros ſpecificari ab vltimà ſuâ vnitate: quamobrem ſi cui numero vel additur, vel detrahitur aliqua vnitas, mutatur ille ſecundùm ſpeciem. Ita Binarius numerus differt ſpecie à Ternario; & ſic de alijs.

DICO autem VI. Etſi illæ omnes veræ ſint, ac propriè dictæ Quantitates; cùm veræ ac propriè ipſis competat diuiſibilitas in partes; non tamen conueniunt vniuocè ſub eodem genere Quantitatis; ſoláque permanens continua, ex communiori ſententia, conſtituit Prædicamentum *Quantitatis*. Nam ex genere ſuo Quantitas permanens continua, ſeu *Quantitas molis*, eſt accidens entitatiuum, quod ſubiecto ſuo realiter diſtincto tribuit extenſionem per partes extra partes, cum impenetrabilitate, ſaltem aptitudinali, vt oſtenditur in Phyſicâ, &c. Quæ motui, tempori, aut numero non conueniunt

ex genere ſuo ; cùm neque ſint accidentia entitatiua, nec ſubſtantiæ partibus genus vllum extenſionis intrinſecæ tribuant. Quare cum Quantitate molis conueniunt tantùm Analogicè, quòd habeant cum illâ ſimilitudinem aliquam proportionalem. Nam vt Quantitas molis eſt diuiſibilis in partes, ita & motus, tum tempus, ac numerus ſuo in genere partes quoque habent in quas diuidi poſſunt.

CAPVT IV.

Categoria Qualitatis.

QVALITATEM definiebat Ariſt. *id quo res aliqua denominantur quales.* Nam ad quæſtionem qualis ſit v. g. Petrus, dicitur eſſe calidus à calore, frigidus à frigore ; doctus à doctrinâ, iuſtus à iuſtitiâ, &c. Sunt enim ex qualitatibus aliæ ſpirituales, cuiuſmodi ſolùm reperiuntur in ſubſtantijs immaterialibus, vt intellectus, ſcientia, gratia ſanctificationis, &c. Aliæ autem materiales rerum corporearum propriæ ; ſequunturque ad formam ſubſtantialem, vti Quantitas ad materiam ; cuiuſmodi eſt Calor & ſiccitas in Igne ; Frigus & humiditas in Aquâ. Quæ dicuntur etiam qualitates *naturales* ; cùm aliæ prætereà, ex doctrinâ fidei, ſint *ſupernaturales*, vt gratia ſanctificans, lumen gloriæ, &c. Quo loco ſatis reuincuntur nonnulli recentiores, qui genus Qualitatum omne repudiant, & corpuſcula neſcio quæ ſubſtituunt. Quid enim dicent eſſe ſcientiam v. g. aliosque habitus ſpirituales tum naturales, tum

ſuperna-

ſupernaturales? quomodo explicabunt v. g. generationem caloris in aquâ? &c. Ne quid prætereà dicam de Quantitate in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

NOTANDVM verò eſt, ex eâ definitione, quam attulit Ariſtoteles, non multùm conſtare nobis de naturâ qualitatis; neque inde Philoſophis ſatis fuiſſe exploratum ipſius proprium genus. Quamobrem vtcunque ſic deſcribi ſolet; *eſt accidens creatæ ſubſtantiæ, quo, vel in eſſendo, vel in agendo compleatur.* Quod enumerandis, & contemplandis eius varijs ſpeciebus exponi ſolet.

DICO autem I. Ex Ariſt. Quatuor illa ſunt genera ſubalterna, ſeu ſpecies qualitatis; nimirum Potentia, Habitus, Patibilis qualitas; & Figura. Nam qualitas, inquiunt, vel perficit ſubſtantiam, vt facultas quædam ad agendum neceſſaria; quæ dicitur *potentia.* Vel ſecundò, aduenit illi potentiæ, vt iuuetur faciliteturve ad operandum, diciturque *habitus.* Vel 3. eſt *patibilis Qualitas*, à quâ ſcilicet externi ſenſus patiuntur, id eſt, à quâ ſpeciem aliquam ſeu motionem ſibi impreſſam accipiunt, vnde ad eliciendas operationes ſenſitiuas determinentur: ita lux, aut color mouet viſum ad videndum; ita ſapor guſtum afficit; ſonus auditum, &c. Ac denique eſt *figura* ſubſtantiam corpoream ſecundùm ejus Quantitatem afficiens, certam illius extremis partibus diſpoſitionem tribuendo. Quæ quidem vt ſigillatim proſequar;

DICO II. Potentia eſt qualitas ſubſtantiæ ad operandum ſuperaddita. Quomodo, & quâ neceſſitate id fiat, explicatur in Phyſicâ Vniuerſali; vbi de virtute actiuâ cauſarum naturalium.

NOTABIS autem, nullam eſſe creatam ſubſtantiam, quæ ſuas eiuſmodi potentias ſibi proprias non habeat. Sic elementa non modò potentias habent ad agendum extra ſe, vt Ignis Calorem; ſed etiam & potentias motrices, qualis eſt aut leuitas, aut grauitas. Ne quid dicam de virtutibus eorum corporum quæ vocantur mixta, ſeu compoſita ex elementis, quales recenſui in Phyſicâ Vniuerſali. *Prima parte. Tract. 2. Diſput. 5. cap. 4.*

Animæ vegetatiuæ facultates ſeu potentiæ ſunt, nutritiua, augmentatiua, generatiua; quibus ſubordinantur attractiua, expulſiua, concoctrix, aliæque ferè innumerabiles adminiſtræ. Quæ ſimul eſt anima ſenſitiua, habet prætereà facultates ſenſitiuas, id eſt, ſenſus tum internos, putà imaginatricem; tum externos, nempe ſenſum videndi, audiendi, guſtandi, odorandi, & tangendi. Huc adde appetitum ſenſitiuum, cum potentiâ loco-motiuâ.

Quæ demum eſt ſimul anima rationalis, habet & intellectum cum appetitu rationali, quem vulgò liberam voluntatem appellant.

Huc autem ſpectant & earum facultatum actus; quia ipſi ſunt qualitates quædam: huc ſpectant & ſpecies intentionales, quibus potentia cognoſcitiua determinatur ad talem vel talem cognitionis actum eliciendum. Item, huc etiam ſpectant virtutes ſupernaturales potentijs rationalibus infuſæ diuinitùs, quæ neceſſariæ ſunt ad productionem actus ſupernaturalis. Ac denique huc ſpectat & vis reſiſtendi; qualis v. g. foret duritíes in ferro, &c.

DICO III. Habitus hoc loco maximè ſumitur pro eo genere qualitatum, quæ potentijs ratio-

nalibus, nempe intellectui, & voluntati adueniunt, vt eas iuuent, faciliterque ad operandum. Cuiuſmodi habitus iam enumerauimus, *in Introductione ad Logicam & Moralem cap. 2.* Huc referuntur habilitates, quæ in alijs facultatibus, vt in appetitu ſenſitiuo, dicuntur quoque acquiri.

Dico IV. Patibiles qualitates, quæ & ſenſibiles nuncupari ſolent, quia ſunt propria ſenſuum externorum obiecta, diuiduntur varia in genera, pro varietate illorum ſenſuum. Quare ex illis aliæ, primò, dicuntur viſibiles, vt Lux, & Color. 2. Aliæ ſunt audibiles, vt ſonus. 3. Aliæ ſunt guſtabiles, vt ſapor. 4. Aliæ ſunt olfactiles, vt odor. 5. Denique aliæ ſunt tactiles, vt calor, frigus, ſiccitas & humiditas. Hucque alij reuocant læuitatem & aſperitatem, quæ tactu quoque percipiuntur.

Dico V. Figura eſt qualitas certam extremi quanti partibus poſitionem tribuens; vt iam inſinuaui. Sed Figuræ diuerſa genera & ſpecies enumerare non eſt huius loci; cùm eâ in re præſtandâ verſetur Mathematica *in Elementali Geometria*; vbi ſingularum naturam & proprietates, etiam in ordine ad praxes Mathematicas expoſuimus. Quemadmodum verò figura non diſtinguatur realiter ab extenſione locali, oſtenditur in Phyſicâ. *Diſput. de Quantitate c. 7.*

Dico VI. Singulæ ex illis Qualitatis ſpeciebus iuxta Ariſt. ſunt bimembres, ac binonymes. Ita enim, quam primò loco deſcripſimus, vocat *potentiam, & impotentiam*, prout magis, aut minùs perfecta eſt. Quomodo etiam eandem ob cauſam vocat ſecundam ſpeciem *habitum & diſpoſitionem*. Si enim v. g. ſcientia minùs

perfecta fuerit, vnde etiam, vt loquuntur, ſic facilè mobilis à ſuo ſubiecto, quia nondum ſatis firmiter illi inhæreat, vocabitur tantùm *diſpoſitio*. Ita ſi rubor, qui eſt patibilis qualitas, leuiter ſolùm afficiat v. g. genas, vt quando ex verecundiâ tranſeunter in illis oritur, vocabitur *paſſio*: ſin firmiùs inhæreat, & in ſubiecto quaſi radicetur, appellabitur *patibilis qualitas*. Sic denique Quarta ſpecies dicitur *forma*, aut *figura*, prout conſideratur vel in ſubiecto aliquo, vt ſi fuerit lignum circulare; vel more Mathematicorum, abſtrahendo ab omni ſubiecto: vt quando proprietates circuli, vt ſic, demonſtrant.

NOTANDVMQVE eſt conſequenter, membra illa diuidentia, in ſingulis eiuſmodi ſpeciebus, differre inter ſe tantùm accidentaliter; quia differunt tantùm ſecundùm magis & minùs; vel quatenus conſiderantur in ſubiecto, aut abſtrahendo ab omni ſubiecto. Quanquam

Obijciunt alij, Qualitates difficilè mobiles à ſuo ſubiecto differre eſſentialiter ab ijs, quæ ſunt facilè mobiles. Ergo non eſt tantùm accidentalis diuerſitas inter membra diuidentia ſingularum eiuſmodi ſpecierum. Ita *ſcientia*, quam ideo *habitum* vocant, eſt difficilè mobilis à ſubiecto ſuo, quia generatur per Demonſtrationem, vnde conſequenter intellectus iudicet immobiliter rem alio modo eſſe non poſſe: contrà autem *opinio*, quia generatur ſolùm ex diſcurſu probabili, facilè eſt mobilis à ſubiecto ſuo; nam facto probabiliori diſcurſu facilè deponi poteſt; atque idcirco habitum hunc opinionis appellant *diſpoſitionem*. Certumque eſt ſcientiam & opinionem inter ſe differre eſſentialiter: ergo, inquiunt, habitus

& diſpoſitio differunt inter ſe eſſentialiter, non autem, quod aiebamus, tantùm accidentaliter. ℞. Hic quæſtionem ſolùm eſſe de nomine: vel certè, ſi opinio locum habeat diſpoſitionis; ratio autem habitus tribuatur ſcientiæ: ſic oportebit diſtinguere: quæ qualitates ex naturâ ſuâ ſunt difficilè mobiles à ſubiecto ſuo, differunt eſſentialiter ab ijs, quæ ſimiliter ex naturæ ſuæ conditione ſunt facilè mobiles; vt ſcientia, & opinio: *concedo*. Quæ tantùm ita ſe habent ratione ſubiecti, cùm ſint qualitates eiuſdem naturæ, vt calor radicatus in ſubiecto, aut calor ſubiectum leuiter afficiens; *Nego*.

De actione & paſſione, de loco, alijſque id genus diſputatur in Phyſicâ. Quare hîc ſupereſt tantùm vt agamus de Relatione.

DISPVTATIO IX.
DE
ENTE RELATIVO.

CAPVT I.

Exiſtere in rerum naturâ Relationes.

ACCIDENTIVM genus eſt duplex: alia enim ſubiecto inhærent, illique ſuum effectum formalem tribuunt ſine ordine ad aliud; ideoque vocantur *abſoluta*, quaſi ab alio ſoluta. Sic albedo in lapide, illum abſolutè Album efficit; quâ ratione Lux facit Lucidum, Calor Calidum; Quantitas Quantum, &c. Verùm alterius generis eſt accidens, quod in ſubiecto non exiſtit, niſi ipſum ad aliud ordinando, ſeu referendo, quamobrem vocari ſolet *Relatio*. Ita *ſimilitudo* albedini inexiſtens, illam facit *alteri* ſimilem; *paternitas* in homine generante, facit illum eſſe alicuius patrem. Ita baculus, per relationem *æqualitatis*, eſt alteri æqualis: ſocius per relationem ſocij, eſt alteri ſocius; nec poteſt eſſe ſocius abſolutè, id eſt, ſine alio. Quare

NOT. 1. In omni relatione ſupponi ſemper duo extrema realiter diſtincta; quorum alte-

rum eſt *ſubiectum* relationis, ideóque dicitur *relatum*, ſeu *relatiuum*; quomodo per proportionem ſubiectum albedinis denominatur album ab albedine ipſi inexiſtente. Alterum verò extremum, eſt eiuſdem relationis *terminus*: ſic enim paternitas exiſtens in homine generante, terminatur ad hominem genitum; ſimilitudo in albedine *A*, terminatur ad albedinem *B*, &c. *Conf.* Quia niſi relatio de ſe multa ſupponeret, eáque inter ſe diſtincta realiter, non poſſet aſſerri cauſa, cur dicamus; Perſonas Diuinas inter ſe realiter eſſe diſtinctas, &c. Huc accedit *fundamentum* relationis, ſeu ratio illius fundandæ; quæ ſcilicet cauſa eſt, cur ſubiectum referatur ad aliud. Sic enim v. g. actio generatiua in homine generante, cauſa eſt, cur exurgat in eo relatio paternitatis; ſic ratio fundandæ ſimilitudinis in albedine *A*, eſt conuenientia, quam habet cum aliâ albedine; & ſic de aliis. At

NOT. 1. Quòd idcirco non neceſſe eſt, vt ſubiectum & fundamentum relationis ſint res diſtinctæ, etſi fundamentum dicatur cauſa relationis, quæ in eo ſubiecto exiſtit. Vt enim ait Suarez *in Metaph.* ſubiectum ex naturali ſuâ conditione habet plerumque ſufficientem rationem, ad quam conſequatur relatio: vt quantitas alteri æqualis; aut albedo alteri ſimilis.

Atque his quidem prænotatis; quæſtio eſt, an de facto in rerum naturâ ſint admittendæ relationes reales, cùm aliqui velint eas formaliter non exiſtere in rebus, niſi per operationem intellectus comparatiuam vnius extremi cum alio. Sed

DICO I. Eſſe omnino admittendas Relatio-

nes in rebus, citra illam mentis operationem. Ita vulgò Philoſophi cum Ariſtotele. *Prob.* Quia ſaltem habemus de Fide, exiſtere in Deo relationes reales, quibus conſtituuntur & diſtinguuntur Perſonæ Diuinæ: ergo à pari per proportionem v. g. paternitas & filiatio, quæ reperiuntur in creatis, debent eſſe reales. Nihil enim repugnat, nec ratio eſt, cur perinde non dicantur reales. *Conf.* Quia duæ albedines nemine cogitante ſunt ſimiles; duo baculi bipedales ſunt æquales, &c. Suntque iſtæ denominationes omnino intrinſecæ, quòd v. g. homo generans dicatur pater; quomodo, per proportionem, in Diuinis, Perſona prima non habet tantùm ab extrinſeco, quòd ſit pater.

Obijc. Relatio aliud nihil eſt, quàm ordinatio quædam vnius ad aliud, aut eorum inter ſe comparatio; cuiuſmodi comparatio, aut ordinatio non eſt formaliter niſi per intellectum. ℞. Nego relationem eſſe formaliter comparationem, cùm ſit tantùm illius fundamentum. Item, ℞. 2. Etſi ordo qui eſt diſpoſitio partium inter ſe, aut mediorum ad finem, non exiſtat independenter ab intellectu; non eſt tamen par ratio de ordine, qui eſt habitudo vnius ad aliud.

DICO II. Relatio conſtituit Categoriam ab alijs diuerſam. Sic Ariſt. *Prob*. Quia modum habet afficiendæ ſubſtantiæ penitus diuerſum ab accidentibus aut formalitatibus alijs accidentalibus. Quænam autem ſint genera & ſpecies diuerſæ ſub genere ſupremo relationis, intelligetur poſteà, *cap.* 3. vbi de diuiſione Relationis.

CAPVT II.

Natura Relationis.

VT omittam loqui de relationibus ſubſiſtentibus, quales ſunt Diuinæ;

DICO I. Relatio eſt accidens, cuius totum *eſſe* eſt ad aliud. Quæ definitio deſumitur ex Ariſtotele, eſtque communi Philoſophorum conſenſu recepta. Huncque habet ſenſum; nempe, quòd relatio nullum formalem effectum ſubiecto ſuo tribuat, quàm vt faciat illud ſe habere ad aliud. Quare, ex communi quidem ratione accidentis, habet *eſſe* in ſubiecto; verùm in hoc differt ab alijs, quòd habeat tantùm vt ſit *Ad*; id eſt, quòd ſit ordo, ſeu habitudo ad aliud. In quo etiam differt ab ijs accidentibus, quæ ſunt propter aliud; cuiuſmodi eſt v. g. habitus ſcientiæ: nam etſi ordinem habeat eſſentialem tum ad intellectum, tum ad obiectum; non eſt tamen duntaxat ordo, ſeu habitudo; nec ſolam eiuſmodi denominationem ſubiecto ſuo tribuit, vt ſit ad aliud; quin potius eſt qualitas, per quam aliquis eſt formaliter ſciens, cum ordine ſeu relatione ad obiectum ſcientificum; quia relationem habet tantùm ſibi adiunctam.

NOTANDVMQVE eſt conſequenter 1. Relationem hanc in genere entium tenere locum omnium infimum, atque inter omnes formalitates accidentales eſſe minimam, imperfectiſſimamque. *Prob.* Quia, cùm nihil habeat in ſe abſoluti, maximè recedit à genere Entis om-

nium perfectiſſimo, nempe à ſubſtantiâ, quæ maximè eſt ens abſolutum, per ſe, & in ſe, &c. Item,

NOT. 2. Relationem, cùm ſit habitudo ad aliud, ſupponere neceſſariò *vnum* & *aliud*, veluti conditiones eſſentiales. Quanquam

DICO II. Contra nonnullos Nominales, extrema illa relationis non eſſe formaliter ipſi eſſentialia; ita vt relatio ſecundùm intrinſecum dicatur aliud nihil eſſe formaliter, quàm fundamentum & terminus, ſeu quemadmodum loquuntur, *hoc & hoc*. Nam ex Ariſt. & ex communi Philoſophiâ, relatio non eſt *Entia*, ſed potiùs vnum quid, ſeu aliquod genus accidentis, quod conſequatur ad fundamentum & terminum; iuxta illud, *Poſito fundamento & termino reſurgit relatio*. Imò, relatio aliud nihil eſt, quàm ordo, ſeu habitudo ſubiecti ad terminum: atqui fundamentum & terminus non ſunt habitudo ad aliud: aliud enim nihil ſunt quàm duo abſoluta, putà, Petrus & Paulus, qui dicantur eſſe ſimiles in naturâ humanâ. Et verò duo abſoluta ſubſtantialia non ſunt formaliter aliquod accidens, cuiuſmodi eſt relatio. Item, *paternitas* v. g. eſt quid ad aliud: atqui homo generans & genitus non ſunt ad aliud, quod poſſit dici terminus paternitatis illius: ergo homo generans & genitus non ſunt formaliter illa relatio paternitatis. *Conf.* Quia in Diuinis paternitas non eſt Perſona generans & genita: ergo à pari, per proportionem, nec in creatis. *Prob. Ant.* Quia paternitas eſt quid intrinſecè conſtitutiuum primæ Perſonæ, & realiter illius diſtinctiuum ab alijs; vt vulgò tradunt Theologi: quod in ſententiâ Aduerſariorum explicari non poſſet. Item, poteſt dari relatio realis

actualis, cuius terminus non ſit actu; v. g. relatio Imaginis ad Prototypum non ampliùs exiſtentem : quo in caſu, aliquid non exiſtens eſſet principium actu formaliter conſtitutiuum rei actu exiſtentis : quod repugnat, &c.

Obijc. Relatio non poteſt eſſe aut concipi ſine extremis. *C.* Ergo extrema illa ſunt ipſi de eſſentiâ. *Diſt.* Sunt illi eſſentialia ſecundùm intrinſecum, *N* Secundùm extrinſecum, quatenus ſunt conditiones illi eſſentiales, quas videlicet ex eſſentiâ ſupponit, habetque neceſſariam & eſſentialem cum ijs connexionem, *C.*

Inſt. 1. Relatio eſt id quod concipitur, quando concipitur relatio : atqui concipiuntur fundamentum & terminus, quando concipitur relatio : ergo relatio eſt fundamentum & terminus. *Diſt. Ma.* Relatio eſt illud ſecundùm intrinſecum, *N.* Eſt illud, quod concipitur tam ſecundùm intrinſecum, quàm ſecundùm extrinſecum, *C.*

Inſt. 2. Sublato termino non intelligitur ampliùs relatio : ergo terminus eſt illi eſſentialis. *Diſt. Ant.* Non intelligitur relatio ſecundùm extrinſecum, aut defectu extrinſeci, *C.* Secundùm intrinſecum, *N.* Item, *Diſt. Conſ.* Terminus eſt illi eſſentialis ſecundùm extrinſecum, ſeu quaſi conditio, quam relatio ex eſſentiâ ſuâ exigat. *C.* Eſſentialis ſecundùm intrinſecum, ſeu quaſi principium intrinſecè ipſius conſtitutiuum, *N.*

Inſt. 3. Ingreditur definitionem relationis. *C.* Atqui quod ingreditur definitionem alicuius rei, debet eſſe illi eſſentiale & intrinſecum; quia definitio eſt oratio explicans rei eſſentiam. *Diſt. Min.* Quod ingreditur definitionem rei

abſolutæ, eſt illi eſſentiale, C. Relatiuæ, aut etiam connotatiuæ, N. Sic enim potentia definiri ſolet per obiectum, nec tamen obiectum eſt de eſſentiâ potentiæ.

Inſt. 4. Terminus eſt principium ſpecificatiuum relationis; quia talis dicitur eſſe relatio, quia eſt ad talem terminum: atqui principium ſpecificatiuum eſt rei eſſentiale. *Diſt. Min.* Intrinſecè ſpecificatiuum, vt rationale in homine, C. Extrinſecè duntaxat ſpecificatiuum, N.

Inſt. 5. Nihil poteſt aliud aſſignari, quod intrinſecè conſtituat eſſentiam relationis, N. Nam intrinſecè habet ſuum genus & ſuam differentiam, per quam dicitur eſſe tale accidens; cùm tamen in *eſſe* talis, per hanc differentiam non conſtituatur, niſi ſuppoſito tali fundamento & termino.

Inſt. 6. Sequeretur extrema illa eſſe tantùm accidentalia, ſi non ſunt de illius eſſentiâ: quia quod eſt extra eſſentiam, non eſt eſſentiale: ergo eſt tantùm accidentale. ℞. Eſſe eſſentialia ſecundùm extrinſecum, & tanquam conditiones eſſentiales; non autem ſecundùm intrinſecum.

DICO III. Relatio in creatis eſt habitudo vnius ad aliud à quo dependeat, vel dependere actu poſſit. Quod quidem vt explicem; ſuppono *dependere* propriè & formaliter aliud nihil ſignificare, quàm aliquid non poſſe habere *eſſe*, aut operari, aliam-ve perfectionem, ſine alio, à quo dicitur dependere. Ita vulgò dependentiam vnius ab alio explicant; patetque inductione. Primò enim effectus ſic dependet à cauſâ, cùm ab illâ *eſſe* accipiat. Sic etiam cauſa creata dependet ab effectu, tanquam à cauſâ finali,

quia non accipit à Deo virtutem agendi niſi propter effectum. Sic materia prima eſt propter formam, ac proinde ſublatâ formâ non exiſteret; quomodo viciſſim forma ſubſtantialis, ſaltem quæ materialis eſt, dependet à materiâ, quia proprias operationes habet dependentes à materiâ, nec conſequenter exiſtere, naturaliter ſaltem, poteſt ſine materiâ; vt explicatur in Phyſicâ. Sic dependent accidentia à ſubſtantiâ, ſine quâ non forent; quemadmodum ſatis expoſui. *Diſp. 6. cap. 5.* Ita potentiæ & habitus cum actibus dependent ab obiectis; quibus ſublatis, tollerentur. Si enim ſcibile v. g. foret impoſſibile, foret conſequenter & ſcientia impoſſibilis; quamobrem ſcientia dependet à ſcibili, non autem ſcibile à ſcientiâ, aut obiectum à potentiâ. Quia licet in intellectu creato nulla exiſtat ſcientia de aliquo ſcibili; putà, de quadraturâ circuli, non idcirco deſinit illa eſſe ſcibilis. Item, ſimilia quoque, vt duæ albedines ad ſe inuicem correlatæ, aut duo ignes ſimiles, in eo dependentiam habent ab inuícem, quòd talem, aut talem effectum habere nequeant, niſi iunctis ſimul viribus per modum cauſæ totalis. Atque ita relatio omnis in creatis dependentiam inuoluit ortam ex indigentiâ.

Obijc. Quidni ergo diceretur eſſe dependentia inter Perſonas Diuinas, cùm vna accipiat *eſſe*, & virtutem operandi ab aliâ, cum relatione ad inuicem, &c. ℞. Huic rei obſtare identitatem naturæ: nam vna perſona non accipit ab aliâ naturam, aut perfectiones illius naturæ diſtinctas, ſed potiùs omnino eaſdem.

Inſt. Perſonæ productæ accipiunt *eſſe* relatiuum proprium diſtinctum: ergo nulla ſolutio.

R. *Tr. Ant. N. Conſ.* Quia ratio productionis præcipuè penſanda eſt, ex formali *eſſe*, quod per ſe primò communicatur: atqui quod per ſe primò per illas proceſſiones communicatur, non eſt *eſſe relatiuum* vt ſic, ſed *eſſe abſolutum* & eſſentiale. Sic enim procedit Deus de Deo: relatio verò, ex naturâ rei, hîc requiritur tantùm, vt proprietas neceſſaria ad conſtituendam Perſonam diſtinctam. Ita loquitur Suarez, *in Metaph. Diſp. 12. ſect. 2.*

DICO IV. Proprietates relationis, & relatorum ex Ariſt. iſtæ ſunt. 1. Habere interdum contrarium. Sed hoc accipiendum eſt de relatis, non vt relata ſunt formalitér; ſed ratione duntaxat fundamentorum, quando ſunt contrarietatis capacia. Quo pacto ſe habet ſimilitudo, quæ fundatur in contrarijs qualitatibus, vt in albedine, & nigredine.

2. Proprietas eſt recipere magis & minùs: ſed eodem modo iſtud accipiendum eſt, non ratione relationis ipſius, ſed ratione tantùm fundamenti: vt explicari poteſt in allato iam exemplo.

3. Proprietas eſt, inquit, reciprocari, ſeu dici ad conuertentiam. Sic enim Pater eſt Filij Pater, & Filius eſt Patris Filius. Quanquam vt poſteà videbimus, ad hoc non eſt neceſſe, vt ſit relatio realis mutua, ſufficitque, ſi in altero extremo fuerit relatio *ſecundùm dici*. Qualem ſequenti cap. explicabimus.

4. Relata ſunt ſimul naturâ. Quod intelligendum eſt de relatis vt correlata ſunt. Quemadmodum & cùm aiunt ſimul eſſe cognitione; & vno cognito aliud cognoſci. Quæ ſuis locis commodiùs exponam.

CAPVT III.

Diuiſio Relationis.

DIco I. Relatio diuidi ſolet in eam, quæ eſt realis, ſeu exiſtens, independenter ab intellectu; quam etiam vocant relationem *ſecundum eſſe*: cuiuſmodi eſt paternitas, filiatio, &c. Alia verò eſt *rationis* tantùm, quæ ſcilicet ex modo cognoſcendi noſtro attribuitur alicui rei, propter connexionem quam habeat cum aliâ, vel quam connotet.

NOTABIS autem, ea dici *connexa*, quæ ſe mutuò inferunt, nec alterum eorum concipimus aut explicamus, niſi cum concomitantiâ alterius, & per modum habentis ordinem ad illud, quod etiam eam ob cauſam dicitur eſſe ipſius *connotatum*; ſiue in iis exiſtat de facto relatio aliqua realis, ſiue non. Ita ſe habent cauſa & effectus; creator & creatura. Etſi enim in Deo nulla ſit relatio ad creaturas, cum iis tamen, vt creator, vel vt omnipotens, habet aliquam connexionem, illaſque connotat; nec poteſt à nobis concipi aut explicari iſtiuſmodi attributum in Deo, ſine earum concomitantiâ.

NOTANDVMQVE eſt 2. Hinc etiam reſurgere illam relationem, quam appellant *ſecundùm dici*, quæ non exiſtit in rebus, niſi ex noſtro illo concipiendi & explicandi modo; & vulgò ab aliis confunditur cum relatione rationis.

DICO II. Relatio realis diuiditur in Categoricam, & Tranſcendentalem. Tranſcendens

talis, ex Suare, illa eſt quæ in pluribus entium generibus reperitur, vt relatio creaturæ ad Deum, quæ eſt in omni Ente creato; Relatio accidentis ad ſubſtantiam. Categorica autem certo genere ſupremo definitur. Habetque præterea tranſcendentalis hoc diſcrimen à Categoricâ, quòd omnis tranſc. ſubiecto ſuo ſit eſſentialis, ſaltem cauſaliter, vt poſteà explicabitur; item, quòd nulla ſit ad purè terminum, id eſt, ad terminum, qui ſolùm hoc munus terminandi exerceat. Nam Deus v. g. non ſolùm terminat relationes creaturarum ad ſe, ſiquidem prætereà creaturæ à Deo iugiter dependent in *eſſe* & conſeruari. Sic in ſuo *eſſe* dependent accidentia à ſubſtantiâ, &c. At ex Categoricis v. g. ſimilitudo in albedine *A*, ſic terminatur ad albedinem *B*. vt prætereà hæc albedo *B* nihil efficiat circa albedinem *A*. &c.

NOTANDVS autem, ab aliquibus relationem tranſcendentalem confundi etiam formaliter cum certis quibuſdam Entibus abſolutis, ex eo quòd non intelligantur ſine ordine ad aliud. Sed hoc repugnat conceptui relationis, cuius τὸ *eſſe* formaliter ſumptum, nihil inuoluit abſoluti, vt patet ex eius definitione iam ſuperiori capite explicatâ.

DICO III. Relatio diuiditur in mutuam, & non mutuam. Mutua eſt, cuius extrema ad ſe inuicem correferuntur, vnde vocantur *correlata*; vt Pater & Filius. Ita paries *A* ſimilitudinem habet in ſe, vnde reſpicit parietem *B*; quomodo ex oppoſito paries *B* habet quoque in ſe & ſimilitudinem, per quam viciſſim reſpiciat parietem *A*. Contrà autem relatio non mutua, eſt quando in vno tantùm ex extremis eſt relatio. Sic creaturæ quidem referuntur ad Deum,

Deum; non autem Deus ad creaturas; ita etiam in doctrinâ Ariſt. 5. *Metaph. cap.* 15. potentia & habitus referuntur ad obiecta ſua, vt ſcientia ad ſcibile; non autem è contrà: nam, vt ſuperiori capite aiebam, ſcientia quidem dependet à ſcibili, non autem è contrà. Repugnant quidem Nominales, qui volunt relationes omnes eſſe mutuas. Verùm, vt inquit Suares, *Diſput. de relat. ſect.* 15. hæc ſententia tantâ conſenſione recepta eſt, vt non liceat Philoſophis eam in dubium reuocare.

OBIIC. Ariſt. *cap. de Relatis*, affert ſcibile in exemplum eorum, quæ ſunt ad aliquid. ℞. Ibi ſermonem eſſe tam de relatis ſecundùm *dici*; quàm de relatis ſecundùm *eſſe*. Ac relata quidem ſecundùm *dici*, ob connexionem quam habet vnum cum alio, vel quia terminat relationem alterius ad ſe, non poſſunt intelligi aut explicari ſine inuicem; quo pacto, *ſecundùm dici*, id eſt, *per rationem*, mutuò referuntur ad inuicem; ſed tamen non idcirco eſt mutua relatio *ſecundùm eſſe*.

Inſt. Relata illa ſunt, quæ dicuntur eſſe alicuius; quomodo ſcibile per ſcientiam eſt ſcibile. ℞. Illa quæ tantùm hac ratione *dicuntur* eſſe alicuius, non ideo numerari inter relata *ſecundùm eſſe*; tunc vbi eſt independentia vnius ab altero.

DICO IV. Ex Ariſt. 5. *Metaph. c.* 15. Relationes omnes reales ex diuersâ fundandi ratione reuocari ad triplex genus.

Ac primò quidem ſunt eæ relationes, quas dicit fundari in *vnitate*, vel *in numero* ſeu *in multitudine*. Vnitatem porrò hîc ſumit pro vnitate conuenientiæ; quæ quidem conuenientia, ſi reperitur inter duas qualitates, vt inter

duas albedines, fundat *ſimilitudinem* : ſi inter duas quantitates, *æqualitatem* : ac denique ſi, reperitur inter duas ſubſtantias, fundat *identitatem*, id eſt ſimilitudinem in ſubſtantiâ.

His opponuntur relationes diſſimilitudinis, diſtinctionis, inæqualitatis, aliæque id genus, quæ fundamentum habent oppoſitum vnitati, illudque idcirco vocant *numerum* aut *multitudinem*, ob receſſum ab vnitate; ſeu propter contrarietatem, quam numerus habet cum illâ. Ita multi Ariſtotelis interpretes.

Ad hoc genus aiunt reduci relationes *præſentiæ*, & *propinquitatis* quòd fundentur quaſi in vnitate loci, ſeu quòd res eodem veluti in loco exiſtant : vti, ex oppoſito, relatio *diſtantiæ* fundari debet in ratione illi vnitati oppoſitâ.

SECVNDO loco ſunt relationes tum cauſæ ad effectum, fundatæ in actione, vt *paternitas* : tum relationes effectus ad cauſam, fundatæ in paſſione, vnde ſcilicet intelligatur effectus recipere eſſe à cauſâ; cuiuſmodi relationum exemplum eſt *filiatio*.

NOTABIS autem *actionem* & *paſſionem* eiuſmodi eſſe duntaxat conditiones neceſſarias, vt reſurgat relatio, non verò vt conſeruetur. Nam Socrates dicitur nihilominus pater Calliæ, quamuis actio ipſius generatiua ampliùs non exiſtat. Item,

NOT. 2. Sub hoc etiam genere contineri relationes fundatas in cauſalitatibus aliarum omnium cauſarum, vt materiæ & formæ, tum ſubſtantiæ & accidentis, vbi dicuntur referri ad inuicem ſub ratione materiæ, aut formæ.

TERTIÒ denique eſt *menſura* & *menſurabile*,

ſeu *menſuratum* vt habetur ex Ariſtotele, vnde fundantur potentiarum, habituum, aut actuum relationes ad ſua ſubiecta. Cùm enim non habeant *eſſe*, niſi per ordinem ad illa obiecta, habeantque naturæ ſuæ perfectionem iuxta perfectionem obiectorum ad quæ ordinantur, ideo dicuntur iilis obiectis veluti *menſurari*. At

NOT. 1. Iſtius generis relationes *ex Ariſt. loco citato*. non eſſe mutuas; & in eo differre à relationibus primi & ſecundi generis, quòd in iſtis vtrumque relatiuum ſit ad aliquid; *menſurabile autem, & ſcibile & intelligile*; *eò quòd aliud ad aliud dicatur*, ſeu ex eo quòd terminet relationem alterius ad ſe, hanc habent denominationem extrinſecam. Nam, vt inquit, intelligibile dicitur eò quòd circa ipſum verſetur intellectus; neque alio modo ſcibile v. g. eſt relatiuum, niſi quia mens noſtra ad explicandam relationem ſcientiæ, concipit ipſum ſcibile vt correlatiuum ſcientiæ; ac proinde ſcibile non habet relationem niſi *ſecundùm dici*: vti iam diximus. Quare vt paucis doctrinam hanc comprehendam;

NOT. 2. Tribus maximè his modis vnum ordinari ad aliud. Primò, ratione conuenientiæ, aut diſconuenientiæ. 2. Quatenus vel eſt ad *eſſe* alterius, vel ab alio ipſum *eſſe* accipit. Tertiò denique, quatenus vnum habet *eſſe* propter aliud; vt potentia propter obiectum.

CAPVT IV.

De diſtinctione Relationis à ſuo ſubiecto, aut fundamento.

POSSVNT quidem eſſe idem realiter ſubiectum relationis, & ipſius fundamentum, ſeu ratio illius fundandæ. Vt, cùm duæ ſubſtantiæ, aut duæ albedines dicuntur ſimiles, ratione conuenientiæ quam inter ſe habent; illa enim conuenientia non eſt quid diſtinctum aut à ſubſtantiâ, aut ab albedine ſimili. At fundamentum iſtiuſmodi aliunde poteſt etiam diſtingui realiter à ſubiecto relationis. Vt cùm duo Lapides dicuntur ſimiles, ratione albedinis quam in ſe habent. Nam ratio fundandæ ſimilitudinis inter Lapides iſtos, eſt albedo realiter diſtincta. Cùm igitur quærunt Philoſophi, an relatio ſit diſtincta realiter vel à ſubiecto, vel à fundamento; ſermo eſt tantùm de ipſius diſtinctione ab eo ſubiecto, cui immediatè inexiſtit.

DICO autem I. Cùm vna res dicitur alteri *ſimilis*; vel quando quis dicitur *Pater*, illa denominatio non eſt merè extrinſeca, id eſt, ab aliquo principio formali merè extrinſeco. *Prob.* Quia ſic relatio non foret habitudo ſubiecti ad aliquid extrinſecum, ſed potius veluti applicatio formæ extrinſecæ ad ſubiectum, vt loquitur Suarez; cùm tamen homo generans dicatur intrinſecè pater, ipſumque etiam fundamentum paternitatis ſit illi intrinſecum. *Conf.* 1. Quia in Diuinis paternitas eſt intrinſecè in Perſonâ

generante: ergo à pari per proportionem & in creatis. *Conf.* 2. Quia alioqui non minùs eſſet relatio realis creatoris ad creaturam, quàm cuiuſlibet agentis creati ad ſuum effectum: atqui falſum eſt iſtud conſequens, vt ſequenti cap. declarabitur. Ergo & antec. *Prob. Seq Ma.* Quia ſic Deus perinde recipit denominationes eiuſmodi ab extrinſeco, vel propter relationes creaturarum ad ſe quas terminat, &c. Neceſſe eſt igitur, vt denominationes illæ relatiuæ ſint intrinſecæ: ergo & à relatione, tanquam à formâ ipſi denominationis ſubiecto intrinſecâ: neque enim dicitur denominatio intrinſeca, niſi quia eſt à formali principio intrinſeco. Item, neceſſe eſt formam illam relatiuam eſſe quid ſaltem ab ipſo ſubiecto ratione ratiocinatâ, & virtualiter diſtinctam. *Prob.* Quia albedo & ſimilitudo, per quam eſt ſimilis alteri albedini, differunt inter ſe definitione; imò, ſunt in diuerſis Prædicamentis; ſicque habent conceptus ſe ſe totis diuerſos: item, & de ipſis dicuntur contradictoria: ergo, &c. At contrà Thomiſtas;

DICO II. Relatio non eſt aliqua Entitas diſtincta realiter à ſubiecto cui immediatè inexiſtit. *Prob.* Authoritate ipſius D.Th. *opuſculo 48. cap. 2. De Ad aliquid.* Prob. ratione. Ex ipſo Ariſt. Vbi ait ad relationem, id eſt, ad hoc vt res aliqua fiat v. g. de nouo ſimilis, aut æqualis alteri, non requiri mutationem ſubiecto relationis ipſius intrinſecam; cùm ſufficiat extrinſeca, nempe in termino. Hoc per ſe patet. Nam vt quantitas *A* reddatur æqualis quantitati *B*, ſatis eſt, ſi quantitati *B* aliquid aut detrahatur, aut addatur, dum tot habeat partes æquales vni certæ, quot quantitas *A*.

Conf. 1. Quia nihil implicat duo quanta æqualia conſeruari à Deo, deſtructâ illâ Entitate relatiuâ, quam ſupponunt Aduërſarij eſſe diſtinctam realiter: quâ in hypotheſi, duo illa quanta non deſinent eſſe æqualia, nec poterunt nihilominus non eſſe æqualia, ſiquidem plures non ſunt partes in vno quàm in altero. Item, poteſt Deus ſimiliter deſtruere entitatem relatiuam paternitatis à Petro, à quo genitus eſt Paulus, neque idcirco deſinet eſſe Pater Pauli: ergo fruſtra eſt eiuſmodi Entitas relatiua diſtincta realiter. *Confir.* 2. Ex abſurdis, quæ vulgò inferuntur ex illâ ſententiâ. Primò enim ſequeretur ad motum digiti, aut muſcæ vnius, produci nouas Entitates relatiuas diſtantiæ aut propinquitatis, in omnibus & ſingulis Mundi partibus; nec tamen explicari poſſet, quemadmodum ſingulæ Mundi partes determinarentur ad emanandas ex ſeſe nouas illas relationes, veteribus deſtructis. Item, ſequeretur productâ eiuſmodi aliquâ relatione tanquam nouo effectu, debere iterum nouas produci tum in cauſâ eâdem ad ipſam relationem, tanquam ad ſuum effectum; tum in ipſâ relatione, tanquam in effectu ad cauſam; & ſic in infinitum. Quæ quidem cùm per ſe abſurda ſint; concludendum eſt relationem non eſſe à ſubiecto ſuo diſtinctam, niſi virtualiter, aut formaliter, & per rationem ratiocinatam; ſicque eſſe idem realiter cum ſubiecto ſuo, quod eiuſmodi accidenti realiter diſtincto æquiualeat; quemadmodum aiunt de alijs formalitatibus, aut accidentibus Metaphyſicis. Sed

NOTABIS, accidens eiuſmodi relatiuum de ſe plura requirere quàm abſolutum, ad hoc vt ſubiecto, in quo eſt, ſuam tribuat denominatio-

nem. Nam hoc ipſo quòd forma abſoluta, v. g. quòd calor exiſtat in ſubiecto, facit illud formaliter calidum. Relatio verò prætereà requirit nō modò fundamentum ſeu rationem fundandi, tanquam conditionem neceſſariam, ſed etiam & terminum; cuius defectu ſubiectum ſuum non denominaret, cùm ſit habitudo vnius ad aliud; ſic enim ſupponit vnum & aliud.

Obijc. 1. Albedo & ſimilitudo per quam denominatur ſimilis, diſtinguuntur eſſentialiter, imò ſunt in diuerſis Prædicamentis. *Tr.* Ergo diſtinguuntur realiter. *N Conſ.*

NOTANDVMQVE eſt, hoc loco poſſe afferri inſtantias illis ſimiles, quæ habentur in Diſput. 3. cap. 2. ad ob. 1. Sed eodem modo eſt reſpondendum.

Obijc. 2. Albedo *A.* poſito termino, de nouo denominatur intrinſecè ſimilis. *C* Ergo ſic accipit nouam aliquam formam intrinſecam, vnde oriatur noua illa denominatio intrinſeca. *N. Conſ.*

Inſt. 1. Fieret ibi tranſitus de contradictorio in contradictorium abſque vllâ mutatione in rebus. *N* Fieret enim mutatio ſecundùm extrinſecum ex poſitione noui termini; quo poſito, relatio exiſtens in fundamento illi tribuit ſuum effectum & denominationem formalem.

Inſt. 2. Poſito termino, relatio aduenit fundamento, & pereunte termino, illa perit: ergo eſt aliquid ab ipſo fundamento ſeu ſubiecto realiter diſtinctum. *Diſt. Ant.* Aduenit, aut perit entitatiuè. *N.* Aduenit, aut perit denominatiuè, ſeu ſecundùm denominationem actualem, *C.*

Inſt. 3. Denominatio illa intrinſeca de nouo

adueniens, eſt aliquid reale & intrinſecum: ergo ſic aliquid reale & intrinſecum de nouo aduenit. *Diſt. Ant.* Eſt aliquid reale intrinſecum ſine extrinſeco. *N.* Cum extrinſeco termino. *C.* Nam illo tantùm poſito, fit illa denominatio.

Inſt. 4. Forma entitatiuè ac intrinſecè exiſtens in ſubiecto, illi tribuit ſemper denominationem: ergo ſi forma relatiua ſemper exiſtit entitatiuè in ſubiecto, debet illi ſemper ſuam denominationem tribuere, poſito, vel non poſito termino. *Diſtinguo Antecedens*, tum illud concedo de formâ abſolutâ: nego de relatiuâ.

Inſt. 5. Effectus formalis non eſt aliquid diſtinctum à formâ informante ſubiectum: ergo vbicunque eſt forma in ſubiecto, ipſi tribuit effectum formalem. ℞. Forma etiam realis realiter diſtincta, & abſoluta, poteſt eſſe in ſubiecto, ſeu illi eſſe intimè præſens, ipſum non informando, vt habetur in Phyſicâ Vniuerſali, vbi de vnione formæ ſubſtantialis. Atque ita per proportionem formalitas hæc, quæ relatiua eſt, poterit exiſtere in ſubiecto, illud non denominando, defectu conditionis alicuius ad id determinantis: conditio autem illa eſt poſitio termini; ſiquidem, vt aiebam, cùm ſit ordo vnius ad aliud, ſupponit vnum & aliud.

Obijc. 3. Albedo poteſt eſſe ſine ſimilitudine: ergo diſtinguuntur realiter. *Diſt. Ant.* Poteſt eſſe entitatiuè ſine illâ, N. Denominatiuè, C.

[illegible] 1. Sequeretur relationem ſimilitudinis, [illegible] dicitur alteri ſimilis, [illegible] aut ſimilitudinem in naturâ,

naturâ, quam habet Petrus cum Paulo, eſſe realiter ſubſtantiam. *C.* Atqui falſum conſequens; nam accidens non poteſt eſſe idem realiter cum ſubſtantiâ. *Diſt.* Tranſeat de accidente phyſico. *N.* De metaphyſico.

Inſt. 2. Quod inhæret ſubſtantiæ, non eſt idem cum ſubſtantiâ. *Diſt.* Quod inhæret phyſicè, *Tr.* Quod inhæret metaphyſicè, *N.*

Inſt. 3. Idem realiter eſſet ſibi inhærens. *Diſt.* Idem realiter ſecundùm idem formaliter, *N.* Secundùm diuerſas formalitates, ſeu virtualitates. *Tr.*

Inſt. 4. Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens, quod realiter non conuenit relationi: ergo non poſſunt eſſe idem. *Diſt.* *Ant* Non conuenit relationi ſecundùm ſe & formaliter ſumptæ, *C.* Secundùm entitatem quam dicit, *N.*

Inſt. 5. Sequeretur ens idem realiter ſimul eſſe abſolutum, & ſimul relatiuum: dependens ſimul & independens; etiam ſecundùm eandem indiuiſibiliter entitatem. Item, idem quod eſt ens abſolutum, ſeipſo nihilominus referretur ad aliud: atqui falſum conſ. Ergo & antec. *R.* *Diſt.* *Ma.* Hæc ſimul eſſe poſſunt ratione diuerſarum formalitatum, ſeu virtualitatum; *C.* Ratione eiuſdem formaliter, ſeu ſecundùm eaſdem formalitates, *N.*

Inſt. 6. Ergo tota illa entitas eſſet abſoluta, & tota relatiua. *Diſt.* Tota totaliter; id eſt, ſecundùm omnem ſuam formalitatem, ſeu virtualitatem. *N.* Tota realiter. *Tr.* Memineris enim ſubſt[illegible]am eandem propter eminentiam [illegible]ſic poſſe æquiualere pluribus [illegible]ſ, quæ ab Aduerſarijs ſuppo[illegible] diſtincta.

[illegible] & cauſarum diſtinguuntur

realiter : nihil enim ſeipſum cauſat ; atqui ſubiectum, ſeu fundamentum, & ipſius relatio ſe habent vt cauſa & cauſatum ; nam relatio dicitur reſurgere ſeu cauſari, poſito fundamento & termino. *Diſt. Ma.* *Tranſeat* de cauſâ & de cauſato realiter, ſeu ſecundùm aliquam realitatem. Nego de eo quod eſt duntaxat cauſatum quoad denominationem, ad poſitionem termini extrinſeci.

Obijc. 5. Fieri poteſt maior & minor ſimilitudo in albedine *A*, ipſâ eâdem realiter manente ; ſi modò albedo *B* intenſior fiat : ſic enim fiet magis ſimilis. *Diſt.* Fiet maior ſimilitudo ratione ſui, ſeu per ſe, N. Tunc enim reſurget noua & perfectior ſimilitudo ratione maioris conuenientiæ, ob eam mutationem, quæ ſupponitur facta in albedine.

CAPVT V.

De ſubiecto Relationis.

DICO. I. Relatio non poteſt fundare aliam relationem realem, ſeu eſſe illius ſubiectum. Ita v. g. *ſimilitudo* non poteſt dici alteri *ſimilitudini* ſimilis ſecundùm *eſſe*. *Prob.* Quia ſic duæ ſimilitudines fierent ſimiles per alias ſimilitudines, quæ ſimilitudines iterum eſſent ſibi inuicem ſimiles ; atque ita fieret proceſſus in infinitum ; quod repugnat. Nec dicas, repugnare tantùm in iis, quæ ſunt diuerſæ entitates ; ſic enim R. Vt dicuntur eſſe duæ actu ſimilitudines inter albedines *A* & *B*. Ita deberet admitti numerus infinitus actu ſimilitudi-

rum, quæ reſurgerent poſitâ ſimilitudine inter illas ſimilitudines. Atque hâc quidem ratione, à poſteriori, colliges relationem, ex naturâ ſuâ, eſſe ſubiectum incapax relationis, quo pacto multæ aliæ formæ reales ſunt ſubiectum incapax denominationis illius, quam ſubiecto ſuo communicant. Vt albedo, quæ non dicitur alba, niſi *vt quo*, quatenus eſt id quo aliud redditur album; ita & relatio non ſe habet ad aliud, niſi *vt quo*.

Obijc. Duæ paternitates habent omnia requiſita, vt æquè denominentur ſimiles in naturâ, ac duo homines, &c. Ergo perinde poſſunt eſſe ſubiectum relationis. ℟. Vt cætera adſint, deeſſe capacitatem ſubiecti: quare non ſunt ſimiles niſi *ſecundùm dici*, quatenus non concipiuntur à nobis niſi ad modum rerum earum, quæ ſimiles reſpectus habent.

Inſt. Conformitas eſt fundamentum earum maximè relationum, quæ reuocantur ad ſecundum genus: atqui conformitas eſt relatio, ergo relatio poteſt eſſe fundamentum relationis & ſubiectum. ℟. 1. Eſto, relatio aliqua ſit ratio fundandæ alicuius relationis; non ideo eſt ſubiectum per ſe illius relationis, per quam referatur ad aliud. ℟. 2. Nego conformitatem eſſe relationem. Nam conformitas v. g. in naturâ, aliud nihil eſt, quàm talem eſſe naturam in vno, qualis eſt in alio: conformitas cognitionis, eſt repræſentatio rei vt in ſe eſt. Item, conformitas etiam tribuitur bono, idemque eſt cum conuenientiâ; cuiuſmodi propriè reperitur in Deo, quatenus dicitur bonum conforme creaturis. Item, quatenus habet cognitionem conformem obiecto creato, nec idcirco tamen dicitur in eo eſſe relatio ad creaturas. Nam

DICO II. Nulla eſt relatio in Deo ad creaturas, niſi ſecundùm *dici*. Ita vulgò ſentiunt Philoſophi cum Theologis, inquit Suarez. *Prob.* Quia Deus eſt ſupra ordinem rerum omnium, & ad quem de ſe rès vniuerſæ ordinentur, referantur-ve: ergo repugnat ipſum ad illas ordinari; ſic enim quaſi infra deſcenderet, cùm de ſe, & eſſentialiter ſit ſupra omnia, Item, res vniuerſæ ad Deum non modò vt ad principium ſui effectiuum, ſed etiam tanquam ad finem vltimum referuntur: at viciſſim *finis vt ſic* non ordinatur ad aliud; ſed potius in ſe ſiſtit, alia omnia terminando. *Conf.* Quia relatio eiuſmodi poneret imperfectionem in naturâ Diuinâ, ſiquidem deſtrueret illius *eſſe* abſolutum, & faceret Deum eſſe eſſentialiter ad creaturas. Nam omne quod eſt in naturâ Diuinâ commune tribus Perſonis, illud eſt perfectio eſſentialis Deo; imò ſi relatio eſſet in Deo ad creaturas, Deus diceretur formaliter relatio ad creaturas; quomodo per proportionem dicitur eſſe ſapientia, bonitas, aliæque id genus perfectiones, vt in ſequenti Tractatu. Diſp. 2. oſtenderur. Atqui abſurdum eſt illud conſequens; ergo & antecedens.

Obijc. 1. Sunt in Deo Relationes v. g. *paternitatis* & *filiationis*, quæ tamen nullam inferunt imperfectionem in Deo; imò dicuntur eſſe in Deo ex abundantiâ perfectionis: ergo ex eo capite non eſt neganda relatio in Deo ad creaturas, quòd inferret aliquam in Deo imperfectionem. *N. parit.* Quia, ex communi quidem doctrinâ, perſonalia non ſunt de eſſentiâ Naturæ Diuinæ, nec deſtruunt *eſſe* illius abſolutum: quod contingeret in hypotheſi de relatione ad creaturas.

Obije. 1. Deo competit propriè ratio cauſæ. *C.* Atqui cauſa vt ſic habet relationem ad effectus. *Diſt. Min* Cauſa vt ſic creata. *C.* Quia non habet vim agendi à Deo, niſi primò & per ſe, cum ordine ad effectus,& per dependentiam ab illis, tanquam à cauſâ finali; quamobrem, vt ita loquar, vim illam debet ſuis effectibus. Deus autem vim operandi ad extra habet quidem concomitanter, vt loquitur Suarez, & tanquam perfectionem ſibi eſſentialem, non autem vt primò & per ſe ordinatam ad creaturas, etſi illas connotet. Et verò, Deus *eſſe* creaturis non communicat ex aliquo ſaltem naturali debito, ſed tantùm pro ſuâ bonitate, & pro liberrimæ voluntatis Arbitrio.

Inſt. 1. Sunt hîc omnia requiſita ad relationem, nempe extrema realia: item actio creatiua, quæ ſit ratio fundandæ relationis: ergo hîc debet admitti. ℞. Vt cætera adſint, deeſt capacitas ſubiecti; oriturque iſtud ex abundantiâ perfectionis infinitæ in Deo.

Inſt. 2. Cauſa vt ſic non eſt niſi alicuius cauſa: ergo eſt quid relatiuum. *Prob. Conſ.* Quia ideo aliquid eſt relatiuum, quia eſt alicuius. *Diſt.* Eſt relatiuum vel ſecundùm *eſſe*. vel ſecundùm *dici*. Quod autem ſic eſt duntaxat relatiuum ſecundùm *dici*, eſt quidem alicuius connotatiuè, ſed non ſimul reſpectiuè. Atque ita, *eſſe cauſam vt ſic*, *eſſe creatorem*, *eſſe Dominum*, ſunt quidem perfectiones connotatiuæ de ſe, ſed non ſimul relatiuæ, niſi in creatis, quæ non habent illas perfectiones, niſi cum dependentiâ, & ordine ad aliud.

Inſt. 3. Ariſtoteles relatiuis annumerat *eſſe Dominum*. *Diſt.* Annumerat *Dominum* creatum. *C.* Quia poteſtatem illam habet à Deo

propter bonum aliorum. At Deus eſt ſolus abſolutè Dominus; cùm ſubditorum bona ſint potiùs propter gloriam ipſius, non ipſe propter ſubditorum bonum.

Inſt. 4. *Eſſe Regem*, *eſſe Dominum*, etiam cùm relatione ad ſubditos, eſt aliqua perfectio: ergo nihil inde repugnat reperiri in Deo. *Diſt. Ant.* Eſt aliqua perfectio, ſed illa perfectio non eſt ſine aliquo genere imperfectionis, quæ in Deum cadere non poteſt.

Obijc. 3. Scientia vulgò dicitur ordinari ad obiectum, ſpecificari ab obiecto, & ab eo dependere, vt aliàs docui: ergo ratione Scientiæ, quam habet Deus de rebus creatis, ad ipſas referretur. ℟. Scientiæ Diuinæ obiectum primarium eſſe ipſam Diuinam eſſentiam, rerum creatarum repræſentatiuam; vnde habet in ſe, & per ſe, rerum omnium cognoſcibilitatem independenter ab ipſis. At noſtra Scientia dependet ab obiectis; quia illam non accipimus, niſi cum ordine ad ipſa obiecta; vt iam explicui.

Inſt. Deus non cognoſcit effectus liberos, niſi ex hypotheſi quòd illos operemur; vnde & dicuntur cauſalitate priores ad cognitionem Diuinam, vt habetur in Logicâ, *de futuris contingentibus*: ergo ſic illius cognitio à nobis dependet. *Diſt. Conſ.* Dependet formaliter, aliquam inde accipiendo perfectionem in cognoſcendo. *N.* Dependet obiectiuè, quatenus eſt tantùm conditio ſecundùm extrinſecum requiſita, hoc ſenſu, quòd, poſito illo actu libero, eſſentia Diuina ſit illius repræſentatiua: neque inde poteſt inferri aliud genus relationis in Deo, quàm ſecundùm *dici* Hucque refertur Reſponſio petita ex D. Thomâ. 1. p. q. 14. a. 8.

rei exiſtentiam eſſe cauſam viſionis, non ſecundùm eſſendi modum, ſed tantùm ſecundùm conſequentiam, aut denominationem.

Obijc. 4. Deus habet ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem cum creaturâ, &c. Quæ conſequenter ſunt relationes in Deo ad creaturas. ℞. Propriè ſimile, aut diſſimile, aliaque id genus dici tantùm de ijs, quæ ſunt eiuſdem ordinis, & ad inuicem comparabilia. Ita quamuis dicatur lux clara, & vox clara, non ideò dicuntur ſimiles, aut diſſimiles in claritate, quia non ſunt eiuſdem generis ſeu ordinis, nec in eo conſequenter ſunt comparabiles. Quare propriè loquendo, dicendum eſt potiùs Deum eſſe *diuerſum* à creaturâ, quàm diſſimilem.

CAPVT VI.

Quomodo Relatio poſſit eſſe eſſentialis ſubiecto.

EX Relationibus aliæ dicuntur eſſentiales ſubiecto ſuo, quomodo creatura dicitur eſſentialiter referri ad Deum; accidentia ad ſubſtantiam; potentia ad obiectum, &c. Aliæ autem ſunt tantùm accidentales; quia tantùm contingenter exiſtunt in ſuo ſubiecto; poſſuntque *quoad denominationem* abeſſe aut adeſſe, abſque illius ſubiecti interitu: vt *ſimilitudo*, vel *paternitas* in Socrate.

DICO autem I. Relatio non poteſt eſſe *formaliter* eſſentialis ſubiecto ſuo abſoluto, illud nimirum in ſuo *eſſe* conſtituendo. *Prob.* Ita enim ex eo deſtrueret *eſſe* ipſius abſolutum

ſimulque foret ens abſolutum, & non abſolutum. Item, Relatio ſupponit ſubiectum ſuum: ergo non conſtituit illud formaliter in ſuo *eſſe*. Item, quod eſt diuerſi generis, & diuerſi prædicamenti, non poteſt rem aliam formaliter in ſuo *eſſe* conſtituere.

Dico igitur II. Relationem poſſe tantùm eſſe *cauſaliter* eſſentialem ſubiecto ſuo; eo ſenſu, quòd veluti emanet ab eſſentiâ ſubiecti; habeatque cum illo neceſſariam & inſeparabilem connexionem: vt patet in exemplis allatis.

Notabis verò 1. Etſi relationes illæ ſint *cauſaliter* eſſentiales ſubiecto ſuo, hoc tamen non impedire, quominus ſint illi ſimul & *formaliter* accidentales. Atque ita

Not. 2. Creaturas omnes habere ordinem eſſentialem ad Deum, & ab eo dependere eſſentialiter. Ita per proportionem & accidentia dependent à ſubſtantiâ; materia primâ à formâ, & è contrà; quanuis hæc *ſecundùm ſe* dicantur Entia *abſoluta*, provt abſolutum opponitur *relationi*, cuius totum *eſſe* eſt habere ſe ad aliud. Nec ratio illa *abſoluti* impedit, quominus *ſecundùm accidentale*, dicantur eſſentialiter relatiua per relationem *cauſaliter* quidem eſſentialem, quæ tamen ſolùm ſit *formaliter* accidentalis, ac proinde non deſtruens *eſſe abſolutum* ſui ſubiecti.

Obijc. Potentia, vt intellectus, dicitur conſtitui in ſuo *eſſe* per ordinem, ſeu per relationem ad obiectum. *Diſt.* Conſtitui formaliter, & à priori, N conſequenter, C.

Inſt. Creatura in *eſſe* creaturæ conſtituitur per relationem ad Deum: nam per hoc differt eſſentialiter à Deo, quòd habeat *eſſe* depen-

dens à Deo, & relatum ad Deum: atqui principium eſſentialiter diſtinctiuum idem eſt ac formaliter conſtitutiuum: ergo relatio eſſentialiter diſtinctiua creaturæ à Deo, eſt ipſius creaturæ eſſentialiter conſtitutiua. ℞. Ens creatum à Deo differre formaliter, quòd ſit ens ab alio ex nihilo ſui. Neque iſtud dicit relationem, niſi *conſequentem*, non autem ſui formaliter conſtitutiuam.

DICO III. Relatio purè accidentalis & contingens, cuiuſmodi reperiuntur in primo & in ſecundo genere, non denominat actu ſubiectum, niſi exiſtente termino. *Prob.* Quia v. g. paries de ſe eſt indifferens vt denominetur vel non denominetur *ſimilis*, quomodo & Socrates etiam de ſe eſt indifferens, vt denominetur, aut non denominetur *Pater*; niſi per poſitionem termini determinetur ad alterutrum. Item, ſequeretur alioqui parietem album *A* eſſe actu diſſimilem parieti albo *B.* quatenus iſte poteſt eſſe niger, ſi ſufficit quòd terminus poſſit eſſe actu. Item, ſequeretur puerum vnius anni eſſe actu *Patrem*, quia filios habere aliquando poteſt. At

DICO IV. Relationes eſſentiales denominant actu ſubiectum, etiam non exiſtente termino. *Prob.* Quia nihil impedit v. g. imaginem Cæſaris ampliùs non exiſtentis, ad illum determinatè referri: ſiquidem eſt illius determinatè repræſentatiua. Item, res illæ habent *eſſe* ſuum per ordinem ad ſua obiecta, abſtrahendo ab illorum exiſtentiâ, vt ſcientia ad ſcibile: ergo ſic debent ad illa obiecta referri. Ita propoſitiones de obiecto futuro dicuntur veræ, cum relatione ad illud etiam nondum exiſtens.

Obijc. Nulla poteſt relatio eſſe ſine termino, nec poteſt concipi ſine termino. *Diſt.* Sine termino vel actuali, vel ſaltem poſſibili, *C* Sine termino actuali, *N*

Inſt. Tam relatio eſſentialis eſt ordo vnius ad aliud, quàm purè contingens. *C.* Ergo pariter exigit terminum actu. *N.* Petiturque illud ex naturâ talis relationis.

CAPVT VII.

De Termino Relationis.

SVPPONO Terminum relationis realis eſſe diſtinctum realiter à fundamento, & ſubiecto illius. Quia relatio eſt ordo vnius ad aliud realiter oppoſitum: idem autem ſibi opponi realiter non poteſt. At

DICO I. Relatio, vt vulgò aiunt, ſpecificatur à termino; quod eſt eſſe talis ſpeciei, ob talem ſpecie terminum. Item,

DICO II. Vnitas numerica relationis petitur ab vnitate fundamenti & termini; vt per ſe patet. Verùm, pro multiplicitate termini, in eodem ſubiecto multiplicantur virtualiter relationes, eo ſenſu, quòd idem v. g. Socrates denominetur multoties pater, ſi plures habuerit filios.

DICO III. Relationes mutuæ terminantur de ſe ad abſolutum, ita vt terminus relationis vnius ſit fundamentum oppoſitæ; nempe filiatio Calliæ terminatur ad Socratem ſecundùm *eſſe* abſolutum illius, ſeu quatenus eſt homo generans, non autem ſecundùm *eſſe* relatiuum

paternitatis, aut è contrà. *Prob.* Quia relatio exiſtens in termino, non eſt ratio, cur terminet alterius relationem ad ſe; ſiquidem poteſt eſſe terminus ſine vllâ relatione; vt contingit in non mutuis. Item, ſimilitudo albedinis *A*, eſt habitudo illius ad albedinem *B*, propter conformitatem quam habet cum ipsâ albedine *B*: cuiuſmodi conformitatem non habet cum eius relatione. Item, paternitas eſt habitudo hominis generantis ad hominem genitum, non autem ad ipſius filiationem; neque enim Socrates dicitur pater filiationis, ſed illius qui habet filiationem, nempe hominis à ſe geniti. *Confir.* Quia cauſa non refertur niſi ad effectum, quem per ſe producit; qualis, in exemplo allato, eſt homo genitus. Item, ratio cur pater referatur ad filium, hæc eſt, nempe quia eſt homo à ſe genitus, non autem quia correfertur. Ergo, &c.

Dico autem IV. Per accidens eſt, quòd terminetur ad oppoſitam relationem, vt quando in Diuinis paternitas terminatur ad filiationem: quia tunc relatio eſt terminus productus: item, quando ſcientia noſtra de relatione, refertur ad ipſam relationem, quia eſt ipſius ſcientiæ obiectum.

Obijcies 1. Ex Ariſt. Dominus, vt formaliter eſt relatiuus, terminat relationem ſerui ad ſe, ergo relatio non terminatur ad abſolutum. *Prob. Ant.* Si, inquit, auferantur omnia à Domino, præter *eſſe* Domini, adhuc intelligetur terminare relationem ſerui ad ſe. ℞. Tunc remanere nihilominus eum qui habeat poteſtatem; iſque erit terminus relationis. Nec dicas ex Ariſtotele, etiam remoueri hominem, vnde ſublato ſubiectò Dominij, videatur ſolùm

remanere id quod eſt reſpectiuum. R. Velle Ariſtotelem eum duntaxat eſſe terminum relationis ſerui, qui eſt poteſtatem habens, abſtrahendo ab homine, aut ſubiecto quocunque determinato, ſed non abſtrahit ab indeterminato.

Obijc. 2. Terminus relationis eſt quid formaliter reſpectiuum: ſed terminatur ad terminum; ergo terminatur ad formaliter reſpectiuum. *Prob. Mai* Illud eſt reſpectiuum quod dicitur eſſe alicuius: ſed terminus dicitur eſſe alicuius terminus; ergo,&c. *Diſt. Mai.* Quod dicitur alicuius relatiuè, ſeu cum ordine ad aliud. *C.* Alicuius tantùm connotatiuè. *N.* Et verò, terminus debet dici abſolutè terminus, cùm nihil ſit magis abſolutum de ſe, quàm id quod eſt veluti finis ad quem cætera ordinantur.

Inſt. 1. Relatio cauſæ non terminatur niſi ad effectum, vt effectus eſt. *C* Sed effectus vt ſic eſt quid formaliter relatiuum. *Diſt. Min.* Eſt quid formaliter relatiuum conſequenter ad *eſſe* effectus. *C.* In ratione effectus, ita vt relatio ad cauſam ſit illius conſtitutiua in ratione effectus. *N.* Neque enim conſtituitur in ratione effectus, niſi quatenus eſt à causâ, non autem quatenus eſt ad cauſam.

Inſt. 2. Terminus paternitatis non eſt niſi filius vt filius: ſed filius vt filius eſt quid reſpectiuum: ergo, &c. *Prob. Ma.* Quia illud eſt terminus paternitatis, ſine quo pater nec eſſe, nec intelligi poteſt, *Concedo* Atqui ſine filio nec eſſe, nec intelligi poteſt pater: ergo. *Diſt. Min.* Non poteſt intelligi pater ſine filio quatenus eſt filius & formaliter correlatum vt ſic. *N.* Quatenus eſt homo genitus, & illud

ad quod conſequitur relatio filiationis. *Tr.* Neque alio ſenſu correlata ſunt ſimul cognitione, & definitione, niſi quòd relatum definiatur per extremum ſibi oppoſitum, abſtrahendo tamen ab ipſius correlatione.

Inſt. 3. Pater vt pater non refertur ad alium, niſi quatenus eſt ipſius filius. *Prob.* Nam ſola illa eſt ratio, cur potiùs ad illum referatur, quàm ad alium, *Nego*; ſed quia eſt ab ipſo genitus.

Inſt. 4. Non refertur ad illum niſi vt à ſe dependentem. *C.* Atqui effectus, quatenus dependens à causâ, dicit relationem ad ipſam cauſam: ergo non refertur ad illum, niſi vt dicit relationem. *Diſt. Min.* Effectus, quatenus dependens, dicit relationem *conſequenter*. *Tr.* Dicit relationem *formaliter*. *N.* Sic enim in ratione formali effectus non dicit, præciſè, niſi *eſſe ab alio*; nec relatio, aut dependentia eſt niſi conſequens, aut concomitans illud *eſſe ab alio*.

Inſt. 5. Non refertur ad effectum, niſi vt ſibi oppoſitum relatiuè; neque enim aliud genus oppoſitionis cum illo habere poteſt. *Tr.* Ergo ad illum refertur vt formaliter relatiuum. *N.* Nam terminus vt terminus dicitur alteri oppoſitus relatiuè, quatenus terminat relationem ipſius ad ſe, non quatenus ad ipſum correfertur, Quo pacto, ſcibile dicitur relatiuè opponi ſcientiæ; creator creaturæ, &c.

NOTABIS igitur, ad oppoſitionem relatiuam inter duo extrema, ſufficere ſi in alterutro ſolùm fuerit relatio ad aliud: vt patet in relationibus non mutuis.

Obijc. 3. Sequeretur correlata vt ſic, ſeu relationes mutuas non eſſe ſimul naturâ, iuxta

Ariſtotelem. *Prob*. Priùs enim eſſet paternitas, quàm filiatio ; ſiquidem tunc eſt paternitas cùm eſt homo generans, & homo genitus ; quia relatio reſurgit poſito fundamento & termino, quem ſupponimus eſſe hominem genitum. C. Atqui tunc eſt homo genitus, & conſequenter paternitas, vbi nondum eſt filiatio: nam filiatio ſupponit hominem genitum, eſtque tantùm conſequens ad hominem genitum : ergo nondum eſt pro illo priori, in quo eſt paternitas ; ergo non eſſet ſimul naturâ cum paternitate. ℞. Filiationem concomitanter quidem ſupponere hominem genitum in fieri, aut in facto eſſe, non autem præſupponere, id eſt, ſupponere antecedenter ; ſiquidem homo ſimul ac generatur, eſt dependens à patre. Vnde filiatio non eſt conſequens ad hominem genitum, niſi conſequentiâ Logicâ, quatenus inferimus illum eſſe filium, quia eſt homo genitus ; non autem eſt conſequens conſecutione Phyſicâ.

PARS ALTERA,

SEV

TRACTATVS II.

De Ente immateriali tum creato, tum increato.

Cum Introductione ad Sacram Theologiam.

PRAEFATIO

De Naturâ Sacræ Theologiæ.

SVAREZ *in Metaph. pro more aliorum, Tractationem de Subſtantijs immaterialibus, id eſt, de Deo, eiuſque perfectionibus, tum de Angelis, tanquam loci illius propriam inſtituit. Hunc ego imitatus, prolixior eſſe non potui, qui, præterea, res tam multas & tam graues* de Ente in communi, & de varijs illius Diuiſionibus, *tam exiguo libello comprehenderim.*

Quanquam, vt dicebam initio primi Tomi, in Præfatione ad Lectorem, Philoſophiam hanc ſic inſtitui, vt ſimul Adoleſcentibus ſtudioſis ſternerem viam ad plures alias facultates, ac maximè ad Sacram Theologiam, rudimenta illius explicando, tum in Morali, alijſque paſſim in locis, vbi ſeſe dedit occaſio, tum in his potiſſimùm Diſputationibus de Deo & de Angelis; *vt, inde, quod aiunt, incipiat Theologus, vbi deſinit Philo-*

ſophus. Sed antequam Iſagogem hanc ad Sacram Theologiam aggrediar, operepretium me facturum eſſe exiſtimo, ſi naturam tam illuſtris facultatis paucis expoſuero.

DICO igitur I. Sacra Theologia eſt rerum Diuinarum cognitio parta per diſcurſum ex principijs Diuinitus reuelatis. Quâ ratione, differt à Metaphyſicâ de Deo, &c. quæ vocari ſolet Theologia naturalis, quòd philoſophetur ſolùm de Deo ex Principijs Naturæ lumine cognitis: illa verò ex Principijs Diuinæ Fidei: ideóque Syllogiſmus Theologicus is dicitur, qui conſtat, vel ex vtráque Præmiſſâ de Fide, vel ſaltem ex vnâ, quæ adiunctam habeat alteram Naturæ lumine per ſe euidentem.

Differt quoque ab actu Diuinæ Fidei; primò, quòd aſſenſus illius Fidei nitatur immediatè Authoritate Diuinâ; aſſenſus autem Theologicus nitatur proximè aſſenſu Premiſſarum, & mediatè ſolùm actu Fidei. Conf. 1. Quia Diuina Fides non eſt diſcurſiua: quando enim affirmatur aliquid eſſe verùm, quia Deus illud reuelauit: non fit niſi propoſitio cauſalis: in quâ quidem licet contineantur materiales termini, ex quibus formari poſſit Syllogiſmus, ideóque Fides dicatur virtualiter, id eſt, æquiualenter diſcurſiua;

non minùs tamen eſt formaliter propoſitio, quàm alia quælibet cauſalis; nec minùs pertinet ad ſolam Mentis ſecundam operationem. Neque verò eſt diſcurrere, ſi vnum per aliud quocunque modo cognoſcatur: alioquin ſimplex apprehenſio, quâ cognoſcitur Rex per ſuam imaginem, aut res ſignificata per ſignum, perinde foret diſcurſus formalis. Conf. 2. Quia non decuit Fidem Diuinam, penitus infallibilem, ſubijci Regulis bene ratiocinandi, in quibus applicandis ſæpe contingit difficultas, tum error, aut deceptio; cùm tamen Diuina Fides, omnibus, etiam rudioribus, eſſe communis debeat, & in omnibus eſſe facillima & certiſſima. Conf. 3. Contra eos qui volunt principia ipſa Diuinæ Fidei, & quæ ad eius actum prærequiruntur ex parte obiecti, vt Dei exiſtentia & veracitas, debere cognoſci per actum ipſius Diuinæ Fidei; ſic enim, cùm velint actum huiuſmodi eſſe formaliter diſcurſiuum ex principijs Diuinâ Fide creditis, debeantque illa principia ſimiliter credi per actum Fidei, ex alijs principijs Diuinâ Fide creditis; fieret proceſſus in infinitum, &c.

Nec dicas, diſcurrere aliud nihil eſt, quàm ex noto ignotum deducere; hoc autem præſtat Fides, vbi ex teſtimonio Dei noto, de-

ducit notitiam rei reuelatæ, per ſe obſcuræ. Diſt. Ant. *Aſſentire vni propter aliud vt ſimpliciter connexum, ſeu propter ſimplicem connexionem.* N. *Propter illationem, ſeu quia video vnum bene conſequi ex alio.* Tr.

DICO autem II. Cognitio illa & diſcurſus Theologicus, etſi fiat ex præmiſſis, quæ ſint actus Diuinæ Fidei, non eſt tamen niſi naturalis; quemadmodum & habitus ipſe Theologiæ. Prob. *Quia infunderetur diuinitus perinde ac cæteri habitus ſupernaturales; nec ſtudio & exercitatione deberent acquiri: fieretque, vt Ruſticus, hac ratione, præſtantiſſimis etiam Theologis antecelleret; cùm tamen conſtet, hac ſcientiâ non pollere Fideles plurimos, etſi Diuinâ Fide ſint eximij.* Prob. ratione, à priori. *Quia, licet Præmiſſæ Syllogiſmi Theologici ſupponantur eſſe actus Fidei ſupernaturalis, non influunt tamen ſupernaturaliter in aſſenſum concluſionis: non enim influunt niſi vt complicatæ in formâ Syllogiſticâ per vires naturales noſtri intellectus. Neque verò modus operandi ſequitur modum eſſendi, tunc vbi influxus cauſæ aliunde modificatur: quo pacto v. g. Anima rationalis, quantumuis in Entitate eſt ſpiritualis, non influit tamen niſi materiali modo in operationes vitæ vege-*

tatiuæ & ſenſitiuæ, quia ſic, ad illas, per organa corporea determinatur. Item, vt ſcribis Maratius, nihil eſt tam conforme & proportionatum viribus noſtri intellectus naturalibus, quàm vt extrema Concluſionis inter ſe connectat, ſuppoſito aſſenſu Premiſſarum, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali: neque etiam aliunde monetur ad extrema huiuſmodi, per aſſenſum, connectenda in Concluſione, niſi quia videt illa eſſe connexa in Premiſſis cum medio termino, abſtrahendo ab earum naturalitate aut ſupernaturalitate: Imò, hæc ſupernaturalitas, ne mouere quidem intellectum ad aſſenſum Concluſionis poteſt, cùm illi non ſit nota, vt patet vnicuique ex propriâ experientiâ. Confirmatur etiam maximè noſtra Aſſertio, ex communi eorum ſententiâ, qui docent, cum habitu & actu ſupernaturali ſimul exiſtere in iiſdem facultatibus & actus naturales circa eadem obiecta tum materialia, tum formalia, vt habetur. Diſp. 2. De An. ration. c. 4. *Nam, ſuppoſitâ illâ doctrinâ, dicimus Deum non concurrere ad actus ſupernaturales, niſi cùm diſponimur ad iuſtificationem, vel ad conſecutionem finis vltimi ſupernaturalis; quod, per ſe, non præſtat Theologia, cuius officium duntaxat per ſe eſt, ratiocinando, rerum diuinarum veritatem indagare.*

tatiuæ & ſenſitiuæ, quia ſic, ad illas, per organa corporea determinatur. Item, vt ſcribit Maratius, nihil eſt tam conforme & proportionatum viribus noſtri intellectus naturalibus, quàm vt extrema Concluſionis inter ſe connectat, ſuppoſito aſſenſu Præmiſſarum, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali: neque etiam aliunde mouetur ad extrema huiuſmodi, per aſſenſum, connectenda in Concluſione, niſi quia videt illa eſſe connexa in Præmiſſis cum medio termino, abſtrahendo ab earum naturalitate aut ſupernaturalitate: Imò, hæc ſupernaturalitas, ne mouere quidem intellectum ad aſſenſum Concluſionis poteſt, cùm illi non ſit nota, vt patet vnicuique ex propriâ experientiâ. Confirmatur etiam maximè noſtra Aſſertio, ex communi eorum ſententiâ, qui docent, cum habitu & actu ſupernaturali ſimul exiſtere in iiſdem facultatibus & actus naturales circa eadem obiecta tum materialia, tum formalia, vt habetur. Diſp.2. De An. ration. c. 4. Nam, ſuppoſitâ illâ doctrinâ, dicimus Deum non concurrere ad actus ſupernaturales, niſi cùm diſponimur ad iuſtificationem, vel ad conſecutionem finis vltimi ſupernaturalis; quod, per ſe, non præſtat Theologia, cuius officium duntaxat per ſe eſt, ratiocinando, rerum diuinarum veritatem indagare.

DICO III. Theologia eſt verè & propriè ſcientia. Prob. *Quia eſt facultas diſcurſiua ex principijs infallibiliter certis : ergo eſt demonſtratiua, ac proinde ſcientifica. Vbi autem Ariſt. ad Scientiam requirit euidentiam, agit tantùm de Scientijs naturalibus, quæ nullam habere poſſunt certitudinem infallibilem, niſi ex euidentiâ : At hoc loco ſuppletur euidentia per infallibilem Dei auctoritatem, quâ nititur veritas principiorum, ex quibus ducuntur Concluſiones Theologicæ. Et verò, Ariſtoteles ipſe ad Scientiam requirit quoque vniuerſalitatem Principiorum & Subiecti ; quòd certitudini obeſſe videatur contingentia Singularium : cùm tamen hoc non impediat, quominus de Deo detur Scientia, ob ſpecialem illius ſubiecti conditionem ac naturam : vnde intelligas vniuerſalitatem & euidentiam eſſe conditiones accidentales ad cognitionem ſcientificam ; nec ad eam, de ſe, & eſſentialiter, requiri, niſi vt ſit ex principijs infallibiliter certis.* Confirm. *Quia Syllogiſmus eiuſmodi Theologicus non eſt tantùm probabilis ; ergo non poteſt eſſe niſi ad cognitionem ſcientificam. Item,*

DICO IV. Quamuis hæc ſit tantùm in Entitate naturalis, vt mox aiebam, ſuperat tamen quaſcunque alias Scientias natura-

les, tum dignitate obiecti, tum ipsâ etiam certitudine, maximâ ſaltem ex parte. Nam habet pro obiecto res Diuinas; nempe Dei ipſius naturam ac perfectiones, tum res alias, quatenus ad eum ſpectant. Item, eâ pollet tum Principiorum, tum Concluſionum certitudine, quâ maior ac præſtantior in alijs facultatibus acquiſitis reperiri nequeat. Quippe illius principia ſunt Verbum Dei aut ſcriptum, aut traditum; decreta Eccleſiæ; & communis SS. PP. conſenſus, ne quid dicam de ijs, quæ nota ſunt per ſe. Hæc autem ſatis oſtendunt, quantam habeat Concluſionum certitudinem, & quàm meritò certitudo Theologica quauis aliâ naturali certitudine non ſit inferior.

DICO V. Concluſio Theologica, ſeu Theologicè, id eſt, per Syllogiſmum Theologicum ſcita, eſt de Fide. Ita magis communiter Theologi, contra Suarem, nonnullóſque alios, qui volunt ad eiuſmodi Concluſionem debere accedere definitionem Eccleſiæ, vt ſit de Fide. Prob. Quod enim manifeſtè oſtenditur eſſe, virtualiter ſaltem, reuelatum à Deo, illud eſt de Fide: atqui illud quod infertur per Syllogiſmum Theologicum, ſic oſtenditur eſſe virtualiter ſaltem reuelatum à Deo: non enim quidquam infertur neceſſariò & euidenter ex Præmiſſâ Diuinitus reue-

latâ, niſi quod habet neceſſariam & euidentem cum eâ connexionem: Quod autem habet eiuſmodi connexionem cum re expreſſè reuelatâ, illud perinde cenſeri debet reuelatum: quo pacto, qui dixerit amputatum eſſe Petro caput, perinde mortuum eſſe illum aſſeuerat, ob tam connexionem quam habet mors cum amputatione capitis, nullo facto miraculo. Quo etiam modo, reuelatæ Confeſſionis reus ille foret, qui diceret eum quem primum audiuiſſet in Confeſſione, fuiſſe conſcium homicidij; tum aſſereret primum eum cuius excepiſſet Confeſſionem, fuiſſe Petrum. Ita credimus corpus idem poſſe ſimul exiſtere in duobus ſimul locis, quòd credamus Chriſti Domini Corpus ſimul exiſtere in Cœlo & in Sacrâ Euchariſtiâ; cùm lumine naturæ notum ſit, corpus in Cœlo ſimul & in Terris exiſtens, eſſe in pluribus ſimul locis. Neque aliâ ratione quamplurimos Fidei articulos ſanciuit Eccleſia, quàm per diſcurſum eiuſmodi Theologicum, eos inferendo ex aliquâ Præmiſſâ expreſſè reuelatâ; vt quando ſtatuit de duabus voluntatibus in Chriſto Domino: de Tranſubſtantiatione Panis & Vini in Euchariſtiâ; de modo quo eiuſdem Chriſti Domini Corpus exiſtit indiuiſibiliter totum ſub qualibet Hoſtiæ particulâ; de neceſſitate Confeſſionis omnium peccato-

rum

ſum mortalium ex Iure Diuino, &c. Et verò, illa cenſeri debet propoſitio Diuinitus reuelata, quam Eccleſia vt reuelatam & credendam definire poteſt: atqui omnem eiuſmodi Concluſionem definire poteſt; quo pacto, ſimiles alias tam multas definiuit. Certum enim eſt non fieri nunc Eccleſiæ nouas reuelationes; cùm ædificata ſit duntaxat ſupra fundamentum Apoſtolorum, Eph. 2. id eſt, ſupra fidem à Chriſto, per eos ad nos tranſmiſſam: iſtudque profitentur ipſa etiam Sacra Conc. dum affirmant ſe nihil definire de Fide, niſi quod Chriſtus docuit, tradideruntque Apoſtoli; vt legitur in Trid. Seſſ. 6. in fine Proœmij, & Seſſ. 13. initio. Quare, nihil de nouo, quoad ſubſtantiam ſaltem, credendum proponit Eccleſia, niſi quod indicat fuiſſe olim virtualiter ſaltem reuelatum, nec facit articulos Fidei nouos, quoad ſubſtantiam, aut noua dogmata; ſed antiqua, quæ obſcuriora ſunt, explicat duntaxat, &c.

Prætereà verò hæc doctrina confirmatur ex eo, quòd nemo, ſine hæreſi, negare poſſit Concluſionem Theologicè ſcitam: ergo eſt de Fide. Prob. Ant. Quia illa negari non poteſt, niſi negatâ Præmiſſâ, quæ eſt expreſſè de Fide: ſiquidem, hoc loco, ſuppono conſequentiam eſſe bonam & euidentem, num

alteram ſaltem ex Præmiſſis eſſe pariter lumine naturæ notam, & quæ, abſque euidenti abſurditate, negari non poſſit.

Quæ cùm ita ſint, ex iis ſequitur. 1. Theologum, non expectatâ Eccleſiæ definitione, ſufficienter ſibi, hoc modo, proponere rem aliquam, verè Deo reuelatam, vnde illam teneatur credere; eoſque pariter teneri ad eandem hanc fidem, quibus eiuſmodi conſequentiæ bonitas poteſt, Theologorum operâ, innoteſcere: nec enim aliâ ratione conamur Hæreticos reuocare ad ſanam doctrinam. Iterum,

Sequitur 2. Eccleſiam quidem eſſe Regulam communem ad proponendum infallibiliter quod credere quiſque debeat, tanquam à Deo reuelatum, tum præcepta Fidei ad vniuerſos Chriſtianos præſcribere. Verùm, vt alia omittam, quæ iam ſatis inſinuaui in Logicâ, Diſp. vlt. cap. vlt. ſufficit præterea, rem euidenter manifeſtari per Syllogiſmum Theologicum, vnde, Iure Diuino, & ſub peccato Hæreſeos, illam credere tenearis; etſi inde hæc pro aliis non inferatur; nec poſſint damnari, tanquam Hæretici, qui, ante Eccleſiæ definitionem, perſuadere idem ſibi nondùm potuerunt; vt dicebam in Phyſ. Vniu. Diſput. de Prædeterm. c. 3.

NOTANDVMQVE eſt, conſequens eſſe

de conceptu totali & integro Antecedentis, & in eo, confuſè quidem, ſed formaliter reuelari, quando Premiſſa vtraque eſt reuelata: at quando altera ſolùm eſt naturaliter euidens, per hanc duntaxat applicatur principium reuelatum; vt cùm aio; omnes homines debent reſurgere; ſed Petrus eſt homo, &c.

Obijc. 1. Motiuum aſſenſus ad hanc Concluſionem eſt tantùm ex Premiſſis. Tranſ. Ergo non eſt de Fide, quia non crederetur quatenus reuelatum à Deo; illudque duntaxat eſt obiectum Fidei, quod eſt reuelatum à Deo. Diſting. Conſ. quatenus eſt ex Premiſſis, non eſt niſi aſſenſus ſcientificus. C. Quatenus autem per illas oſtenditur eſſe quid reuelatum à Deo, tunc proponitur tanquam obiectum Fidei. Satis enim eſt quòd euidenter mihi conſtet de reuelatione factâ à Deo, vt conſequenter teneat rem illam credere per actum Diuinæ Fidei. Quâ ratione, per propoſitionem, facto euidenti miraculo, vnde euidenter conſtet, doctrinam propoſitam, eſſe Diuinitus reuelatam, inducitur Fidei obligatio, &c.

Obijc. 2. Sequeretur inde poſſe quidlibet nobis fieri obiectum Diuinæ Fidei; illud concludendo ex aliquo principio Diuinæ Fidei; putà, quòd Deus ſit infinitæ cogni-

tionis, per quam res attingit ut in ſe ſunt; ac proinde credi à nobis debere tales eſſe vel tales, quia eſſe vel tales vel tales cognoſcuntur à Deo. Ita mihi erit de Fide, parietem hunc eſſe album, ſic concludendo. A Deo cognoſcitur eſſe albus: ergo eſt albus. Probatur verò id cognoſci à Deo, in hunc modum. Quod mihi certâ experientiâ conſtat eſſe album, conſtat mihi tale cognoſci à Deo: atqui certâ experientiâ mihi conſtat parietem hunc eſſe album: ergo. Rꝫ. Non eſſe huiuſmodi Syllogiſmum Theologicum; quia, ne ullam quidem Syllogiſmi rationem veram habet, ſed tantùm apparentem & nugatoriam. Nam in eo non manifeſtatur ignotum ex aliquo noto; ſiquidem in eo ſolùm concludo parietem eſſe album; nec probo cognoſci album à Deo, niſi quia mihi conſtat eſſe album.

NOTANDVMQVE eſt prætereà, in eâ etiam ſententiâ verſari aliquos Theologos, vt putent, ex eo poſſe me credere Fide Diuinâ parietem hunc eſſe album; quia, inquiunt, actus ille meus habet pro obiecto formali Diuinum attributum, ſeu cognitionem & locutionem internam Dei, quâ dicit ſibi parietem hunc eſſe album: ergo, inquiunt, non poteſt ille actus non eſſe actus virtutis Theologicæ, nec alterius, quàm Fidei.

℞. *Non eſſe virtutis alicuius, ſaltem nobis cognitæ: neque accedere ad naturam noſtræ Fidei Theologicæ, quâ nobis res aliqua manifeſtatur per Diuinum teſtimonium nobis cognitum; vnde conſequenter credamus eſſe talem, ne* faciamus Deum mendacem, *vt loquitur Sacra Scriptura.* 1. Ioan. 1. *& ne incurramus hæreſim. Qui autem negaret id quod conſtat eſſe Deo notum, faceret potius Deum* inſcium, *quàm* mendacem; *nec diceretur Hæreticus, ſed inſanus; nec iniurioſus foret niſi Dei Scientiæ, non autem Veracitati, &c.*

Obiic. 3. *Concluſio Theologica non habet ſummam certitudinem; tum maximè quando infertur ex alterâ Præmiſſâ lumine ſolùm naturali notâ. Concluſio enim, vt vulgò aiunt, ſequitur ſemper debiliorem Antecedentis partem, &c. At ſummam habere debet certitudinem propoſitio Diuinæ Fidei; quam non haberet Concluſio deducta ſolùm ex aliquâ Præmiſſâ certitudinis tantùm naturalis, vt pote inferioris ad omnem Diuinæ Fidei certitudinem.* ℞. *Iuxta communem ſententiam; eſto Concluſio non habeat ſummam illam certitudinem, habet tamen ſufficientem, vnde ſine diſcrimine erroris, iudicemus id quod proponitur eſſe virtualiter reuelatum à Deo; quæ reuelatio Diui-*

tionis, per quam res attingit vt in ſe ſunt; ac proinde credi à nobis debere tales eſſe vel tales, quia eſſe vel tales vel tales cognoſcuntur à Deo. Ita mihi erit de Fide, parietem hunc eſſe album, ſic concludendo. A Deo cognoſcitur eſſe albus: ergo eſt albus. Probatur verò id cognoſci à Deo, in hunc modum. Quod mihi certâ experientiâ conſtat eſſe album, conſtat mihi tale cognoſci à Deo: atqui certâ experientiâ mihi conſtat parietem hunc eſſe album: ergo. ℞. Non eſſe huiuſmodi Syllogiſmum Theologicum; quia, ne vllam quidem Syllogiſmi rationem veram habet, ſed tantùm apparentem & nugatoriam. Nam in eo non manifeſtatur ignotum ex aliquo noto; ſiquidem in eo ſolùm concludo parietem eſſe album; nec probo cognoſci album à Deo, niſi quia mihi conſtat eſſe album.

NOTANDVMQVE eſt præterea, in eâ etiam ſententiâ verſari aliquos Theologos, vt putent, ex eo poſſe me credere Fide Diuinâ parietem hunc eſſe album; quia, inquiunt, actus ille meus habet pro obiecto formali Diuinum attributum, ſeu cognitionem & locutionem internam Dei, quâ dicit ſibi parietem hunc eſſe album: ergo, inquiunt, non poteſt ille actus non eſſe actus virtutis Theologicæ, nec alterius, quàm Fidei.

℞. *Non eſſe virtutis alicuius, ſaltem nobis cognitæ: neque accedere ad naturam noſtræ Fidei Theologicæ, quâ nobis res aliqua manifeſtatur per Diuinum teſtimonium nobis cognitum; vnde conſequenter credamus eſſe talem, ne* faciamus Deum mendacem, *vt loquitur Sacra Scriptura.* 1. Ioan. 1. *& ne incurramus hæreſim. Qui autem negaret id quod conſtat eſſe Deo notum, faceret potius Deum* inſcium, *quàm* mendacem; *nec diceretur Hæreticus, ſed inſanus; nec iniurioſus foret niſi Dei Scientiæ, non autem Veracitati, &c.*

Obijc. 3. Concluſio Theologica non habet ſummam certitudinem; tum maximè quando infertur ex alterâ Premiſſâ lumine ſolùm naturali notâ. Concluſio enim, vt vulgò aiunt, ſequitur ſemper debiliorem Antecedentis partem, &c. At ſummam habere debet certitudinem propoſitio Diuinæ Fidei; quam non haberet Concluſio deducta ſolùm ex aliquâ Premiſſâ certitudinis tantùm naturalis, vt pote inferioris ad omnem Diuinæ Fidei certitudinem. ℞. *Iuxta communem ſententiam; eſto Concluſio non habeat ſummam illam certitudinem, habet tamen ſufficientem, vnde ſine diſcrimine erroris, iudicemus id quod proponitur eſſe virtualiter reuelatum à Deo; quæ reuelatio Dini-*

na mereatur aſſenſum Fidei ſuperioris ad omnem certitudinem naturalem. At R. 2. *Ex Martinono*, de Fide, Diſp. 10. ſect. 8. *vt alios omittam, actum fidei ſupernaturalis, ex vi & merito obiecti, non eſſe certiorem formaliter quouis aſſenſu naturaliter euidenti; pareſque illi eſſe eâ in re aliquos naturales. Maior enim certitudo formalis, quantùm eſt ex merito obiecti, in eo conſiſtit, quòd, vi motiui, propter quod aſſentimur vni propoſitioni, minor eſt ratio de illâ dubitandi, quàm de aliâ: ſed vis motiui, propter quod aſſentimur fide ſupernaturali, non eſt huiuſmodi, vt minor ſit ratio dubitandi de propoſitione Fidei, quàm de aliquibus naturaliter euidentibus. Ita miraculorum, aliorumque id genus ſignorum euidentia, quibus Ethnicus ad Fidem ſuſcipiendam inducitur, non eſt minoris certitudinis, quàm aſſenſus ipſe fidei ſupernaturalis, ad quem, remotè ſaltem, hac ratione diſponitur. Nam vbi ad fidem peruenit, Reſpondebit quidem ſe indubitanter credere v. g. Myſterium S. Trinitatis, quia Deus illud reuelauit; ſed interroganti cur credat hoc Deum reuelaſſe; Reſpondebit illud factum ſibi fuiſſe moraliter ſaltem euidens ex miraculis ad eam rem confirmandam editis; nec prudenter*

potuiſſe non aſſentiri. Certum autem ſe eſſe de illis miraculis, quia vel ipſe vidit, vel accepit auditione, talibus aut talibus in circunſtantijs infallibili; quomodo, per proportionem, auditione infallibili accipimus, vrbem eſſe Romam. Neque verò Deus, pro eá prouidentiâ, quâ rebus humanis, ac precipuè ſaluti hominum intendit, poteſt permittere, vt tot tantiſque argumentis, ſeu credibilitatis motiuis deludamur. Ita credo reuelatum eſſe Diuinitus Myſterium preſentiæ realis Corporis Chriſti in Euchariſtiâ, quia illud docet Concilium Tridentinum: nec maior inde affertur mihi certitudo, quàm ex aſſenſu experimentali, ſeu ex naturali euidentiâ, quâ ſcio extitiſſe Conc. Trid. & iſtud docuiſſe: nec maior eſt certitudo, quâ ſcio aliquid eſſe verum, quia Deus reuelauit, quàm ea, quâ ſcio reuelaſſe, aut illud docere Eccleſia; ſi enim aſſenſus experimentalis, quo indico illud doceri ab Eccleſiâ, minùs foret certus; pari incertitudine nutarent reliqui aſſenſus, in iſto, remotè ſaltem, fundati.

NOTABIS *autem* 2. *Hìc ſermonem fuiſſe de euidentiâ naturali, & de eo genere experientiæ, quæ ſit communis vulgò omnibus ſapientibus, quæque in*

nullà circumſtantià reperiatur fallax. Alioqui multa apparent & putantur euidentia, quæ tamen in ſe deprehenduntur alio ſe habere modo; vt quando ex ſolo aſpectu iudicamus Solem eſſe tam paruum. Quanquam

NOT. 3. Diuinæ Fidei ſupernaturalis certitudinem ſuperiorem eſſe ad certitudinem quancunque naturalem, varijs modis. Primò, quia ſemper & abſolutè repugnat Deum hac ratione ſpeciali concurrere ad falſum. 2. Quia nihil vnquam, vel abſolutè, rerum eſſe poteſt, quod ſit contrarium Diuinæ reuelationi. 3. Diuinæ Fidei certitudo, appretiatiuè, ſeu ex parte voluntatis noſtræ, & deliberatè, maior eſt quacunque naturali, quæ ſaltem ad ipſam Fidem non pertineat. Prob. *Quia, vniuerſaliter loquendo, magis repugnat, de ſe, primam veritatem falli aut fallere, quàm aberrare lumen naturæ; eamque debemus reuerentiam Diuino teſtimonio, vt, quemadmodum loquitur D. Auguſt. faciliùs quiſque dubitet ſe viuere, quàm vera eſſe, quæ traduntur Fide Diuinâ: ſicque etiam, quamuis Diuina Fides, ratione propriæ ſibi ineuidentiæ, aliquando experiatur indeliberatos dubitationum motus; ijs tamen, ex prudenti æſtimatione magis opponitur, quàm actus*

multi naturales, quantuncunque euidentes. Item,

NOT. 4. Quamuis eſt de naturâ ſcientiæ demonſtratiuæ cuiuſcunque, vt per eam intelligamus euidenter rem aliter eſſe non poſſe; illudque etiam conſtet de rebus, ſecundùm earum effectus neceſſarios, aut ſecũdùm proprietates quas vocant eſſentiales, ſeruato naturæ communi ordine: *quo pacto, demonſtramus v. g. ignem omnem eſſe actu calidum; accidentia non poſſe exiſtere extra omne ſubiectum; rem eandem ſimul in varijs ac diſtantibus locis non poſſe exiſtere: &c. cùm tamen oppoſitum non inuoluat contradictionem, poſſitque ille ordo per Diuinam potentiam immutari; non habent iſta certitudinem abſolutam, qualis propria eſt Diuinæ Fidei. At*

NOT. 5. Vbi ſermo eſt de rebus ſecundùm attributa formaliter eſſentialia, & vbi eſt manifeſta contradictio; item, vbi ſermo eſt de exiſtentiâ Dei, & de eius perfectione infinitâ; tum de ijs, quæ ad Diuinam Fidem attinent, qualia ſunt iam à nobis recenſita; hæc diximus poſſe non habere minorem certitudinem ex parte ſeu ex merito motiui, quàm Diuinæ Fidei actus.

NOTABIS verò vltimò, eam, quæ

Hæreticorum eſt, non poſſe dici verè Theologiam, aut verè ſcientificam. Quia argumentari ex Principijs Diuinâ Fide creditis nō poſſunt; cùm habeant ſolùm Fidem humanam; quemadmodum explicabam ſub finem Capitis vltimi totius Logicæ: nec rerum Diuinâ Fide credendarum habent Regulam, niſi errori obnoxiam, nempe Spiritum, ſeu potius iudicium priuatum & proprium; quod, poſtremâ parte Hiſtoriæ Sanctæ, non negligenter proſecutus ſum, licet paucis totum iſtud negotium comprehenderim. Quamobrem etiam, ex modo aſſentiendi, non poſſunt eſſe infallibiles; ſiquidem eſſe non poſſunt infallibiliter certi de Reuelationibus Diuinis; id eſt, eſſe illa Diuinitus reuelata, quæ profitentur ſe credere.



TRACTATVS II.

DE ENTE IMMATERIALI

TVM CREATO, TVM INCREATO.

DISPVTATIO I.

DE ENTE IMMATERIALI CREATO SEV DE ANGELIS.

CAPVT I.

De exiſtentiâ, & naturâ Angelorum.

ENs immateriale ſeu incorporeum & ſpirituale, idem eſt ac expers materiæ, aut independens à materiâ, nullaſque habens proprietates materiales.

Duplex eſt. Primò, increatum, nempe Deus. 2. creatum. At creatum diuiditur in comple-

tum, & incompletum. Incompletum illud dicitur, quod ex naturâ ſuâ eſt pars totius conſtitutiua, vt Anima rationalis: completum verò è contrà. Hîc autem agitur de Ente incorporeo ſubſtantiali completo, ſeu de ſubſtantijs immaterialibus; cuiuſmodi ab Antiquis vocantur *Intelligentiæ*; tum *Subſtantiæ ſeparatæ*; nos vulgò appellamus *Angelos*, id eſt, nuntios & miniſtros Dei, quibus varia imponat munera ad procurandum bonum Vniuerſi, nam *Angelus* eſt potiùs nomen officij, quàm naturæ.

Dico itaque I. Sunt poſſibiles Angeli. *Prob.* Quia ſubſtantia ſpiritualis ſimplex, qualis eſt Angelus, non implicat contradictionem. Nam contradictio non cadit in terminum ſimplicem, vt habetur in Logicâ, ſed potiùs inuoluit duos terminos, quorum alter cum altero eſt incompoſſibilis.

Item, quò eſſentia creata concipitur magis ſimplex, eò magis ſimilis eſt Deo, qui ſimpliciſſimus eſt; magiſque imitatur illius perfectionem: ergo eſt ens perfectius; ergo habet rationem magis oppoſitam nihilo; ergo minùs eſt impoſſibilis, quàm quæ inuoluit compoſitionem. Deinde cùm ſit neceſſaria conſequentia ab actu ad potentiam, certum eſt poſſibiles eſſe Angelos; quia

Dico II. Angelos actu exiſtere. Ita Angelorum meminit toties Sacra Scriptura. Item, probatur experientiâ petitâ ex Energumenis: nam ea præſtant, quæ vires humanas penitus excedunt: nempe ignotâ linguâ loqui, cuius omnino imperiti ſint illi homines arreptitij. 2. quæ procul diſtant, & tenentur occulta, ea patefacere. 3. Robur exerere ſupra ætatem, &

præter aliorum hominum conſuetudinem; vt alia id genus prætermittam, quæ viribus humanis fieri nullo modo poſſunt.

Nec meritò illa refunderentur certos in morbos. Quâ enim vi morbi panderentur occulta, aut intelligerentur peregrina idiomata? &c.

Item, neque, vt dixere alij, poſſunt hæc referri ad ſeparatas animas, quæ dicantur tunc ſubire in hominum eiuſmodi corpora. ℞. enim animas illas in ſtatu ſeparationis non fore virtutis præſtantioris, quàm vbi corpus informant; nec plura poſſent.

Item, nec effectus illi Deo attribuendi ſunt, vt cauſæ particulari. Mentiuntur enim, & blaſphemant Energumeni; quæ in Deum cadere nequeunt. At

DICO III. Illos Angelos de facto eſſe incorporeos. Ita fert modò communis Doctorum, & totius Eccleſiæ conſenſus, cum definitione ferè manifeſtâ, ita vt videatur eſſe doctrina fidei proxima. *Prob.* Authoritate Sacræ Scripturæ, quæ Angelos toties vocat *Spiritus*. Quæ appellatio, quanuis tribuatur etiam rebus corporeis nonnullis, propriè tamen vſurpatur, vbi ſermo eſt de Angelis, tanquam de ſubſtantiis incorporeis. Hoc ſatis innuit Chriſtus Dominus, cùm ait *Luc* 24. Spiritum carnem & oſſa non habere. Idem colligitur manifeſtè *ex Act.* 23. Vbi legimus Saduczos negaſſe Spiritum, quia negabant dari rem incorpoream; & ſic negabant Angelos, & animam rationalem eſſe naturas incorporeas. *Prob.* 2. Ex Conc. Lateranenſi, ſub Innocentio, 3. in quo habemus Deum ab initio temporis ſimul vtramque condidiſſe naturam, *Spiritualem & corpoream*;

Angelicam videlicet, & Mundanam.

Prob. ratione. Quia Dæmones penetrant corpora, vbi varias Mundi in partes deferuntur. Item, ſimul poſſunt plures exiſtere eodem in loco, & eodem in corpore; quomodo legimus *Luc.* 8. extitiſſe in vno homine Dæmonum legionem: ergo neceſſe eſt, vt non ſint corporei; nam corpora ſimul penetratiuè non poſſunt naturaliter exiſtere. Notabis autem legionem definiri numero 6666. aut ſaltem, eo loco, Legio ſumitur pro ingenti multitudine. Omitto rationem, quæ petitur ex motu Cœli, quem neceſſe eſt perfici operâ Intelligentiarum purè ſpiritualium, vt oſtendi in Phyſicâ Particulari. *Tract. de Cœlo, Diſp.* 2. *c.* 3.

Atque ex iſtâ quidem Aſſertione Colliges. 1. Angelos eſſe ſubſtantias ſimplices; id eſt, non conſtare ex materiâ & formâ: quia hæc compoſitio ſolis corporibus conuenit. Item,

Colliges 2. Eſſe naturaliter incorruptibiles, ſeu immortales. *Prob* Cùm enim non ſint minùs ſpirituales, quàm anima rationalis; imò, cùm ſint in gradu perfectiori ſpiritualitatis; non minùs etiam ab intrinſeco, & ex rei naturâ ſunt immortales; nec poſſunt deſtrui, niſi per annihilationem, quæ perinde ac Creatio, ſolius Dei eſt opus; ſiquidem perinde eſt independens à ſubiecto. Iam verò, quòd ex naturæ immaterialitate petatur eorum immortalitas, ſeu incorruptibilitas, oſtenditur in Phyſicâ Partic. vbi de Animæ rationalis immortalitate.

NOTANDVMQVE eſt; immateriales ſubſtantias eiuſmodi, eo ſaltem ſenſu, dici immortales ſeu incorruptibiles ex naturâ rei, quòd ab agente naturali vllo corrumpi non poſſint; exigantque, de ſe, Dei perpetuum concurſum ſui

conſeruatiuum; vt pluribus demonſtrat Suarez. *Tom. 2. de Angelis.* Quanquam nonnulli cum *Martinono* exiſtimant prouenire tantùm ex Dei beneplacito, quòd durent in æternum. Iuxta illud Damaſceni, lib. 2. de Fide c. 3. *Immortalis eſt Angelus, non naturâ, ſed gratiâ*; Habeturque aliquod dictum ſimile in 6. Synodo Generali. Sed R. hoc loco *gratiam* late ſumi pro beneficio conſeruationis, ſine quo non habet vlla creatura, vt durare poſſit; ſoluſque Deus habet immortalitatem ſibi eſſentialem atque independentem; quam, pro liberâ ſuâ bonitate, creaturis impendit. Quod per proportionem dicendum eſt de Animâ rationali.

Colliges 3. Iuxta doctrinam communem, & & Fidei proximam, inquit Suarez, Angelum, cùm ſit incorporeus, ne abſolutè quidem poſſe oculo corporeo videri vt in ſe eſt; quemadmodum habetur in Phyſ. Vniuerſ. in Tr. 2. Diſp. 1. c. 2. Sic enim ferretur extra obiectum ſuum, quod debet eſſe ſenſibile; nec viſio materialis propria oculi poteſt rem ſpiritualem repræſentare vt in ſe eſt.

Dices. Poteſt intellectus humanus eleuari ad videndum Deum. Ergo & viſus corporeus ad Angelum. Quia plus diſtat Deus ab intellectu hominis, quàm Angelus à viſu corporis; ſiquidem diſtantia Dei à noſtro intellectu eſt infinita. *Diſt.* In ratione Entis plus diſtat. *C.* In proportione obiecti & potentiæ. *N* Quia Angelus eſt extra omnem latitudinem obiecti viſus corporei; Deus autem non eſt extra obiectum adæquatum intellectus creati.

CAPVT II.

Soluuntur obiectiones.

OBIIC. 1. Non rarò SS. PP. cum Platonicis, tradunt Angelos eſſe quædam animalia rationalia immortalia, ac proinde eſſe corporeos. ℞. Olim quidem grauiſſimam extitiſſe inter SS. PP. eâ de re controuerſiam: at ſopita eſt tandem, vicitque Eccleſiæ ac Doctorum communis conſenſus.

Obijc. 2. Paſſim in Sacris Literis dicuntur Angeli ligari. Ita ex *Apoc.* 9. quatuor Angeli ligati fuere in Euphrate. Ita Angelus Raphaël Aſmodæum religauit in deſerto. *Tobiæ* 8. Atqui hæc explicari non poſſunt in hypotheſi, quòd Angeli ſint incorporei; nam corpus duntaxat corpori alligari poteſt. ℞. Varijs modis poſſe alligationem huiuſmodi Angelicam fieri. Primò, ſi imperante ſuperiori, ne moueat ſe inferior; pro exigentiâ ſubordinationis, quam voluit Deus habere inferiorem ad ſuperiores Angelos, Deus ipſe ſubtraxerit concurſum, qui inferiori illi neceſſarius eſt ad perficiendum motum. 2. Poteſt Angelus, vt inquiunt, alium Angelum ligare *imperio*, iubendo ſcilicet ex parte Dei, ne ſe moueat, ac ſi ſecus faciat, minando illi acres pœnas. Ita lex hominem ligat, ſeu obligat; ſed iſtud ligandi genus eſt tantùm morale. At tertiò, phyſicè ligare Angelum poteſt, vt inquiunt, imprimendo illi qualitatem aliquam detentiuam. Vt enim Angelus habet vim *apprehenſiuam*, vnde res alias teneat, tollatque

tollatque varias Mundi in partes; tum & vim *proiectiuam* alterius, per impetum illi impreſſum, quemadmodum ſatis ex Sacris Literis colligimus; ita videtur negari non debere, quin habeat & *detentiuam*, per qualitatem permanentem in alio ſimiliter impreſſam. Atque illa quidem ſunt, quæ metaphoricè appellantur *vincula*, *rudentes*, *catenæ*, 2. Petri. 2. alijſque in locis. Vide Cornelium à Lap. in Apoc. cap. 9. verſ. 14.

Inſt. Explicari non poſſet, quo pacto ſoluerentur illa vincula; ſeu quemadmodum deſtrueretur illa qualitas detentiua. Neque enim qualitas, ſeu accidens aliquod deſtrui in ſubiecto poteſt, niſi vel ſubtractione cauſæ conſeruantis, vel ad deſtructionem ſubiecti; vel ad poſitionem qualitatis contrariæ. *Reſpondent.* Solui illa vincula, aut deſtrui illam qualitatem, quaſi per impetum contrarium illi impetui, per quem fuerat producta. Sed de veritate huius qualitatis retentiuæ ipſi viderint.

Obijc. 3. Explicari ſaltem non poſſet, quemadmodum ab igne inferorum torquerentur Dæmones, aut animæ damnatorum; quod etiam per proportionem dicendum eſt de animabus Purgatorij. Nam agens corporeum nullam exercere efficientiam poteſt circa ſubſtantias purè immateriales. Neque verò etiam capaces ſunt ignitionis, aut qualitatis alicuius corporeæ, puta caloris, qui de ſe tantùm mouet ſenſum tangendi, &c. ℞. 1. Ex communi doctrinâ, agens materiale poſſe diuinitùs eleuari ad effectus etiam ſpirituales producendos; quomodo, inquiunt, Sacramenta, vt Dei inſtrumenta, producunt gratiam ſanctificantem. ℞. 2. Ex D. Th. Dæmones ab igne inferorum

torqueri *obiectiuè*, quatenus eſt ſignum ipſis perpetuò repræſentans iram Diuinam, & priuationem beatitudinis æternæ. Verùm, ne dicatur iſtud non eſſe ſufficiens ad explicandas Dæmonum pœnas, quæ ipſis inferuntur ab igne; R. 3. cum eodem S. Doctore 1. *p. q* 64. *a* 4. *ad* 5. tum fuſiùs, *lib.* 4. *contra Gentes c.* 9. Dæmones torqueri *&* *effectiuè* ab igne per alligationem. Suppono enim illos eſſe alligatos igni inferorum, tanquam perpetuo carceri; quæ pœna procul dubio eſt grauiſſima, & obiectum doloris vehementiſſimi. Si enim ignobiliori animanti, aut homini tam violentum eſt, quòd diuturno carcere detineatur; vnde, pro innatâ libertate, abire quò voluerit nequeat; illud à fortiori æſtimandum eſt de Angelis. At quandoquidem etiam ſupponendum eſt, hac ratione torqueri Dæmones ab igne inferorum, docent conſequenter ab illo igne, tanquam inſtrumento Iuſtitiæ Diuinæ, produci in ipſis aliquod genus qualitatis *detentiuæ*, ne ſeſe mouere loco poſſint. Quibus autem nunc libera eſt poteſtas vagandi per iſtum aërem, non idcirco minùs torquentur ab igne inferorum, quatenus vident ſe illi carceri, ad totam æternitatem, poſt extremum iudicij diem eſſe deſtinatos. Prætereà verò vt intelligas, quàm varijs modis Dæmones dicantur torqueri ab igne inferorum, & quem inferat dolorem;

NOT. 1. Hic debere conſiderari tum ipſum formaliter dolorem; tum obiectum, ſeu materiam, vt aiunt, doloris illius. Sic autem dolor materialiter & obiectiuè ſumptus, aliud nihil eſt quàm malum perſonæ dolenti inflictum, vt quando quis viuus comburitur. At dolor formaliter ſumptus, eſt actus appetitus, ſeu volun-

tatis moleſtè ferentis, & auerſantis obiectum aliquod diſconueniens, putà corporis combuſtionem; oriturque etiam interdum iſte dolor & ex imaginariâ, aut falsâ apprehenſione combuſtionis, vt in phreneticis, aut ſomniantibus, vbi tam grauiter eiulando conqueruntur ſe viuos ardere. Item,

Not. 2. Nullum agens extrinſecum cauſare immediatè dolorem, ſed ponendo in alio obiectum doloris. Nam actus vitæ, qualis eſt dolor, ſupponit obiectum circa quod verſetur. Confirmaturque inductione doloris omnis ſenſibilis, cuiuſmodi nullum experimur, niſi vel per diuiſionem continui, vel per impreſſionem doloriferæ alicuius qualitatis. Certum eſt autem Dæmones cruciari ab igne inferorum.

His ergo ſuppoſitis; R. 4. cum Soto, cum Gregorio à Valentiâ, & alijs, ignem inferorum diuinitus eleuatum, efficienter concurrere ad producendum in Dæmonum voluntate dolorem proportionaliter ſaltem illi ſimilem, quem in ſuâ voluntate habet anima rationalis, dum corpus, quod informat, igne comburitur. Nam, vt inquiunt, nihil implicat Diuinâ virtute produci ab igne verum calorem in ſubſtantiâ Angeli, hancque à Deo eleuari ad percipiendum vitaliter iſtum calorem, eo per proportionem modo, quo percipitur ab homine, dum viuus comburitur: at ſaltem cum Suario, nonnulliſque alijs. R. 5. Ab igne inferorum Diuinâ virtute eleuato produci in illis ſpiritibus qualitatem aliquam ſpiritualem in ſuo ordine doloriferam, dolore vtique ſpirituali, ac proinde tantò maiore, quantò ſpiritualia ſuperant materialia. Ex eo porrò dicetur qualitas dolori-

fera, quòd horribilem in modum fœdet naturam ipſam ſpiritualem, vnde & reddatur alijs omnibus contemptibilis, & odioſa; quomodo ex oppoſito, per proportionem, qualitas gratiæ ſanctificantis naturam rationalem ornat tam inſigni pulchritudine, vnde reddatur Deo, & Sanctis omnibus tam amabilis, &c.

Nec dicas, Dæmones illâ qualitate ſuſceptâ non idcirco dicerentur comburi ab igne potiùs, quàm frigefieri; cùm tamen vulgò SS. PP. dicant ab igne inferorum comburi. ℟. cum Mæratio, ab authoribus iſtius ſententiæ SS. Patres accipi tantùm de combuſtione metaphoricâ; hacque metaphorâ ſignificari quemlibet grauem dolorem, cuius ignis cauſa eſt: cùm præſertim quilibet grauis dolor animum veluti incendat, ſicut ignis, corpus. Hæc ille. Quicquid verò difficultatis hoc loco appareat, hærere ſaltem nos oportet in illâ D. Aug. ſententiâ *lib.* 21. *de Ciuit. Dei* c. 10. Nempe, hoc igne ſpiritus cruciari *veris*, licet *miris*, & ineffabilibus *modis*.

CAPVT III.

Angelorum differentiæ, ſeu diuerſitates.

DIco I. Ex S. Dionyſio, tum ex varijs Scripturæ locis, admittenda eſt diſtinctio & diuerſitas inter Angelos. Ac primò quidem, diſtinguuntur tres in Hierarchias; tum illæ Hierarchiæ ſingulæ in tres alios ordines, ſeu *Choros*, pro diuerſitate munerum, quæ ab ijs exercentur. Hierarchia autem eſt ſacer princi-

patus, ſeu ordo inferiorum & ſuperiorum, ſecundùm diuerſos dignitatis gradus, ſub vno ſummo principe, ad ſacra miniſteria, & Dei gloriam procurandam inſtitutus. Duplexque eſt Hierarchia; altera quidem Eccleſiaſtica, altera verò Cœleſtis, de quâ modò agitur.

SCIENDVMQVE EST I. Tres ordines primæ Hierarchiæ dici Seraphim, Cherubim, & Thronos, qui Dei gloriam per ſe immediatè intendunt; Seraphim quidem per amorem eximium ipſis proprium; Cherubim per Scientiam; & ſic de alijs. Secunda Hierarchia bonum commune Mundi vniuerſi procurat, continetque Dominationes, Virtutes, ac Poteſtates. Tertia denique hominibus gubernandis eſt deſtinata, ſuntque in eâ. 1. Principatus, qui ſingulis gentibus præſunt. 2. Archangeli, ijs hominibus addicti, qui cæteros dignitate antecellunt. 3. Denique ſunt ii, qui nomine communi appellantur Angeli, ac ſingulis hominibus ab ipſo ortu, quaſi tutelares & cuſtodes dicantur; iuxta illud Dauidicum; *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Item,

SCIENDVM EST 2. Inferiores Angelos in eâ, quam ſeruant ſubordinatione, à ſuperioribus purgari, illuminari, & perfici, vt loquitur D. Dionyſius. Verùm ex D. Th. non eſt neceſſe illud fieri diuerſis actibus. Idem enim actus dicitur *illuminatio*, quatenus eſt manifeſtatio alicuius veritatis; quia verò ſic intellectus fit expers alicuius neſcientiæ, dicitur *purgatio*: ac tandem ille idem actus vocatur *perfectio* intellectus; eſt enim commune omni cognitioni intellectus, vt videlicet ſit quædam intellectus perfectio.

DICO II. Quamuis nobis compertus non ſit

Angelorum numerus, certum tamen eſt eum eſſe maximum; ſicque habemus ex viſione Danielis, *millia millium miniſtrabant ei*. Item, nemo negauerit in ijs reperiri differentias ſpecificas; imò potuiſſe omnes creari à Deo ſpecie diuerſos; nihil enim repugnat. At iuxta doctrinam explicatam ſuprà, *Tract. 1. Diſp. 3. cap. 1.*

DICO III. Nihil etiam repugnat multos Angelos, ſub eâdem ſpecie, ſolo numero differre inter ſeſe. Falſum enim eſt quod aiunt, nec probari poteſt, indiuiduationem omnem, ſeu differentias indiuiduales peti duntaxat à materiâ, & conſequenter ſubſtantias immateriales non poſſe indiuiduo ſolùm differre, nec diſtingui niſi vt formas, ergo & eſſentialiter. R. enim diſtingui poſſe vt formas ſolo numero diuerſas, quod in animabus rationalibus contingit, quæ licet ſpirituales ſint, ſolo tamen numero differunt, etiam extra omne corpus poſitæ. Quinetiam

DICO IV. Probabilius eſt Angelos eiuſdem ordinis, eſſe eiuſdem inter ſe ſpeciei, vt maior inter eos quaſi neceſſitudo quædam amicitiæ oriatur, quamuis diuerſorum ordinum Angeli, ſpecie inter ſe differant. Ita ſentiunt multi D D.

****

CAPVT IV.

Varij Angelorum Status.

SVPPONO ex communi doctrinâ, & Concilio Lateranenſi, Angelos omnes cum Mundo corporeo ſimul creatos fuiſſe. Item, ex D.

Auguſt. *lib.* 12. *de Ciuit. Dei: cap.* 9. eos ſimul cum naturâ gratiam ſanctificantem accepiſſe. *Deus*, inquit, *in Angelis erat condens naturam, & largiens gratiam.* At

DICO I. Secundo poſt inſtanti, vt vocant, omnes Libero ſuo Arbitrio cum gratiâ ſufficiente relicti ſunt; vnde alij perſeuerarunt in officio ſuo erga Deum, & meruerunt augmentum gratiæ; tum tandem, ſeu quemadmodum vulgò explicant, tertio inſtanti, gloriam ſunt aſſecuti. Alij verò peccarunt, tum è Cœlo ad inferos proturbati ſunt.

NOTANDVMQVE eſt 1. Statum illum à creatione vſque ad *terminum*; id eſt, vſque ad glorificationem bonorum, vel ad damnationem malorum, vocari *viam*, ſeu *ſtatum meriti aut demeriti*; in quo Angeli nondum videbant Deum, illumque tantùm cognoſcebant ex creaturis, & per fidem. Item,

NOT. 2. Viam illam Angelorum ſic tribus, vt inquiunt, inſtantibus fuiſſe definitam. At hoc loco *inſtans* non ſumitur pro inſtanti Mathematicè indiuiſibili, ſed pro aliquâ morâ, quæ idcirco appellatur *inſtans diſcretum*, quia mora illa deſignatur per aliquam operationem Angelorum, quæ ſolet dici *inſtantanea*, cùm ſiat tota ſimul, id eſt, ſine partium ſucceſſionè.

NOTABIS autem 3. Totam illam Angelorum viàm non potuiſſe durare longo tempore. Nam fuere omnes creati ſimul cum Mundo corporeo, fueruntque omnes in termino ante peccatum Adami. Siquidem Adamus, ſuadente Diabolo, conſenſit pèccato. Item,

NOT. 4. Ex illis Spiritibus, eos tantùm qui ſeruarunt ſanctitatem, ex communi modo

loquendi, vocari ſimpliciter Angelos. Alij autem vulgò appellantur *Dæmones*, aut potiùs *Cacodæmones*, & *Diaboli*. Iam verò,

NOT. 5. Angelorum peccatum fuiſſe ſuperbiam. Ita vulgò Theologi ex Sacris Literis, quæ conſequenter docent *initium peccati omnis fuiſſe ſuperbiam*. Eccleſ. 10. Ex illâ autem ſuperbiâ prodiit inuidia, tum aduerſùs homines quos viderunt Cœlo eſſe deſtinatos; tum aduerſùs Chriſtum Dominum, factâ ipſis reuelatione de vnione hypoſtaticâ Naturæ Humanæ cum Verbo Diuino, quam indignè tulerunt, cultum & honorem illi denegando. Quod tamen traditur ſolùm à nonnullis recentioribus, qui ſupponunt Chriſtum fuiſſe venturum, etiamſi Adamus non peccaſſet.

NOTABIS enim 6. Ex communiori doctrinâ, poſitam in eo fuiſſe Angelorum ſuperbiam, quòd eorum princeps Lucifer, ex amore inordinato propriæ excellentiæ, non modò ambiret cæteris dominari, ſed prætereà quòd nulli ſubeſſe, ne Deo quidem, vellet; ægrè ferens ſibi ab eo leges aliquas imponi. Atque hoc pacto affectabat ſimilitudinem cum ipſo Deo, qui res in omnes principatum obtinet, nullique ſubeſt. Suam porrò in factionem multos ex diuerſis Angelorum ordinibus induxit, qui eidem peccato ſuperbiæ conſenſerunt: ſicque *Apoc.* 12. legimus illum *Draconem* tertiam ſtellarum partem ſecum eandem in ruinam pertraxiſſe. Item,

NOT. 7. Nullum ijs relictum fuiſſe locum miſericordiæ; non tantùm ob immanem eorum ingratitudinem; ſed maximè quòd Deus odio ſpeciali ſuperbiam proſequatur; cùm, è contrà, *humilibus det gratiam*, hominemque vel ſceleratiſſimum

ſatiſſimum non deſpiciat, ſi contritus & humiliatus acceſſerit, vt habetur *Pſal.* 50. Sicque ipſe Chriſtus Dominus mulierem adulteram, tum latronem, publicanum, alioſque id genus, pro ſuâ bonitate miſeratus, Phariſæos, etſi vitæ ſanctioris inſtitutum profiterentur, nec ceſſarent Dei Templum prædicare, quòd tamen fouerent animo ſuperbiam, proſcidit maledictis.

Dico igitur II. Vt ſancti Angeli beatitudine ſunt donati in Cælo; ita, pugnante S. Michaële, perduelles cum ſuo Coryphæo in pœnam ſuperbiæ reiecti ſunt ad locum Mundi infimum æternis ignibus cruciandi; neque enim ignes damnatis Angelis parati ſunt, ex Matth. 5. niſi vt per eos crucientur. Quemadmodum ſuprà *cap.* 2. expoſuimus.

Notandvmqve eſt, hos cruciatus, doloremque omnem vulgò à Theologis reuocari ad pœnam *ſenſus*, latè ſumendo vocabulum *ſentiendi*, quatenus opponitur pœnæ damni, quæ ſolùm poſita eſt præcisè in carentiâ, ſeu priuatione boni beatifici.

Not. 2. In illâ damnatione, Dæmones nihilominus retinere omnia naturalia, ſeu vim intelligendi, & agendi naturalem, vt habetur in Philoſophiâ Morali. *Tract.* 1. *Diſput.* 3. *cap.* 1.

****

Capvt V.

De cognitione naturali Angelorum.

Cognitio omnis oritur ex immaterialitate; vnde, quâ proportione res ſunt magis im-

materiales, eò etiam perfectius habent principium cognoſcendi; vt patet inductione factâ per omnia genera potentiarum cognoſcitiuarum, iuxta D. Thomam. Cùm ergo Angeli ſint ſubſtantiæ purè immateriales, & penitus independentes à corpore, ſunt etiam conſequenter in genere perfectiſſimo cognoſcendi, ſeu intelligendi: vt loquitur S. Doctor: vnde & vocari ſolent ſimpliciter *Intelligentiæ.* Quare

DICO I. Cùm inde iam ab ipſo ortu exigant elicere cognitiones ſuas, quæ etiam eorum eſt vita; debuerunt conſequenter & ab ortu ſuo habere connaturaliter rerum ſpecies infuſas, quibus vltimò ſecundùm intellectum complerentur ad cognoſcendum actu; quemadmodum ſupponimus ex Phyſicâ. *De neceſſitate ſpeciei impreſſæ.* Dixi debere Angelo ſpecies infundi; quia in eo differt ab Homine, quòd Homo ſecundùm intellectum operans connaturaliter, dependeat ſaltem obiectiuè & materialiter ab operatione ſenſuum; nihilque habeat in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, vt probatur experientiâ; quamobrem eas rerum ſpecies non habet, niſi quas acquiſierit, hauſeritque hoc pacto ab obiectis. Angelus verò à rebus cognoſcibilibus ſpecies non haurit. *Prob.* Quia obiecta ſaltem materialia, non poſſunt ſpecies niſi materiales producere; nec ipſe in ſe recipit niſi ſpirituales. Ergo neceſſe eſt, vt illi à Deo infundantur: eſtque aliarum par ratio. Quòd enim ſpectat ad ſpecies ipſorum Angelorum repræſentatiuas, communis quidem ſententia eſt illos habere ſufficienter vnitam ſubſtantiam cum ſuo intellectu, eoque mediante influentem in actum, vnde cognoſcant ſeſe.

Cùm autem non poſtulent de ſe, vt mutuò ſint præſentes, poſſintque, vt de facto contingit, pro ſuo nutu adeſſe aut abeſſe, opus habent ſpeciebus impreſſis, quibus alij cognoſcantur ab alijs. Neque verò vlla eſt ratio, cur Angelus alteri intimè coëxiſtens, dicatur eam habere vim agendi ad extra, vt ſimul poſſit influere cum ipſius intellectu ad cognitionem ſui; cùm nihilominus, hoc modo, non ſit illi præſens *per illapſum*; quo pacto, proprio intellectui eſt præſens; *eſſe* videlicet in ipſum influendo.

DICO II. Non modò habet ſpecies aliorum Angelorum repræſentatiuas, ſed etiam rerum omnium naturalium, vnde ipſas, vt in ſe ſunt, perfectè cognoſcat. Ita S. Dionyſius *De Diuinis Nom. c. 4. 5. & 7.* Ratio eſt: quia ſic decuit creaturam perfectiſſimè omnium cognoſcitiuam, res eas ſaltem naturales, quæ exiſterent, cognoſcere; cùm eum tantùm in finem Mundus fuerit conditus, vt ex eo Deus cognoſceretur, & glorificaretur. *Conf.* Si enim hoc primis Parentibus conceſſum eſt, vt *diſciplinâ intellectus replerentur*. ex Eccleſiaſtici 17. illud à fortiori debet ſtatui de Angelis.

NOTABIS autem, non eſſe opus, vt ſingulis rebus ſuæ reſpondeant ſpecies, cùm vna poſſit eſſe vniuerſalis ad res diuerſas in infinitum repræſentandas, vel abſtractiuè, ſi non extiterint; vel intuitiuè, ſi habuerint exiſtentiam. Hæc eſt enim ſpecierum iſtiuſmodi natura, vt res repræſentent pro eo ſtatu in quo ſunt; talemque de ſe exigunt concurſum Dei ſimultaneum, ſui determinatiuum, ad producendam cognitionem intuitiuam, poſitâ obiecti exiſtentiâ, tanquam conditione. Ita D. Th. At

NOT. 2. Perinde non exigunt repræſentari

ſecreta cordium,ſeu liberæ cogitationes alienæ, aut affectiones voluntatis. Sic enim ex Sacris Literis dicitur *Deus ſolus noſſe corda filiorum hominum*. 2. Paralip. c. 6. Quinetiam fuit vnum iſtud ex argumentis,quibus demonſtratur Chriſti Domini Diuinitas, quòd Phariſæorum cognitiones peruideret. *Confir.* Quia voluntas libera perfectum habet dominium ſuarum operationum; nec conſequenter alijs, præterquam Deo, poſſunt innoteſcere, niſi pro illius conſenſu. Alioquin inde poſſent multa oriri incommoda in Republicâ Angelorum.

NOTABIS igitur 3. Non cognoſci ab Angelis ſecreta noſtrorum cordium, quantùm eſt de ſe; niſi probabiliter, & per incertam coniecturam ex quibuſdam ſignis & effectibus, putà ex immutatione corporis. Certè, cùm hoc ipſi præſtare poſſimus, multò magis & Angeli, qui longè ſunt perſpicaciores: nec repugnat eos in rebus eiuſmodi obſcuris vnum inferre ex alio per diſcurſum, cùm, ſine vllo ſufficienti rationis fundamento, Thomiſtæ Angelis denegent potentiam ad diſcurrendum.

NOTABIS vltimò, cognitionem eam creaturarum, quam ſancti Angeli habent in Verbo ex viſione beatificâ, vocari à D. Auguſtino *cognitionem matutinam*; quam autem habebant in viâ,vocat tantùm *veſpertinam*, cùm eſſet minùs clara, & perfecta.

CAPVT VI.

De locutione Angelorum.

LOQVI, eſt manifeſtare alteri ſuæ mentis conceptum, aut voluntatis affectum. Atque ita certum eſt Angelos ſibi inuicem loqui, vt habetur tam ſæpe ex Sacris Literis; neque iſtud de ſe repugnat; cùm etiam alioqui carerent eo ſocietatis bono, quod creaturis rationalibus eſt iucundiſſimum.

NOTABIS verò, locutionem eſſe actum intellectus, quia eſt manifeſtatio quædam, cùm & ipſa operatio intellectus vulgò appelletur *verbum mentale*, ideóque ſæpe aiunt Sancti Patres, linguam Angelorum eſſe eorum intellectum; vnde & nos ipſi per intellectum poſſumus Deo & Angelis loqui. At difficile eſt explicare, quomodo conceptus vnius Angeli, aut noſter qui eſt immanens, Angelum etiam diſtantem afficiat, & moueat ad audiendum.

Communior ſententia eſt, iuxta Angelicum Doctorem, locutionem Angelicam aliud nihil eſſe, quàm conceptum ad alios directum, ex eâ intentione, vt ipſis innoteſcat. Suppono enim Angelum, aut Angelos audientes habere ſpecies infuſas locutionum omnium, quæ ad ipſos dirigi poſſunt; quâ directione conceptuum factâ, quæ ſpecies in audiente eſt de ſe indeterminata ad quancunque locutionem repræſentandam, per concurſum Dei ſimultaneum determinatur ad tales, vel tales conceptus, ſeu

locutiones repræſentandas. *Confir.* experientiâ Energumenorum, in quorum exorciſmis tam ſæpe Dæmones reſpondent cogitationibus ad ipſos directis.

NOTANDVMQVE eſt, in hac ſententiâ explicari commodè, quemadmodum vnus Angelus cuilibet alteri etiam diſtanti, vel in vacuo ipſo, & in inani, loqui poſſit. Quod explicari non poſſet per tranſmiſſionem ſpeciei alicuius ab vno ad alium. Item, quomodo clam alijs, licet præſentibus, loquatur; cùm reſpectiuè ad alios non tollatur impedimentum morale determinationis ad talem locutionem percipiendam. Sic dicitur vnus Angelus clamare ad alium, cùm ex affectu vehementiori ad eum ſuos conceptus dirigit.

Obijcies. Nulla fieret mutatio ex parte audientis, vt conceptum ad ſe directum perciperet. ℞. Ex determinatione Diuinâ producitur in eo cognitionis actus, per quem eiuſmodi locutionem percipiat; quæ eſt ſatis inſignis mutatio.

Inſt. Ex conſenſu alterius, non fieret in altero vis phyſica maior ad intelligendum. *C.* Satis eſt quòd determinetur, poſitâ illâ conditione extrinſecâ.

CAPVT VII.

De volitione Angelorum.

CERTVM eſt Angelos, elicere actus volitionis liberæ, finem intendere, tum media eligere, amare, odiſſe, deſiderare, aliáque id

genus. At quæſtio eſt, num poſitâ finis alicuius intentione, vel poſito electionis actu, mentem illam poſteà reuocare, aut mutare poſſint. Negant Thomiſtæ.

Dico autem contrà, Angelos non eſſe ex naturâ ſuâ in propoſito immutabiles. Primò enim, poſſunt mutare ſententiam de appetibilitate obiecti, putà ſi rem iudicauerint inutilem, aut noxiam, quam priùs exiſtimauerant vtilem, cùm de omnibus illius circunſtantijs non conſtaret. Sic Dæmon aliquando appetiit mortem Chriſti Domini, quam poſteà impedire voluit, re meliùs conſideratâ, vt vulgò docent SS. Patres. Secundò, cùm ſit Liberi Arbitrij, ſtante quocunque iudicio, & poſitis omnibus requiſitis, vt poſſit velle, aut non velle (ſi non ſit ſermo de amore beatifico) poteſt, à fortiori, minùs bonum eligere, contempto maiori, &c. Quæ in Morali proſecutus ſum. Et verò, ſi obiectum, aut iudicium de obiecto non neceſſitat ad agendum, non poteſt etiam neceſſitare ad perſeuerandum.

Obijc. Nulla illi noua ſubeſſe poteſt cognitio, cùm ſtatim rem perfectè cognoſcat. *Tranſ.* Nihil hoc impedit, quominus mutet propoſitum.

Inſt. 1. Intellectus principio veritatis euidenter cognito, diſſentire non poteſt. *C.* Ergo nec voluntas à bono, cui adhæret, abduci. *Nego parit.* Quia voluntas eſt libera, non autem intellectus.

Inſt. 2. Non aliam ob cauſam dicitur Deus Angelis peccantibus denegaſſe gratiam ad pœnitentiam, niſi quia ſunt de ſe in propoſito inflexibiles. N. Potuit enim illis dari gratia ad pœnitendum, quam tamen Deus iuſto indi-

cio denegauit, tum ob ſpecialem eorum ingratitudinem, tum quia, vt ſuprà aiebam, ſpeciali odio proſequitur ſuperbiam. Huc adde, illos peccaſſe ex purâ malitiâ; Adamus autem peccauit ex fragilitate, & alio ſuadente. Sed quicquid dixerimus, quis Deum iudicet? cùm liberum illi ſit peccata noſtra vel remittere, vel punire.

CAPVT VIII.

De Loco Angelorum.

SVPPONO ex Phyſicâ, rem nullam eſſe in loco per modum vbicationis realiter diſtinctum, cùm fruſtrà ſit. At

DICO I. Contra Thomiſtas, Angelus non eſt formaliter in loco per operationem, quam in eo exerceat. *Prob.* Ex eo præciſè dicitur eſſe in loco, quatenus alicui ſpatio vel reali vel virtuali coëxiſtit, ſeu ab eo ſecundùm ſubſtantiam eſt indiſtans. Item, ſupponitur eſſe in loco priùs ſaltem naturâ, quàm in illo agat; ergo in eo eſt independenter ab operatione ſuâ. Item, eſt in Empyreo, nullam circa ipſum locum operationem exercendo; quænam enim foret illa operatio? Item, ſic poteſt eſſe in vacuo. Item, cùm poſſit ceſſare ab omni operatione, vel pro ſuâ libertate, vel ſubtracto Dei concurſu, ſequeretur eum poſſe eſſe nullibi, quod falſum eſt, vt oſtendi in Phyſicâ Vniuerſali. Item, ſequeretur Dæmonem ſic poſſe non exiſtere apud inferos, ſi ab omni actione ceſſare voluerit: nec ratio eſt, cur perinde corpus foret

nullibi, ſi circa ſpatium, cui coëxiſtit, nullam exerceret actionem. Neque verò etiam vlla eſt ratio, cur Aduerſarij negent ſufficere Angeli coëxiſtentiam ad locum, vt de facto dicatur in eo eſſe; quemadmodum ex ſequenti Aſſertione clariùs intelligetur.

Notandvm porrò eſt, Angelum coëxiſtere loco per extenſionem virtualem, quæ tamen non ſit aliqua Entitas ab ipſo realiter diſtincta. Fruſtra enim eſt illa realis diſtinctio; nec de facto illam in animâ corpus informante, aut in Corpore Chriſti poſito ſub ſpeciebus Euchariſticis admittunt Aduerſarij: ergo à pari, nec in Angelo eſt admittenda, cùm ſatis ipſe per ſuam ſubſtantiam intelligatur virtualiter extenſus.

Dico III. Sic Angelus virtualiter coëxtenditur ſpatio, vt totus ſit in toto, & totus in qualibet parte. *Prob.* Quia non poteſt eſſe in parte ſpatij, per aliquam ſui partem, cùm ſit indiuiſibilis, nec partes habeat. Hoc fuſiùs explicatur in Phyſicâ de Indiuiſibilitate Animæ rationalis. Dicitur tamen habere partes virtuales, ſeu æquiualenter; quatenus per ſuam ſubſtantiam virtualiter tantùm extenſam, reſpondet partibus ſpatij, totique ſpatio, perinde ac ſi haberet partes: differtque tantùm in eo à corpore, quòd ſpatio coëxtendatur indiuiſibiliter, corpus autem diuiſibiliter, id eſt, ſecundùm diuerſas ſui partes, diuerſis loci partibus reſpondendo. Certè, qui tam ægrè concipiunt ſubſtantiam huiuſmodi incorpoream, alicubi exiſtere non poſſe ſine operatione in loco, aut totam eſſe in toto, & totam in qualibet parte, &c. quomodo illud admittent de Chriſti Corpore Sacramentaliter poſito ſub

ſpeciebus Euchariſticis. Nam de Fide eſt ibi totum eſſe in toto, & totum in qualibet parte; vt oſtendi in Phyſicâ Vniuerſ. Diſp. de Quant. c. 2. nec dubium eſt, quin ſaltem in triduo mortis conſecrari potuerit ab Apoſtolis; quo in caſu non extitiſſet cum aliquâ operatione, &c.

Dico IV. Angelus quilibet certam habet ac determinatam extenſionem virtualem, vnde maiori ſpatio coëxtendi nequeat, vocaturque ipſius *locus adæquatus*. Et quidem, quò Angelus perfectioris eſt naturæ, maiorem habet extenſionem eiuſmodi virtualem, quæ eſt aliqua participatio immenſitatis Diuinæ. Quare fieri poteſt, vt aliquis Angelus coëxtendatur ſpatio in ſphæram 20, aut 100 leucarum, ſitque illi toti indiuiſibiliter præſens. At

Dico V. Vt Anima rationalis modò habet minorem extenſionem virtualem, modò maiorem, provt eſt in corpore per augmentationem magis extenſo, quæ olim fuerat in minori; ita à pari Angelus poteſt contrahere ſeſe ad minus ſpatium, quaſi per quandam ſuarum partium virtualium penetrationem: nihil enim repugnat. At

Notandvm eſt, habere illum terminos paruitatis, vt & magnitudinis, quos naturaliter tranſilire non poteſt; neque abſolutè poteſt contrahere ſeſe ad punctum Mathematicum: quia, vt probaui in Phyſicâ, illa rei inextenſio, & indiuiſibilitas Mathematica eſt ſecundùm rem impoſſibilis. Et verò etiam ſequeretur inde Angelum ſe poſſe quoque reducere in longum ad lineam vſque; quo pacto ſic poſſet infinitè extendi, vt oſtendi *in Geometriâ elementali. cap. 6.* Atqui impoſſibile eſt illud conſequens; ergo & antecedens.

Not. 2. Locum hunc minorem, ad quem ſeſe contrahit Angelus, vocari locum ipſius *inadæquatum*.

Dico autem VI. Sic plures ſimul Angeli in infinitum poſſunt coëxiſtere loco eidem, & penetratiuè: quia quantitatem non habent, quæ ſola eſt principium impenetrabilitatis. Confirmatur experientiâ, ex Euangelio, de quâ diximus capite primo huius Diſputationis.

Capvt IX.

De motu locali Angelorum.

Dvbivm non eſt, quin moueantur localiter, ſic enim de facto varias Mundi in regiones deferuntur. At

Dico I. Moueri poſſunt à loco ad locum, tum motu diſcreto interpolato, quòd ſcilicet interdum ad certa quædam ſpatia ſubinde poſt aliquam partem motus continui ſucceſſiui quieſcant; tum etiam moueri poſſunt vno & eodem motu ſucceſſiuo & continuo, vt cùm Aſtra mouent. Quo pacto, vná horâ, multò plusquam duodecim milliones leucarum conficiunt, vt oſtendi in Mathematicâ. *Tractatu de Sphærâ cœleſti, vbi de Aſtrorum motu.*

Dico II. Non poſſunt moueri à loco ad diſtantem locum, non tranſeundo per medium. Sic enim medium ſe impertinenter haberet ad motum illum; qui conſequenter fieret in inſtanti; neque vllâ ratione explicari poteſt, quemadmodum illud fiat, vt probaui in Phyſicâ Vniuerſali.

Dico III. Contra Thomiſtas, non poteſt Angelus à loco adæquato, cui per ſuam extenſionem virtualem coëxiſtit, tranſire in inſtanti ad locum adæquatum, etiam contiguum, & ſic moueri à loco adæquato ad alium adæquatum per mutationes inſtantaneas, & per inſtantia interpolata, vt loquuntur. *Prob.* Quia huic obſtat tum virtualis extenſio Angeli, tum diuiſibilitas ſpatij vel realis, vel virtualis, cuius partibus, ſecundùm partes ſui virtuales reſpondere non poteſt, niſi ſucceſſiuè, quando ab vno loco tranſit ad alium. Nec poteſt explicari illa replicatio inſtantanea, quam volunt Aduerſarij, quin dicatur Angelus, priùs per ſui quaſi primas partes virtuales ſucceſſiuè reſpondiſſe prioribus partibus illius ſpatij, quàm poſterioribus. *Conf.* Sequeretur inde corpus aliquod fuiſſe in inſtanti aſportatum ab vno loco in alium longiſſimè diſtantem, ex hypotheſi quòd Angelus vni leucæ coëxiſtens, tranſeundo per mutationem inſtantaneam ad leucam aliam contiguam, ſimul transferret ſecum lapidem à remotioribus partibus vnius leucæ ad leucam alteram.

CAPVT X.

Angelorum vires naturales ad extrà.

Dico I. Habent Angeli potentiam motricem, per quam non modò ſeipſos mouent; ſed etiam & alia extra ſe. Ita enim mouent Cœlos; ita Spiritus alios, perinde ac humanas animas; ita moles corporeas è loco ad locum

deferunt; item, & proiectis impetum imprimunt. At

Dico II. Qualitates alteratiuas, iiſque mediantibus opera naturalia per ſe & directè attingere non poſſunt, ſed tantùm indirectè, per potentiam motricem applicando actiua paſſiuis. Ita vulgò omnes cum D.Th. *Prob. ratione.* Quia virtutem agendi naturalem Angeli nullam habent, præter intellectum, voluntatem, & potentiam motricem; nec proinde quidquam poſſunt agere, niſi per eiuſmodi facultates. Quod autem ſint ſuperiores naturâ corporeâ, non ſequitur, vt effectus illos naturales directè poſſint attingere; ſatiſque aliunde fuit prouiſum tuendo bono Vniuerſi per agentia corporea. Iam verò,

Dico III. Quæ eſt illorum perfecta ſcientia de virtutibus rerum naturalium, multa præſtare poſſunt applicando actiua paſſiuis: putà ex corporibus inanimatis, poſſunt vnum transformare in aliud, longè faciliùs quàm Chymici; creare aut curare morbos; grandines, procellas, tonitrua, & ſimilia meteorologica ciere; fiuntque hæc reipsâ nonnunquam à Magis, ope Dæmonum. De productione Lucis dicam ſequenti capite.

Item, poſſunt vario præſtigiarum genere illudere, immutando vel obiectum, vel medium, vel organum; ſubijciendo ſpectra, modò ea ſubtrahendo.

Item, poſſunt ecſtaſim ſeu raptum naturalem inducere, ligando ſenſus exteriores, & obſtruendo aditus ſpirituum animalium, aut illos potiùs cogendo ad organum imaginationis; quo in ſtatu Magi ac Sagæ deludi ſolent à Dæmone, dum hac ratione putant ſe varia

peragrare loca, frequentare varios hominum cœtus, menſis lautiſſimis accumbere, & cætera id genus.

NOTANDVM verò eſt, nunquam hæc fieri à Dæmone, niſi Deo permittente; qui plerumque liberis cauſis ſic indulget ad maiorem ſuam gloriam. Item,

NOT. 2. Nunquam à Dæmone patrari vera miracula, cùm ſupra naturæ vires nihil præſtare poſſit. Alioquin argumentum ad comprobandam Chriſtianæ fidei veritatem petitum ex miraculis, non eſſet efficax; nec diceret Chriſtus Iudæorum incredulitatem excuſari non poſſe, quia fecerat ſigna, quæ ab alio prodire, quàm à Deo, non poterant. Item; nec poteſt ordo vniuerſæ naturæ turbari ab Angelis, ſeu Dæmonibus; *non enim* inquit Sacrà Scriptura, *Deus illis ſubjecit Orbem*. Quare nec poſſunt inducere vacuum, vt docetur in Phyſicâ; nec poſſunt totum aliquod Elementum transferre alium in locum; vel quòd habeant tantùm vires inferioris ordinis ad ea, quæ ſpectant bonum Vniuerſi; vel ſaltem, quia Deus ad eos effectus non concurrit, pro eâ prouidentiâ, quam exigit bonum Vniuerſi.

DICO præterea IV. Poteſt quidem Angelus, ſeu Dæmon, varij generis inſecta, & animalia imperfecta producere ex putri materiâ, applicando actiua cum paſſiuis, vt Muſcas, Serpentes, Bufones, Ranas; etſi probabilius eſt Serpentes eos, quos Magi Ægyptij olim dederant in conſpectum Pharaonis, fuiſſe aliunde per induſtriam Dæmonis in locum virgarum ſubrogatos, quia tam breui tempore ſub eâ magnitudine non potuerant ab eo procreari. Item, poteſt quidem Dæmon turbare generationem perfecto-

rum animalium, mutando ſexum, procurando Gigantes, aut Pygmæos; vel impeditâ, vel corroboratâ materiâ ſeminali, aut copioſiorem aliunde inferendo. At

Dico V. Perfecta animalia prodire nequeunt niſi à virtute ſeminali, tum eâ mediante ab animali in vtero tantùm conformari poſſunt, neque ars Dæmonis hæc ſupplere valet. Item, nec poteſt corpora ex vnâ ſpecie transformare in aliam, putà humanum corpus in belluinum: nam anima omnis determinatum corpus exigit de ſe, nec poteſt naturaliter ſaltem in alio conſiſtere: vt docetur in Phyſicâ. Et verò etiam contrarium aſſerenti imminet pœna Anathematis, vt ſcribit Delrio. Quod autem vulgò iactant de Lycanthropis, ſeu de Hominibus conuerſis in Lupos, tum in Feles, & de alijs ſimilibus ſpectris, illa contingunt tantùm ſecundùm apparentiam, vel ex vitio deprauatæ imaginationis per faſcinationes & præſtigias, vnde putent ſe eſſe Lupos, aut ſe intueri Lupos, aliaſque ſimiles belluas: quomodo etiam, in probabiliori ſententiâ, Nabuchodonoſor dicitur tranſmutatus fuiſſe in bouem, duntaxat ſecundùm apparentiam. Item, Dæmon aliquando pro Magis vel Sagis ſubſtituit aliena ferarum corpora; aut illis in remoto loco ſoporatis, ipſemet aſſumpto corpore belluino ſolet illudere. Item, ſolet illis maleficis hominibus effigiem aliquam belluinam ex aëre circundare, & membra membris aptare; vnde mirum non eſt, ſi poſteà ſæpe inueniuntur læſi in ijs membris, quæ ſub corpore fictitio deliteſcebant.

Dico VI. Nec poteſt Dæmon vaticinari res futuras, aut certò ſtatuere de hominum

euentibus, qui aliquâ ratione pendent ex Libero Arbitrio. *Prob.* Quia hæc naturæ vires ſuperant; ſolique Deo attribuuntur ex Scripturâ Sacrâ. Quare vanæ ſunt ac impiæ Artes illæ, quibus, ope Dæmonum, ex pacto vel tacitè & implicitè, vel expreſsè cum ijs inito, non pauci malam, aut proſperam aliorum fortunam inquirunt: nec vacat etiam graui ſcelere, ſi quis, vel ſolâ curioſitate impulſus, Diuinatores eiuſmodi conſulat: ſoletque Deus permittere, vt idcirco ea contingant, quæ ad exitium prænunciantur.

****

CAPVT XI.

De Apparitione Angelorum, & corporum aſſumptione.

CERTVM eſt, Angelum videri, vt in ſe eſt, non poſſe oculo corporeo, ſaltem naturaliter: imò, ex communi Theologorum, & Fidei proximâ doctrinâ, ne ſupernaturaliter quidem: quia nulla potentia ferri poteſt extra obiectum ſuum; obiectum autem potentiæ materialis vt ſic, non eſt niſi materiale, nec repræſentat niſi materiali modo. Ergo Angelum, qui ſpiritualis eſt, non poteſt repræſentare ſecundùm rationem ipſi Angelo propriam: vt iam inſinuabam *cap. 1.* At

DICO I. Angeli, tum boni, tum mali, poſſunt apparere ſenſibiliter varijs modis. Primus eſt internus, & purè imaginarius; quomodo apparent dormientibus; vt Beato Ioſepho. *Matthæi cap. 1. & 2.* Vel imprimendo aliquam ſpeciem imagina-

imaginationi, vel ſpecies iam in eâ exiſtentes conuenienter eum in finem diſponendo. Secundus modus eſt, per illuſionem ſenſuum externorum; qualem ſuperiori cap. Aſſert. 6. explicui. Tertius eſt, aſſumendo ſibi verum aliquod corpus, vel hominis, vel animalis, rei-ve alterius cuiuſcunque. Quo pacto Dæmon aliquando ex Statuis & ex arboribus fundebat oracula: vel certè, quæ eſt maxima eius induſtria, & agendi facultas, formando & aptando ſibi corpus ex aëre & exhalatione, ſimili-ve ex materiâ. Quâ formâ olim apparuêre Angeli Abrahamo, Tobiæ, alijſque Veteris Teſtamenti Patriarchis.

DICO autem II. Vt corpus dicatur propriè aſſumi ab Angelo, requiruntur nonnullæ conditiones. Prima eſt, vt illi intimè ſit præſens, ipſumque ſibi tanquam inſtrumentum ad aliquas operationes ſubordinet, non verò vt motor purè extrinſecus; ac maximè tandem, vt per operationes illius corporis ſenſibiles dicatur repræſentari. Alioquin, etſi Angeli ſint præſentes Cælis quos mouent, ipſiſque aſſiſtant, tanquam motores mobilibus, non ideo dicuntur Cælos ſibi aſſumere, aut per eos repræſentare ſeſe. Ita nec propriè dicuntur apparere in Energumenis. Quanquam

NOT. 1. Angelos ſic aſſumere interdum corpora, vt ipſum quoque Deum repræſentent, quòd in eius Perſonâ loquantur, agantque. Atque ita colligimus ex varijs Scripturæ locis, Deum apparuiſſe Iacobo, Moyſi, Abrahamo, non in propriâ perſonâ, ſed per Angelos; & in ipſis Angelis fuiſſe adoratum. Item,

NOT. 2. Angelos aſſumptis corporibus vniri tantùm per vnionem accidentalem, ſeu inſtar

formæ aſſiſtentis, non autem per informationem, inſtar animæ v. g. rationalis, per quam animatur corpus humanum. Etiamque in eo diſcrepant ab animá rationali, quòd in aſſumpto corpore non ſint principium vitale influens in operationes vitæ aut vegetatiuæ, aut ſenſitiuæ; nec v. g. in eo loquantur, ambulent, comedantve modo vitali: illa enim eſt tantùm apparens manducatio, propter conſimilem motum partium externarum, quem pro arte atque induſtriá ſuá efficiunt.

Not. 3. Sic vniri tantùm poſſe corpori aſſumpto inſtar formæ aſſiſtentis, non autem informantis; quia non eſt ens incompletum, ſeu pars totius ſubſtantialis, quæ materiam aliquam informare poſſit, vt anima rationalis.

Item, nec poteſt vlli rei vniri hypoſtaticè, ſeu aſſumere aliquod corpus per vnionem hypoſtaticam. Illud enim ſatis manifeſtum eſt ex iis, quæ diximus in Tractatu ſuperiori. Diſp. 6. vbi de Subſiſtentiâ, cap. 3. At

Not. 4. Non poſſe Angelos quidquam facere in aſſumptis corporibus, aut quibuſlibet in alijs, præter ea, quæ, beneficio motus localis, aut per applicationem actiuorum ad paſſiua, poſſunt fieri: quomodo etiam fulgorem non emittunt, niſi ex applicatione corporis alicuius lucidi, & lucis productiui: &c.

CAPVT XII.

Angelorum officia erga Homines.

ETsi Deus rerum omnium vel minimarum, quas ipſe per ſemetipſum immediatè condidit, curam etiam gerat per ſe-ipſum immediatè, pro infinitâ ſapientiâ, bonitate, ac potentiâ: eam tamen inſtituere voluit Prouidentiæ rationem, vt ſimul alijs quoque creaturis, ſibi ſubordinatis, ad alias gubernandas vteretur.

Ita Mundum inferiorem hunc regit per ſuperiorem; motuſque Orbium cæleſtium vniuerſos commiſit Angelis, quorum operâ, influxus ad generationes corporum ſublunarium neceſſarios ritè diſpenſentur.

Quia verò tota hæc Mundi machina propter Hominem procreata eſt; ipſéque Homo finem alium non habet, quàm ſupernaturalem Dei cognitionem, amorem & cultum in hac vitâ præſtandum, vt tandem alterius vitæ beatitudinem æternam conſequatur: ideo ſpeciali ex prouidentiâ, dum hîc viuit, Angelis ſanctis in cuſtodiam traditur, quorum præſidio & curâ ſeruetur ab ijs maximè tum corporis, tum animi incommodis, quibus ab illo fine abducatur.

Sic enim legimus Heb. 1. *Eſſe adminiſtratorios Spiritus in miniſterium miſſos, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Item, Pſal. 90. *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, &c.* Item, Matth. 18. *videte, ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis;*

quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in Cœlis. Item, Act. 10. vbi ſermo eſt de D. Petro, qui liber euaſerat ex carcere, ſic ait, *Angelus eius eſt.* Iudith. quoque c. 13. meminit *Angeli ſui*, &c. quæ paſſim habentur in Sacris Literis; ex quibus manifeſtè colligere eſt, ſingulis hominibus ſuum eſſe Angelum, vbi maximè de omnibus, ſine diſcrimine aut Prædeſtinatorum aut Reproborum, loquitur Chriſtus, *Angeli eorum*, &c.

Quæ autem ſint illorum erga nos officia, colligitur maximè ex libro Tobiæ. Nos enim eripiunt ab innumeris huius vitæ periculis; & quàm plurima procurant bona tum corporis, tum animi. Item, orationes & bona opera noſtra offerunt Deo; ex Apocal. 8. Nos docent excitantque ad benè viuendum, illuminando noſtrum intellectum, & voluntatem mouendo: tum opitulantur maximè in morte; animamque excipiunt corporis vinculis ſolutam, quam ad Tribunal Chriſti exhibent; deducuntque vel in ignem Purgatorium, idonea ſolatia non denegando, vel triumphantem in Cœlum deuehunt; niſi, ob ſcelera, Dæmoni rapiendam ad inferos tradere illam debeant. Quæ Angelorum in nos officia, & quæ viciſſim à nobis præſtari erga illos debeant, præclarè deſcripſit inſigni opuſculo nuper in lucem edito, vir ſingularis pietatis, & egregius Concionator, Pater Corretus.

Difficultas hæc vna modò nobis explicanda eſt, quâ ſcilicet ratione illuminemur ab Angelis, moueaturque Voluntas; cùm iſta directè & immediatè perficiantur à ſolo Deo. Verùm, vt cum Suare, *lib. 6. de Angelis. c. 16.* vulgò alii Theologi inquiunt; nos illuminant inſpi-

ranteque Angeli, mouentque noſtram voluntatem duobus modis. 1. Viſibiliter, & in corpore aſſumpto nos alloquendo; vel obiectis ſenſibilibus afficiendo ſenſus externos. 2. Inuiſibiliter, & purè interiùs, excitando phantaſmata per commotionem ſpirituum animalium & humorum, qualem ſolemus experiri in morbis, aut ſumptis quibuſdam medicamentis, vt explicui in Phyſicâ Part. de Animâ ſenſitiuâ, &c.

Sed antequam claudatur hoc caput, prudenter philoſophaberis, ſi cum D. Bernardo, ſtudioſè perpendis iſtud Dauidicum, *Angelis ſuis mandauit de te &c.* Mira, inquit, dignatio, & verè magna dilectio charitatis; Quis enim? quibus? de quo? quid mandauit? Summa Maieſtas mandauit Angelis ſuis, illis vtique ſublimibus, tam beatis, quàm proximè ſibi cohærentibus, & verè domeſticis, mandauit de te. Tu quis es? Sed quid mandauit de te? vt cuſtodiant te. Quantam tibi hoc verbum debet inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam pro præſentiâ, deuotionem pro beneuolentiâ, fiduciam pro cuſtodiâ. Cautè ambula, vt videlicet cui adſunt Angeli. Tu-ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes, &c.

DISPVTATIO II.

DE ENTE INCREATO, SEV DE DEO.

CAPVT I.

Dei exiſtentia, & cognoſcibilitas.

DEi nomine intelligitur aliquod ens ſupremum, increatum, rerum omnium principium, cuius bonitate, ſapientiâ, & potentiâ adminiſtretur Mundus. Sic autem

DICO I. Lumine naturali euidens eſt, *Deum* exiſtere. Nam primò quidem, ſuppono in eâ propoſitione (*Deus eſt*) nihil inuolui contradictionis, cùm in terminum ſimplicem non cadat contradictio, vt iam obſeruaui: Ergo nihil habet impoſſibilitatis. Neque verò illud eſt impoſſibile, cui ex naturali inſtinctu vulgò omnes aſſentimur; ſiquidem intellectus noſter fertur ſolummodo ad verum, tanquam ad proprium obiectum: atqui illi propoſitioni (*Deus eſt*) ex naturali inſtinctu, omnes aſſen-

timur: imò nulla gens tam barbara vnquam extitit, quæ, de facto, Deum aliquem eſſe non ſenſerit; nulluſque eſt, qui in ſubitis caſibus, ex naturali inſtinctu, Dei opem non imploret: cùm ergo omnes illi propoſitioni aſſentiamur, ſequitur nihil habere in ſe contradictionis; nec eſſe erroneam. *Conſ.* Quia ſi error foret, ille non eſſet adeo conſtans, nec tam vniuerſalis; patet enim experientiâ, quemadmodum error & mendacium ſit ex naturâ ſuâ inconſtans. Quare ſic argumentor; Deus eſt poſſibilis; ergo exiſtit actu. Si enim de facto non exiſteret, eſſet omnino impoſſibilis. *Prob.* Quia illud eſt impoſſibile, quod actu eſſe non poteſt. Atqui ſi Deus actu non exiſteret, actu eſſe non poſſet: ergo ſi de facto non exiſteret, eſſet impoſſibilis. *Prob. Min.* Quia fieri actu non poſſet, niſi quatenus ab aliquâ causâ procederet: atqui Deus, cùm ſupponatur eſſe prima cauſa, procedere ab aliâ non poteſt: ergo ſi actu non exiſteret, foret impoſſibilis.

Probatur 2. Neceſſe eſt exiſtere aliquod ens improductum: ergo neceſſe eſt exiſtere Deum. Vt enim poſteà oſtendam, idem eſt eſſe naturam improductam, & eſſe ens ſupremum, omniumque aliorum Entium principium; & conſequenter Deum. *Prob. Ant.* Quia quicquid eſt, non poteſt eſſe productum ab alio: ergo datur aliquod ens improductum. *Prob. Antec.* Quia in ijs, quæ ab alio procedunt, ſeu quemadmodum loquuntur Peripatetici, in ijs, quæ ab alio mouentur ad *eſſe*, neceſſe eſt vt deueniatur tandem ad primum, à quo cætera procedant; vel certè dabitur proceſſus in infinitum in rebus, quæ vel exiſtunt, vel extiterunt: indeque ſequeretur infinitum actu in numero;

quod implicat, ſaltem ſecundùm communiorem Philoſophiam. Nec dicas, illud argumentum non valeret ſaltem in doctrinâ Ariſtotelis, de Generationibus ab æterno; nec non in doctrina D. Thomæ, qui putauit non eſſe impoſſibiles. Reſpondeo enim, etſi putauit S. Doctor poſſe aliquem v. g. hominem creari ab æterno; non ideo admittit generationes nouas, & nouas ab æterno, pro illâ totâ æternitate. Doctrina autem Ariſtotelis ſupponitur eſſe erronea; vt oſtenditur in Phyſicâ. Sed tranſeat iſtud; ſic nihilominus argumentor. In totâ illâ Entium ſiue finitorum, ſiue infinitorum collectione, vel eſt aliquod improductum, à quo reliqua prodeant; & ſic habebimus intentum; vel nullum eſt quod non ſit productum ab alio. Atqui hoc admitti non poteſt, niſi dicamus eſſe aliquod ens in illâ collectione, quod totam produxerit vel mediatè, vel immediatè; & conſequenter quod ſeſe ipſum produxerit. Iſtud autem conſequens, eſt impoſſibile; vt ſupponimus per ſe notum, quemadmodum habetur in Phyſicâ Vniuerſali. 1. Parte. Tract. 2. Diſp. 6.

Tertium argumentum petitur à rerum contingentiâ, in hunc modum. Ex omnibus ijs rebus, quæ exiſtunt, vel aliqua eſt ens neceſſarium, cui repugnet non eſſe, illudque eſt *Deus*, de quo mouetur Diſputatio: vel omnes ſunt contingentes, nempe quæ poſſint eſſe, & non eſſe. Supponamus ergo ex iſtis nullam exiſtere; ſiquidem hæc poſſibilis eſt hypotheſis; item, & poſſe tranſire de non eſſe ad eſſe: ſic argumentabor: non poterit fieri ille tranſitus, niſi per virtutem alicuius cauſæ res illas producentis, quæ cauſa ſit extra numerum eiuſmodi Entium contin-

contingentium: ergo quæ ſit ens neceſſarium, & conſequenter *Deus.*

Præterea verò, vt cum Tertulliano loquar, *certum eſt Deum habere teſtimonia id totum in quo ſumus, & id totum quod ſumus.* Nempe Mundi huius atque Hominis in Mundo exiſtentis fabricam, pulchritudinem, tum admirabilem partium omnium inter ſe ordinem, motus, viciſſitudines, conſtantiam, vtilitatem; ita vt nemo ſit tam feris moribus, qui non intelligat, mentem eſſe aliquam præpotentem, quæ ſummo conſilio ac prouidentiâ hæc præſtet. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poteſt creator eorum videri*: vt legitur apud Salomonem *Sap.* 13. Confirmari hæc poſſent alio multiplici rationum genere; ſed conſule, ſi iubet, Leſſium, *Libro De Prouidentiâ Numinis*, tum Granatenſem in Catechiſmo, qui ſatis diſertâ oratione hæc proſequuntur.

Dico autem II. Conſtat etiam per vires luminis naturalis, vnicum exiſtere Deum, nec poſſe plures eſſe. Fruſtra enim ad Mundi creationem & gubernationem plures admitterentur, vbi vnus ſufficiens eſt, qui ſit poteſtatis ac ſapientiæ infinitæ. Neque verò etiam aliud prædicat tanta rerum omnium in ſuis motibus, viciſſitudine, generationibus, æquabilitas & conſtantia ad bonum Vniuerſi, vt planè videantur eſſe ab eodem principio, & ad eundem vltimum finem tendere. Item, cùm ſupponamus Ens increatum, ſeu Deum, eſſe infinitum in omni genere perfectionis, inde conſequens eſt, non poſſe admitti plures Deos; quia non poſſunt eſſe duo eiuſmodi infinita; vt patet ex doctrinâ de Infinito in Phyſicâ. Item, cùm exiſtentia ſupponat ſingu-

rioris doni; tum ſimul cum habitu ſupernaturali Fidei infundi rerum illarum, quæ ad actus Fidei prærequiruntur, cognitionem ſupernaturalem euidentem, quâ fundentur actus Fidei ſupernaturalis poſteà eliciendi.

Capvt II.

Dei natura, ſeu eſſentia.

Dei natura duplici ratione ſpectari à nobis poteſt. Primò, ſecundùm rem, ſeu vt in ſe eſt, & viâ eminentiæ. Secundò, prout ſubeſt huic noſtræ cognitioni, ſeu modo cognoſcendi noſtro imperfecto, per Analogiam ad creaturas. Verùm, antequam illud proſequor: ſupponendum eſt, quod iam oſtendi primo capite, Deum videlicet eſſe ens improductum, ſeu ens à ſe, non quidem poſitiuè, quaſi à ſe fiat, ſed negatiuè tantùm, quatenus ab alio non eſt productum. Quare conſequenter;

Dico I. Eſſe ens infinitum, ſeu infinitè perfectum. *Prob.* Quia, vt ſcribit D. Th. non habet vnde limitetur in ſuo *eſſe*, aut in ſuis perfectionibus. Rei enim cuiuſcunque limitatio in perfectione, oritur ſolùm ex eo quòd talem duntaxat ac determinatam perfectionem accipiat à cauſâ ſui productiuâ: Deus autem non habet cauſam ſui productiuam. Deinde, ens illud infinitum eſt, quod poſſibiles rerum omnium perfectiones eminenter ſaltem in ſe continet. Atqui talis eſt Deus, cùm ab eo, tanquam à primo fonte & principio, quicquid

eſſe poteſt perfectionis in creaturis deriuetur. Huc accedit Sacræ Scripturæ authoritas. *Magnus Dominus*, inquit, *& magnitudinis eius non eſt finis*. Eamque ob cauſam dicitur tum incomprehenſibilis, tum ineffabilis; non modò quia verbis exprimi non poteſt eius magnitudo, ſed quia ob infinitatem ipſi propriam, ab intellectu creato, etiam beatifico attingi, ſeu cognoſci adæquatè non poteſt: vt explicabitur poſteà,

DICO autem II. Ex illâ Dei infinitate, multas ſequi ſeu inferri à nobis proprietates illi eſſentiales.

Primò enim ſequitur, nihil cadere in eum poſſe, quod inuoluat aliquam imperfectionem: quia perfectio infinita excludit omnem imperfectionem.

SEQVITVR 2. Nihil poſſe illi accedere perfectionis, nulliuſque rei indigere poſſe; quia perfectionem omnem poſſibilem, bonumque omne poſſibile in ſe continet.

SEQVITVR 3. Eſſe actum purum, vt vulgò aiunt, quod eſt, nihil in ſe habere potentialitatis, ſeu perfectibilitatis; cùm hæc repugnet perfectioni infinitæ. Certè potentialitas & perfectibilitas dicit in ſe aliquam imperfectionem, etſi coniuncta ſit cum ſui perfectiuo: quo pacto, materia prima dicitur nihilominus ens ſecundùm ſe imperfectum & potentiale, etiam tum quando eſt ſub formâ. Deinde, pura perfectio ſine potentialitate, melior eſt ipſa quàm non ipſa, vt loquitur S. Anſelmus. Ita enim perfectior eſt natura Angelica, quòd ſit ens ſpirituale abſque materiâ, quàm homo habens adiunctam materiam cum formâ ſpirituali. Ergo pura id genus perfectio in Deo eſt admit-

tenda. Vbi enim agitur de Deo, hæc ſeruanda eſt regula, iuxta Sanctos Patres, nempe in eo debere admitti ſemper quod perfectius eſt, ſeu quod melius eſt ipſum, quàm non ipſum. Quia Deus eſt id quo nihil majus, & perfectius concipi poteſt.

ATQVI Hinc etiam ſequitur 4. Perfectiones in Deo non eſſe per modum perfectiui iuncti cum perfectibili, quâ ratione, Differentia dicitur eſſe coniuncta cum Genere; exiſtentia cum eſſentiâ; aut in ſententiâ Scoti, attributa cum ipſa naturâ Diuinâ. Quinetiam

SEQVITVR 5. Tum exiſtentiam, tum attributa, provt ſunt à parte rei, eſſe Deo eſſentialia. *Prob,* Quia melius eſt & perfectius eas perfectiones ineſſe Deo per eſſentiam, quàm per puram identitatem; cùm hoc non repugnet. Item, eſſentia Diuina, præcisè, eſt formaliter & in ſe ens infinitum, ergo illimitatum in omni genere perfectionis: ergo ſi præcisè ſumitur ſecundùm eſſentialia, nullam eiuſmodi perfectionem excludit. Alioquin ſecluſis per intellectum illis perfectionibus, haberetur nihilominus quidditatiuus Dei conceptus, quod falſum eſt: ſic enim Deus vt Deus non eſſet ens infinitè perfectum. Quia Deus vt Deus non dicit niſi eſſentialia Deitatis, quomodo, per proportionem, homo vt homo v. g. non dicit niſi eſſentialia hominis. Ergo ſi Deus vt Deus non dicit attributa ſua, conſequens eſt vt ſecundùm eſſentiam non contineat omnem perfectionem poſſibilem; ergo ſecundùm eſſentiam non eſſet ens infinitè perfectum. Item, cùm ſit ens infinitè perfectum, debet continere ſuas illas perfectiones modo quàm perfectiſſimo: ergo per eſſentiam; nam iſte modus perfectior

eſt, quàm per ſolam identitatem. *Conf.* 1. Quia, de factò, Deus dicitur non tantùm bonus, ſapiens, ſed etiam ipſa bonitàs, ſapientia, omnipotentia, &c. Quo pacto Chriſtus Dom. aiebat ſe *eſſe viam, veritatem, & vitam. Ioan.* 6. Ergo hæc ſunt formaliter illius eſſentiæ, & non tantùm identicè: alioquin ſic abſtracta de concretis, aut etiam de abſtractis ipſis prædicari non poſſent: quomodo rectè non dicitur, in homine *Rationalitas eſt animalitas.* Nec dicas, verum eſſe illud in ſenſu identico; nam Sancti Patres volunt iſta prædicari perfectiori modo de Deo, quàm Animalitas prædicetur de Rationalitate; nec ſimpliciter loquendo forent veræ illæ propoſitiones, cùm propoſitiones non fiant, ſimpliciter loquendo, niſi in ſenſu formali. *Conf.* 2. *Ex Conc. Rhemenſi. ſub Eugenio* 3. In quo Deus perinde dicitur eſſe ſapientia aut bonitas, ac Deitas: atqui Deitas eſt eſſentialis Deo, ergo & bonitas, tum ſapientia, &c. *Conf.* 3. De exiſtentia: quia ſi non eſſet illi de eſſentiâ, poſſet haberi proprius & quidditatiuus Dei conceptus, abſtrahendo ab eius exiſtentia; ac proinde ſic poſſet concipi Diuina eſſentia tanquam ens potentiale quoddam, & ab alio, ad actum reducibile; neque enim ipſa Diuina eſſentia id de ſe præſtare poſſet; nam ad hoc deberet concipi tanquam priùs exiſtens; quod implicat. Item, *Exod.* 3. Aſſignatur illud tanquam nomen Dei proprium, nempe *qui eſt.* Cùm ergo nomina ſoleant imponi ad declarandam rei naturam ſeu eſſentiam, volueritque Deus ita nominari; conſequens eſt, vt exiſtentia dicatur eſſe de illius eſſentiâ: alioqui Diuina hæc eſſentia non differret ab eſſentiâ creatâ, quæ de ſe poteſt concipi ſine exiſtentiâ; nec

rectè diceretur Deus *ens per eſſentiam.*

NOTABIS verò 1. Non modò attributa illa ſecundùm rem, id eſt, prout ſunt à parte rei, eſſe de conceptu formali Diuinæ eſſentiæ; ſed viciſſim quoque Diuinam eſſentiam eſſe de eorum conceptu formali. Quia nullum eſt Dei attributum, quod non ſit *ens à ſe*. & conſequenter infinitum; ergo quod de ſe perfectionem omnem poſſibilem formaliter non includat; ac proinde nullum eſt quod non ſit formaliter Deus: cùm ſolus Deus ſit *ens à ſe*, &c. Quo ſenſu docet Concil. Rhemenſe, nihil eſſe in Deo, quod non ſit Deus.

NOT. 2. Ipſa etiam attributa, ſecundùm rem, eſſe ſibi mutuò eſſentialia, ſeu de conceptu formali: ita Suarez. Nam, ex dictis, Sapientia v. g. eſſentiam Diuinam includit eſſentialiter; item & Iuſtitia; ergo neceſſe eſt, vt conſequenter ſapientia includat eſſentialiter Iuſtitiam, & ſic de reliquis attributis. Quamobrem rectè aiunt, vnum Dei attributum eſſe idem, etiam formaliter, quod reliqua; & ſingula idem quod omnia.

SEQVITVR 6. Ex eo quòd Deus ſit ens ſimpliciter infinitum, habeatque perfectiones modo infinitè perfecto; ſequitur, inquam, illas in eo reperiri cum maximâ ſimplicitate; id eſt, ſine vllâ pluralitate formali, & compoſitione, nec eſſe formaliter, niſi vnicam & ſimplicem perfectionem, virtualiter ſolùm multiplicem. *Prob.* Quia modus eſſendi cum perfectiſſimâ ſimplicitate, quæ illam excludat perfectionum formalem pluralitatem & compoſitionem, eſt melior ipſe, quàm non ipſe: ergo, iuxta regulam iam aſſignatam, admittendus eſt in Deo. *Prob. Ant.* Eam enim ob

cauſam videmus illas perfectiones, quæ diſperſæ ſunt in inferioribus, eſſe in ſuperioribus vnitas. Ita etiam ſubſtantia perfectior, qualis eſt Angelica, ideo ſimplicior eſt corporeâ, quæ compoſitionem habet ex materiâ & formâ. Item, Anima humana cæteris præſtantior eſt, quòd per vnicam & ſimplicem entitatem ſit vegetatiua ſimul ac ſenſitiua & rationalis; ideoque illud præſtet, quod fieret per tres animas realiter diſtinctas. Item, ex propriæ perfectionis eminentiâ, ſenſus internus, tum intellectus noſter, per eandem ac ſimplicem entitatem ſuam, ſenſuum omnium propria obiecta percipit: item, & intellectus idem eſt ſimul etiam formaliter vis apprehendendi, iudicandi, ratiocinandi, recordandi, &c. Cùm igitur natura Diuina creaturam quancunque poſſibilem perfectione antecellat; eam, à fortiori, debet habere ſimplicitatem, quæ excludat omnem cõpoſitionem etiam formalem ſuarum perfectionum, aut generis & differentiæ. Alioqui non eſſet *omnino ſimplex*, quod tradit Conc. Lateranenſe, ſub Innoc. 3. c. De Trinit. ſi ſaltem, vt volunt Aduerſarij Metaphyſicam hanc cõpoſitionem admitteret; neque in eo ſuperaret poſſibilem omnem ſimplicitatem Entis creati. *Conf.* Quia defectus eiuſmodi ſimplicitatis, poſitâ formali perfectionum diſtinctione, aut ab eſſentiâ, aut ab inuicem, tolleret in Deo rationem actus puri: in eo enim conciperetur perfectibile ex parte eſſentiæ, & perfectiuum ex parte illarum perfectionum. Item, tolleret quoque rationem Infiniti: nam, quæ eſſentia non inuolueret non modò identicè, ſed etiam ſecundùm ſe & eſſentialiter, illas perfectiones, non eſſet ſimpliciter infinitè perfecta; quia ſaltem, vt iam dixi, non contineret per-

fectiones ſuas modo infinitè perfecto. Item, ſub vnâ ex illis perfectionibus eſſet minùs perfecta, quàm ſub alijs ſimul iunctis. Ergo in Deo conciperetur vnum infinitum alio minus, quod deſtrueret rationem infiniti. Sicque eſt verum quod ſcribit Rich. à S. Victore. 1. De Trin. c. 17. *Quicquid in Deo eſt, eſſe ſummè vnum; nec ibi aliud, & aliud eſſe poſſe; ſed ipſum eſſe totum quod eſt.*

NOTANDVMQVE eſt 1. Hic agi maximè de perfectionibus abſolutis, quia nullam habent inter ſe oppoſitionem, qualem habent Relatiuæ, quæ idcirco diſtinctionem ab inuicem, & quidem realem habent, vt Paternitas, & Filiatio. Hucque refertur illud commune dictum ex SS. PP. *Nullam in Deo reperiri diſtinctionem, niſi vbi intercedit relatiua oppoſitio.* Item,

Not. 2. Hîc etiam agi tantùm de Deo ſecundùm rem, ſeu ſecundùm ſe, & viâ eminentiæ. Alioqui certum eſt naturam Diuinam, eiuſque perfectiones, ſecundùm noſtrum imperfectum cognoſcendi modum, & viâ cauſalitatis per Analogiam ad creaturas, diſtingui formaliter, formalitate ſe tenente ex parte noſtri intellectus. Nam, vt docet S. Th. 1. p. q. 13. a. 4. cùm intellectus noſter non cognoſcat naturaliter Deum, niſi ex creaturis, quarum nulla perfectionem Dei adæquat; neceſſe eſt conſequenter, vt ad illum cognoſcendum, formet diuerſos conceptus inadæquatos, eoſque proportionatos perfectionibus ab ipſo Deo procedentibus in creaturas. Quo ſenſu Apoſt. ſcribit, Deum, à nobis, modò in hac vitâ, non cognoſci, niſi *ex parte*. Quamobrem diuerſâ ratione definimus naturam Diuinam, tum eius intellectum, voluntatem, ſcientiam, omnipo-

tentiam, &c. Quinetiam

Not. 3. Quod oſtendimus, perfectiones quidem illas in Deo, ſecundùm rem, non eſſe niſi vnicam & eandem formalitatem ſeu perfectionem Diuinæ eſſentiæ; idemque eſſe cum illâ formaliter & implicitè; quatenus Diuina eſſentia idem eſt formaliter ac ſuus intellectus, ſua ſcientia, ſua voluntas, omnipotentia, aliæque id genus perfectiones; quæ conſequenter, ſecundùm rem, ſunt etiam implicitè idem inter ſe formaliter.

Notabis tamen. 4. Non obſtare illud, quominus dicantur diſtingui inter ſe virtualiter, hoc ſenſu, quòd perfectio Diuina, quantumuis, ſimpliciſſima, æquiualeat multis perfectionibus ſecundùm ſe, formaliter, aut etiam realiter diſtinctis; eademque præſtare poſſit, quæ in eſſentiâ creatâ ſunt per diuerſas facultates, etiam realiter diſtinctas. Item, virtualis illa diſtinctio poteſt quoque appellari diſtinctio rationis ratiocinatæ, cum fundamento in re, propter illam eiuſdem perfectionis infinitæ æquiualentiam ad diſtinctas perfectiones; aut etiam per Analogiam ad diuerſas creaturarum perfectiones. Item, quanuis conceptus vnius perfectionis ſeu virtualitatis Diuinæ, ſecundùm rem, ſit idem formaliter & implicitè cum aliarum conceptibus obiectiuis; quoad nos tamen & explicitè non eſt idem, &c.

Not. 5. Præter diſtinctionem realem, ſupponi hoc loco à nobis diſtinctionis duntaxat virtualis & rationis ratiocinatæ duplex genus: altera enim eſt, quæ dicitur *formalis*, ſeu inter ea, quæ ſunt eiuſdem rei formalitates diuerſæ & diſtinctæ; cuiuſmodi explicui ſuperiori Tract. Diſp. 2. c. 1. Alte-

ratio alterius; quamuis, vt dixi, ſecundùm rem & implicitè ſint formaliter idem. Quomodo enim, per proportionem, qui explicitè cognoſcit Rationale, in Homine, eſſe principium diſcurſus, non propterea cognoſcit explicitè communem gradum *Entis*, qui tamen implicitè & eſſentialiter includitur in Rationali; perciperetur que ab eo intellectu, qui intimiùs penetraret ipſum Rationale: ita pariter Diuinitas, cum attributis vtique ipſi eſſentialibus, eſt eſſentialis intellectui, voluntati, ſapientiæ, omnipotentiæ, alijſque id genus, quæ tamen attributa non repræſentantur nobis explicitè & cum propriâ virtualitate, quando vnum ex illis explicitè cognoſcimus.

Inſt. Si hæc omnia idem ſunt formaliter ſecundùm rem, ſequitur, vt, à parte rei, Deus tam dicatur intelligens & generans per voluntatem, quàm per intellectum: punire per miſericordiam, ſapere per omnipotentiam; &c. quæ omnia falſa ſunt & abſurda. R. Diuinam eſſentiam, quamuis ſit vnica & ſimplex perfectio, non operari tamen ſecundùm *adæquatam* ſuam rationem; ſed tantùm *inadæquatè*, prout tota, ſecundùm ſe, huic aut illi perfectioni æquiualet; ac veluti per iſtam aut per illam perfectionem: ſicque dicitur generare, v. g. prout æquiualet intellectui; &c.

Obijc. 2. Quæ habent conceptus obiectiuos ab inuicem præciſos, illa diſtinguuntur inter ſe formaliter ſaltem. Atqui eiuſmodi ſunt Diuina eſſentia & ipſius attributa: Nam & differunt definitione, habentque prædicata formalia oppoſita, & negantur de ſe inuicem: ergo diſtinguuntur inter ſe formaliter ſaltem. *Diſt. Mai.* Illa diſtinguuntur formaliter ſaltem, forma-

formalitate ſe tenente ex parte intellectus, inadæquatè ſibi hoc modo illas perfectiones obijcientis per Analogiam ad creaturas; ſicque habere diuerſas definitiones. C. Sed Nego idcirco diſtingui formaliter formalitate ſe tenente ex parte obiecti; ſeu diſtingui ſecundùm rem, niſi *virtualiter*.

Inſt. 1. Intellectus v. g. de ſe, & vt abſtrahit à Deo & creaturis, non includit, in ſuo conceptu formali, & ſui intrinſecè conſtitutiuo, voluntatem; nec miſericordia iuſtitiam, aut amor odium, &c. Nam hoc per ſe patet in creaturis, in quibus diſtinguuntur etiam realiter; & ſeſe mutuò excludunt: nec infinitudo, in Deo, naturam eorum deſtruit. R. 1. Illas perfectiones non abſtrahere de ſe à Deo & creaturis perfectè, ſeu tanquam aliquid commune vniuocè, & quod habeat ſeſe eodem modo tum in Deo, tum in creaturis, vt ſuo loco diximus, vbi de Analogiâ Entis. Nam R. 2. Infinitudinem Dei propriam & eſſentialem, efficere conſequenter, vt res ſint alterius naturæ in Deo, & in creaturis. Quare, R. 3. Proprium illud eſſe Diuinæ ſapientiæ, aut intellectus, aliorum-ve id genus attributorum, vt ſaltem implicitè includant Diuinitatem cum omnibus ipſius eſſentialibus, veluti ſibi communem gradum; etſi Diuina illa ſapientia v. g. aut intellectus à nobis concipiantur explicitè ſine Diuinâ eſſentiâ, aut ſine alijs attributis, ſed tantùm cum proprijs ſibi virtualitatibus; quo pacto, in Deo diſtinguuntur ex naturâ rei *virtualiter*; tum *formaliter* ſecundùm noſtrum intellectum, nec proinde prædicari de ſe inuicem poſſunt, vt iam dixi.

Inſt. 2. Si hoc tantùm modo ſeſe excludunt

attributa Diuina, nempe vt implicitum & explicitum; ne differrent quidem ratione; quomodo ne ratione quidem differunt definitio & definitum, putà Animal rationale & Homo, ſed tantùm differunt vt conceptus cõfuſus & diſtinctus, &c. *N. parit.* Quia implicitum illud in Deo dicit aliquam virtualitatem, quam non dicit conceptus obiectiuus explicitus. At Homo nihil dicit præter animal rationale.

Inſt. 3. Proprium eſt duntaxat graduum ſuperiorum, vt includantur eſſentialiter in inferioribus; quomodo Ens aut ſubſtantia, aut animal includuntur in Homine. ℟. Rationes ſingulares poſſe in ipſis etiam creatis eſſe tranſcendentaliter communes; quomodo vis intellectiua communis eſt apprehenſioni, iudicio, ratiocinationi, & memoriæ.

Inſt. 4. Eam ſolùm ob cauſam diuerſi gradus perfectionis in rebus creatis differunt, non ſolùm *purè virtualiter*, ſed etiam *formaliter*, quòd dicantur de illis prædicata contradictoria, vt de animali & de rationali: ergo, à pari, erit idem ſentiendum de attributis Diuinis. *N. parit.* Quia in creatis, ex naturâ rei, ſunt iſtæ perfectiones diuerſæ; nec vna eſt de eſſentiâ alterius, etiam implicitè. Quare non ſunt vnica ſimplex formalitas ſeu perfectio multis æquiualens: quod reperire eſt in Deo, ex naturâ infinitatis ipſi propriæ & eſſentialis.

Inſt. 5. Eſſentia eſt radix attributorum, quæ ad eam veluti conſequuntur: ergo non eſt de illorum eſſentiâ, aut viciſſim. *Diſt. Ant.* Eſſentia eſt radix attrib. ſecundùm noſtrum concipiendi modum. *Tr.* At ſecundùm rem attributa non ſunt minùs Dei eſſentia, quàm natura ipſa.

Inſt. 6. Deberet ergo prædicari, non ſolùm in ſenſu identico, ſed etiam formali, intellectus de voluntate, aut miſericordia de iuſtitiâ, ſi pertinet ad conſtitutiuum illius formale: neque enim aliam ob cauſam animal aut rationale prædicantur formaliter de Homine. N. *parit.* Quia dum concipitur aut nominatur v.g. intellectus, aut miſericordia, ſignificantur explicitæ & propriæ illarum rationes ſeu virtualitates, quæ de ſe inuicem prædicari non poſſunt, quia virtute diſtinguuntur inter ſe: nec dicuntur eadem formalitas; niſi implicitè; quatenus ſecundùm rem & implicitè ſunt formaliter ipſa Diuina eſſentia; quæ Diuina eſſentia idem eſt formaliter ac ſua eiuſmodi aut ſapientia, aut bonitas, aut intellectus, aut voluntas; &c. Nec alio modo iſta diſtinguuntur virtualiter in Deo, quàm quia Diuinitas ipſa vt æquiualens v. g. intellectui, non eſt æquiualens voluntati, &c.

Inſt. 7. Illa virtualitatum pluralitas perinde obſtaret infinitati Diuinæ, ac formalitatum diuerſitas, ſi in eo ſupponeretur. ℞. N. *parit.* Quia illæ omnes virtualitates non ſunt formaliter niſi vna atque indiuiſibilis Diuinæ eſſentiæ perfectio, quæ hoc tantùm ſenſu dicitur virtute multiplex, quòd multis æquiualeat, idemque præſtet quod multa; eo modo, quem toties iam explicui. At

Inſt. 8. Attributum vnum, à parte rei, in Deo, eſt magis idem cum ſeipſo, quàm cum alio: ergo ſic habet diſtinctionem ab alio. ℞. Idem diſtingui tantùm poteſt à ſeipſo *ratione ratiocinante*; ab alio autem diſtinguitur *ratione ratiocinatâ* & virtualiter, ſicque eſt magis idem cum ſeipſo, quàm cum alio.

Inſt. 9. Volitio creandi Mundi, aliijona

attributa Diuina, nempe vt implicitum & expſicitum; ne differrent quidem ratione; quomodo ne ratione quidem differunt definitio & definitum, putà Animal rationale & Homo, ſed tantùm differunt vt conceptus cõfuſus & diſtinctus, &c. *N. parit.* Quia implicitum illud in Deo dicit aliquam virtualitatem, quam non dicit conceptus obiectiuus explicitus. At Homo nihil dicit præter animal rationale.

Inſt. 3. Proprium eſt duntaxat graduum ſuperiorum, vt includantur eſſentialiter in inferioribus; quomodo Ens aut ſubſtantia, aut animal includuntur in Homine. ℞. Rationes ſingulares poſſe in ipſis etiam creatis eſſe tranſcendentaliter communes; quomodo vis intellectiua communis eſt apprehenſioni, iudicio, ratiocinationi, & memoriæ.

Inſt. 4. Eam ſolùm ob cauſam diuerſi gradus perfectionis in rebus creatis differunt, non ſolùm *purè virtualiter*, ſed etiam *formaliter*, quòd dicantur de illis prædicata contradictoria, vt de animali & de rationali: ergo, à pari, erit idem ſentiendum de attributis Diuinis. *N. paritat.* Quia in creatis, ex naturâ rei, ſunt iſtæ perfectiones diuerſæ; nec vna eſt de eſſentiâ alterius, etiam implicitè. Quare non ſunt vnica ſimplex formalitas ſeu perfectio multis æquiualens: quod reperire eſt in Deo, ex naturâ infinitatis ipſi propriæ & eſſentialis.

Inſt. 5. Eſſentia eſt radix attributorum, quæ ad eam veluti conſequuntur: ergo non eſt de illorum eſſentiâ, aut viciſſim. *Diſt Ant.* Eſſentia eſt radix attrib. ſecundùm noſtrum concipiendi modum. *Tr.* At ſecundùm rem attributa non ſunt minùs Dei eſſentia, quàm natura ipſa.

Inſt. 6. Deberet ergo prædicari, non ſolùm in ſenſu identico, ſed etiam formali, intellectus de voluntate, aut miſericordia de iuſtitiâ, ſi pertinet ad conſtitutiuum illius formale: neque enim aliam ob cauſam animal aut rationale prædicantur formaliter de Homine. Ṅ. *parit.* Quia dum concipitur aut nominatur v.g. intellectus, aut miſericordia, ſignificantur explicitæ & propriæ illarum rationes ſeu virtualitates, quæ de ſe inuicem prædicari non poſſunt, quia virtute diſtinguuntur inter ſe: nec dicuntur eadem formalitas, niſi implicitè; quatenus ſecundùm rem & implicitè ſunt formaliter ipſa Diuina eſſentia; quæ Diuina eſſentia idem eſt formaliter ac ſua eiuſmodi aut ſapientia, aut bonitas, aut intellectus, aut voluntas; &c. Nec alio modo iſta diſtinguuntur virtualiter in Deo, quàm quia Diuinitas ipſa vt æquiualens v. g. intellectui, non eſt æquiualens voluntati, &c.

Inſt. 7. Illa virtualitatum pluralitas perinde obſtaret infinitati Diuinæ, ac formalitatum diuerſitas, ſi in eo ſupponeretur. ℞. Ṅ. *parit.* Quia illæ omnes virtualitates non ſunt formaliter niſi vna atque indiuiſibilis Diuinæ eſſentiæ perfectio, quæ hoc tantùm ſenſu dicitur virtute multiplex, quòd multis æquiualeat, idemque præſtet quod multa; eo modo, quem toties iam explicui. At

Inſt. 8. Attributum vnum, à parte rei, in Deo, eſt magis idem cum ſeipſo, quàm cum alio: ergo ſic habet diſtinctionem ab alio. ℞. Idem diſtingui tantùm poteſt à ſeipſo *ratione ratiocinante*; ab alio autem diſtinguitur *ratione ratiocinatâ* & virtualiter, ſicque eſt magis idem cum ſeipſo, quàm cum alio.

Inſt. 9. Volitio creandi Mundi, aliijque

ſimiles actus liberi potuerunt non eſſe in Deo ; ergo aliquid eſſentiale Deo, potuiſſet non eſſe in illo ; ſi, de facto, quicquid eſt in Deo, ſaltem abſolute, eſt illi formaliter eſſentiale. Atqui repugnat rem eſſe poſſe abſque attributis ſibi eſſentialibus, &c. ℞. Semper illa eſſe, & quidem neceſſariò, in Deo, ſecundùm illud intrinſecum, quod dicunt in Deo ; quemadmodum ſequenti cap. explicabitur.

Obijc. 3. Sequeretur quoque Diuinam eſſentiam eſſe & de conceptu formali conſtitutiuo perfectionum relatiuarum, qualis eſt Paternitas : quod etiam non negat D. Th. 1. p. q. 33. a. 3. ad 1. ſcribens *communia in Deo eſſe de conceptu propriorum eiuſmodi.* Nam, quod ipſi diximus, quicquid eſt in Deo, Deus eſt ; illaque Paternitas v. g. cùm ſit ens increatum, neceſſe eſt, vt de ipſius eſſentiâ ſit Deitas, perinde ac eſſentialis eſt quibuſlibet alijs perfectionibus, ex eo quòd ſint ens Diuinum & increatum. Atqui repugnat iſtud : quod enim eſt abſolutum, vt natura Diuina, non poteſt eſſe formale conſtitutiuum relatiui, & conſequenter ſibi oppoſiti ; deſtrueret enim ipſius eſſe relatiuum ; quo pacto Relatio deſtrueret eſſe abſolutum in ratione abſoluti, ſi foret illi eſſentialis formaliter. ℞. *Nego parit.* Nam iſta Relatio, eſt *modus ſe habendi* quidam, cuius hæc præcipuè natura eſt, vt rem modificatam includat eſſentialiter, nec ab eâ præſcindat, quamuis illa res modificata præſcindat ab illo *ſe habendi modo.* Sic aiunt Figuram eſſe modificationem quandam corporis quanti, in eo poſitam, quòd ratione illius habeat partes ita diſpoſitas. Et verò, ſic *habens partes diſpoſitas*, poteſt præſcindere ab illâ modificatione, & ſine illâ

concipi. At partium modificatio ſeu diſpoſitio, concipi non poteſt ſine partibus; ac proinde corpus quantum, putà Cera, illi configurationi eſt eſſentialis; quamuis non è contrà. Quâ etiam ratione eſt eſſentiale accidenti in communi *eſſe in* ſubiecto, quod tamen *eſſe in* non deſtruit *eſſe ad* in Accidente relatiuo; cui eſſentiale eſt *eſſe in*, quamuis *eſſe ad* præſcindat à ratione accidentis, quod hoc pacto modificat.

Inſt. 1. Sic Filiatio v. g. non eſſet relatiua, quia eſſentia non eſt relatiua. N. *Conſ.* Quia licet non ſit relatiua, quatenus includit eſſentiam, eſt tamen relatiua ſecundùm propriam rationem.

Inſt. 2. Relatio in Diuinis, qualis eſt Filiatio, determinat ipſam naturam Diuinam, & cum eâ veluti conſtituit Perſonam; vt poſteà explicabitur. Ergo, ſi natura Diuina eſt eiuſmodi Filiationi eſſentialis, eſtque ipſa formaliter Filiatio, idem formaliter ſeipſum determinaret, eſſetque ſui-ipſius conſtitutiuum; eſſetque idem determinabile ac ratio determinatiua: quæ certè opponuntur & repugnant. R. Illud eſſe verum in conſtitutione ac determinatione rei compoſitæ: at in conſtitutione rei ſimplicis, qualis eſt Perſona Diuina, idem diuerſo modo ſumptum, nempe vt modificatum, ſeu inadæquatè ſumptum per modum formæ alicuius, intelligitur ſeſe abſolutè ſeu ſimpliciter ſumptum contrahere, ac ſeſe velut totum conſtituere, per ſimplicem & adæquatam identitatem. Quo pacto, Filiatio, cui dicitur æquiualere natura Diuina, determinat illam naturam, ipſi veluti addens reſpectum ad terminum, quem non dicit natura vt natura. Ita, per propon-

sionem, inquit Florauantius cum Suare & aliis, Ens intelligitur conſtitui in ratione Subſtantiæ per *modum eſſendi per ſe*, qui tamen aliud nihil eſt, quàm ipſum Ens tali modo exiſtens, ſine vllâ diſtinctione formali modi illius ab Ente, cùm ſit formaliter Ens.

Inſt. 3. Eſſentia ſeu natura eſt communicabilis & improducibilis; Filiatio autem v.g. eſt incommunicabilis & producta. Ergo eſſentia non eſt idem formaliter ac Filiatio aut de eius eſſentiâ. ℞. Produci tantùm modificationem, re modificatâ improductâ; quemadmodum per proportionem, producitur figura, improductâ cerâ, quæ per figuram modificatur, &c.

Obiic. 4. Perinde, eaſdem ob cauſas, perfectiones illæ relatiuæ deberent eſſe viciſſim de eſſentiâ naturæ Diuinæ, & idem formaliter cum ipsâ: atqui falſum eſt iſtud. Nam quod eſt de eſſentiâ, Perſonis omnibus conuenit; at Paternitas v. g. non conuenit niſi Patri; nec Filiatio, niſi Filio, &c. Deinde, Relationes illæ ſingulæ, conſequenter, non tam latè patent ac perfectiones abſolutæ: item, producuntur non productâ naturâ: item, ſeſe ab inuicem excludũt; quæ enim Perſona eſt Pater, non habet Filiationem, &c. ℞. Verã eſſe hanc Minorem; Rectéque iſta argumenta probant talem eſſe proprietatem Relationum huiuſmodi, vt propterea non ſint de eſſentiâ naturæ Diuinæ, perinde ac attributa communia. *Conf.* Quia attributa communia ſunt perfectiones neceſſariæ ad conſtituendam Naturæ Diuinæ ſummam perfectionem; Relationes autem non conſtituunt niſi Perſonas, nec ſunt niſi tanquam Modi Naturæ ipſius.

Inſt. Relationes illæ, ſecundùm quas Deus eſt Trinus, non ſunt ipſi Deo accidentales. C.

Ergo ſunt eſſentiales. *N. Conf.* Sunt enim velut ſubſtantiales modi, quibus Deus conſtituatur Perſonaliter *Trinus*, qui eſſentialiter eſt *vnus*; atque hac ſolùm ratione ad eſſentiam attinent perfectiones illæ relatiuæ & Perſonales, quòd de ſe & veluti ex principio ſibi eſſentiali illas exigat Deus.

Obijc. 5. Ideo perfectiones abſolutæ non diſtinguuntur formaliter à naturâ, quia ſunt de illius eſſentiâ: ergo Relationes Diuinæ diſtinguentur ſaltem formaliter à naturâ, quia non ſunt de eius eſſentiâ: ergo facient aliquam compoſitionem in Deo, ſaltem Metaphyſicam; quod dicebamus repugnare ſummæ illius ſimplicitati. ℟. *Ad Maiorem*. Cum Suare & Florauantio *lib. 2. de Diuinis Relat.* Non aliam ob cauſam, quàm propter infinitatem ſibi propriã, habere naturam Diuinam, vt ſit modo infinitè perfecto ſimplex; & illas etiam perfectiones identificet ſibi formaliter; nec diſtinguantur niſi virtualiter & ratione ratiocinatâ. Quamobrem non repugnat in Deo, quod ſimul ſit Ens abſolutum & reſpectiuum; communicabile & incommunicabile, prout æquiualet omnibus illis formalitatibus cum virtuali diſtinctione.

NOTANDVMQVE eſt tandem, quomodo, hac ſolùm ratione ſuperet ſimplicitatem omnem Entis creati; non modò, quòd, ex doctrinâ Fidei, excludat compoſitionem omnem realem; ſed etiam & formalem omnem: tum ſufficere diſtinctionem virtualem, quam explicuimus, ad tollendum illud omne genus contradictionis, quod ſupponunt Aduerſarij.

tionem, inquit Florauantius cum Suare & aliis, Ens intelligitur conſtitui in ratione Subſtantiæ per *modum eſſendi per ſe*, qui tamen aliud nihil eſt, quam ipſum Ens tali modo exiſtens, ſine vllâ diſtinctione formali modi illius ab Ente, cùm ſit formaliter Ens.

Inſt. 3. Eſſentia ſeu natura eſt communicabilis & improducibilis; Filiatio autem v. g. eſt incommunicabilis & producta. Ergò eſſentia non eſt idem formaliter ac Filiatio aut de eius eſſentiâ. ℟. Produci tantùm modificationem, re modificatâ improductâ; quemadmodum per proportionem, producitur figura, improductâ cerâ, quæ per figuram modificatur, &c.

Obijc. 4. Perinde, eaſdem ob cauſas, perfectiones illæ relatiuæ deberent eſſe viciſſim de eſſentiâ naturæ Diuinæ, & idem formaliter cum ipsâ: atqui falſum eſt iſtud. Nam quod eſt de eſſentiâ, Perſonis omnibus conuenit; at Paternitas v. g. non conuenit niſi Patri; nec Filiatio, niſi Filio, &c. Deinde, Relationes illæ ſingulæ, conſequenter, non tam latè patent ac perfectiones abſolutæ: item, producuntur non productâ naturâ: item, ſeſe ab inuicem excludũt; quæ enim Perſona eſt Pater, non habet Filiationem, &c. ℟. Verã eſſe hanc Minorem; Rectéque iſta argumenta probant talem eſſe proprietatem Relationum huiuſmodi, vt propterea non ſint de eſſentiâ naturæ Diuinæ, perinde ac attributa communia. *Conf.* Quia attributa communia ſunt perfectiones neceſſariæ ad conſtituendam Naturæ Diuinæ ſummam perfectionem; Relationes autem non conſtituunt niſi Perſonas, nec ſunt niſi tamquam Modi Naturæ ipſius.

Inſt. Relationes illæ, ſecundùm quas Deus Trinus, non ſunt ipſi Deo accidentales. C.

Ergo ſunt eſſentiales. N. *Conf.* Sunt enim velut ſubſtantiales modi, quibus Deus conſtituatur Perſonaliter *Trinus*, qui eſſentialiter eſt *vnus*; atque hac ſolùm ratione ad eſſentiam attinent perfectiones illæ relatiuæ & Perſonales, quòd de ſe & veluti ex principio ſibi eſſentiali illas exigat Deus.

Obijc. 5. Ideo perfectiones abſolutæ non diſtinguuntur formaliter à naturâ, quia ſunt de illius eſſentiâ: ergo Relationes Diuinæ diſtinguentur ſaltem formaliter à naturâ, quia non ſunt de eius eſſentiâ: ergo facient aliquam compoſitionem in Deo, ſaltem Metaphyſicam; quod dicebamus repugnare ſummæ illius ſimplicitati. R. *Ad Maiorem.* Cum Suare & Flo-rauantio *lib. 2. de Diuinis Relat.* Non aliam ob cauſam, quàm propter infinitatem ſibi propriã, habere naturam Diuinam, vt ſit modo infinitè perfecto ſimplex; & illas etiam perfectiones identificet ſibi formaliter; nec diſtinguantur niſi virtualiter & ratione ratiocinatâ. Quamobrem non repugnat in Deo, quod ſimul ſit Ens abſolutum & reſpectiuum; communicabile & incommunicabile, prout æquiualet omnibus illis formalitatibus cum virtuali diſtinctione.

NOTANDVMQVE eſt tandem, quomodo, hac ſolùm ratione ſuperet ſimplicitatem omnem Entis creati; non modò, quòd, ex doctrinâ Fidei, excludat compoſitionem omnem realem; ſed etiam & formalem omnem: tum ſufficere diſtinctionem virtualem, quam explicuimus, ad tollendum illud omne genus contradictionis, quod ſupponunt Aduerſarij.

tionem, inquit Florauantius cum Suare & alijs, Ens intelligitur constitui in ratione Subſtantiæ per *modum eſſendi per ſe*, qui tamen aliud nihil eſt, quàm ipſum Ens tali modo exiſtens, ſine vllâ diſtinctione formali modi illius ab Ente, cùm ſit formaliter Ens.

Inſt. 3. Eſſentia ſeu natura eſt communicabilis & improducibilis; Filiatio autem v.g. eſt incommunicabilis & producta. Ergo eſſentia non eſt idem formaliter ac Filiatio aut de eius eſſentiâ. ℞. Produci tantùm modificationem, re modificatâ improductâ; quemadmodum per proportionem, producitur figura, improductâ cerâ, quæ per figuram modificatur, &c.

Obijc. 4. Perinde, eaſdem ob cauſas, perfectiones illæ relatiuæ deberent eſſe viciſſim de eſſentiâ naturæ Diuinæ, & idem formaliter cum ipſâ: atqui falſum eſt iſtud. Nam quod eſt de eſſentiâ, Perſonis omnibus conuenit; at Paternitas v. g. non conuenit niſi Patri; nec Filiatio, niſi Filio, &c. Deinde, Relationes illæ ſingulæ, conſequenter, non tam latè patent ac perfectiones abſolutæ: item, producuntur non productâ naturâ: item, ſeſe ab inuicem excludũt; quæ enim Perſona eſt Pater, non habet Filiationem, &c. ℞. Verã eſſe hanc Minorem; Rectéque iſta argumenta probant talem eſſe proprietatem Relationum huiuſmodi, vt propterea non ſint de eſſentiâ naturæ Diuinæ, perinde ac attributa communia. *Conf.* Quia attributa communia ſunt perfectiones neceſſariæ ad conſtituendam Naturæ Diuinæ ſummam perfectionem; Relationes autem non conſtituunt niſi Perſonas, nec ſunt niſi tanquam Modi Naturæ ipſius.

Inſt. Relationes illæ, ſecundùm quas Deus eſt Trinus, non ſunt ipſi Deo accidentales. C.

Ergo ſunt eſſentiales. *N. Conf.* Sunt enim velut ſubſtantiales modi, quibus Deus conſtituatur Perſonaliter *Trinus*. qui eſſentialiter eſt *vnus*; atque hac ſolùm ratione ad eſſentiam attinent perfectiones illæ relatiuæ & Perſonales, quòd de ſe & veluti ex principio ſibi eſſentiali illas exigat Deus.

Obijc. 5. Ideo perfectiones abſolutæ non diſtinguuntur formaliter à naturâ, quia ſunt de illius eſſentiâ: ergo Relationes Diuinæ diſtinguentur ſaltem formaliter à naturâ, quia non ſunt de eius eſſentiâ: ergo facient aliquam compoſitionem in Deo, ſaltem Metaphyſicam; quod dicebamus repugnare ſummæ illius ſimplicitati. ℟. *Ad Maiorem.* Cum Suare & Flo- rauantio *lib. 2. de Diuinis Relat.* Non aliam ob cauſam, quàm propter infinitatem ſibi propriã, habere naturam Diuinam, vt ſit modo infinitè perfecto ſimplex; & illas etiam perfectiones identificet ſibi formaliter; nec diſtinguantur niſi virtualiter & ratione ratiocinatâ. Quamobrem non repugnat in Deo, quod ſimul ſit Ens abſolutum & reſpectiuum; communicabile & incommunicabile, prout æquiualet omnibus illis formalitatibus cum virtuali diſtinctione.

NOTANDVMQVE eſt tandem, quomodo, hac ſolùm ratione ſuperet ſimplicitatem omnem Entis creati; non modò, quòd, ex doctrinâ Fidei, excludat compoſitionem omnem realem; ſed etiam & formalem omnem: tum ſufficere diſtinctionem virtualem, quam explicuimus, ad tollendum illud omne genus contradictionis, quod ſupponunt Aduerſarij.

CAPVT IV.

Diuerſitas perfectionum in Deo, cum proprijs eſſendi modis, ſeu Infinitate & Immutabilitate.

PERFECTVM illud ineſt, cui ſecundùm exigentiam naturæ & ſtatus ſui, nihil deeſt. At perfectio eſt id quod rei conuenit ad eius complementum

DICO autem I. Ex perfectionibus Diuinis, aliæ veluti ſequuntur Naturam, & ſunt communes Tribus Perſonis; vt bonitas, ſapientia, &c. aliæ ſunt perſonales, quæ ſingularum Perſonarum ſunt propriæ; ita proprium eſt Perſonæ Patris *generare, & eſſe improductum*. Secundæ Perſonæ proprium eſt *generari*. &c.

Ex communibus perfectionibus, aliæ dicuntur *ſimplices & formales*; aliæ *eminentiales*. Simplices prædicantur formaliter de Deo. Verùm, ex iſtis aliæ dicuntur *ſimpliciter ſimplices*, aliæ *ſimplices ſecundùm quid*. Simpliciter ſimplices prædicantur neceſſariò de Deo; vt eſſe bonum, ſapientem, &c. Item, perfectio ſimpliciter ſimplex melior eſt ipſa quàm non ipſa, reſpectu Entis vt ſic; nec excludit aliam perfectionem maiorem, ſed tantùm inferiorem. Ita perfectio incorporeitatis, ſeu ſpiritualitatis, melior eſt Enti vt ſic, quam corporeitas; nec à Deo excludit niſi corporeitatem. Perfectio ſimplex ſecundùm quid, vt aiunt, prædicatur tantùm contingenter de Deo, nec melior eſt quàm oppoſita, v. g. volitio libera creandi Mundum.

Mundum. Hæc enim dicitur contingens in Deo, ratione ſaltem extrinſeci termini, nec in eo maiorem dicit perfectionem, quàm nolitio creandi Mundi. Ita etiam Paternitas v. g. diceretur ſimplex perfectio, quia non eſt melior Filiatione ſibi oppoſitâ.

Perfectio eminentialis, eſt perfectio creaturæ, quæ continetur in Deo, non quidem formaliter, & ſecundùm *eſſe* proprium: nec formaliter prædicatur de Deo; vt *eſſe Lapidis*, ſed tantùm in eo eſt vt in causâ efficiente, virtualiter & eminenter, id eſt, eminentiori modo. Nam inquit D. Ioannes, *quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Quia ſcilicet creaturæ in DEO, ſunt ipſum *eſſe* Dei increatum, ipſáque Dei vita, &c.

NOTANDVMQVE eſt, perfectiones ſimpliciter ſimplices vocari etiam Dei attributa; & concipiuntur à nobis veluti proprietates quædam ipſius naturæ Diuinæ, ipſique adiacentes. Quare Dei attributum propriè ſic definitur; Eſt perfectio communis Tribus Perſonis, quæ in ſenſu formali & neceſſario prædicatur de Deo. Cuiuſmodi ſunt æternitas, immenſitas, ſcientia, omnipotentia, bonitas & prouidentia. At

NOT. 2. Infinitatem & Immutabilitatem, etſi appellentur Diuinæ perfectiones, eſſe tamen potiùs ipſarum modos eſſentiales.

DICO enim II. Infinitas ſimpliciter & categorematicè ſic Dei propria eſt, vt ne abſolutè quidem creari poſſit ens infinitum. Quemadmodum probatur in Phyſicâ Vniuerſali. Vnde concludimus ſolum Deum eſſe infinitum, ſolum æternum, ſolumque immenſum, ſolum altiſſimum, ſolum optimum, ſolum realiter independentem, tam ad intrà, quàm ad

extrà, vt obſeruaui in Diſput. de Relatiuis. Quomodo etiam ſolus habet autarkiam, id eſt, ſibi ſolus eſt ſufficiens; ſolus abſolutè & eſſentialiter Dominus, ſolus omnipotens, ſolus creator; ſolus ex naturâ ſuâ & eſſentialiter ſanctus; ſolus ſupra omnia amabilis, id eſt, amore appretiatiuè ſummo; ſolus ex naturâ ſuâ beatus; cùm ſolus ex naturâ ſuâ habeat quicquid requiritur ad perfectam beatitudinem: nec Angelus aut Homo poſſint eſſe, niſi eius poſſeſſione & fruitione beati; ſoluſque ſit rerum omnium finis vltimus: quæ ſingula ſuis locis expoſui, ſuppoſitâ illâ infinitate Dei propriâ.

DICO III. Immutabilitas intrinſeca, ſimpliciter loquendo, eſt etiam Dei propria, & modus eſſendi proprius, perinde ac infinitas. *Prob.* Malach. 3. *Ego*, inquit, *Deus*, *& non mutor.* Iacob. 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio*, *nec viciſſitudinis obumbratio.* Ratio eſt, quia mutari intrinſecè, eſt acquirere aut deperdere aliquam perfectionem: Quod Deo contingere non poteſt: quicquid enim in ſe habet, vel habere poteſt, habet actu per ſuam eſſentiam, aut ſaltem cum eſſentiâ identificatum indiuiſibiliter. Ergo deberet mutari ſecundùm eſſentiam; nec tolli quidquam ab eo poſſet, niſi ipſo penitus ſublato: quod implicat; cùm ſit eſſentialiter exiſtens. Item, vt iam monui, nulla ipſi noua poteſt accedere perfectio; cùm poſſibilem omnem in ſe contineat. *Conf.* Quia mutari non poteſt, primò quoad exiſtentiam, illam acquirendo, vel perdendò; cùm nullam habeat cauſam ſuperiorem, à quâ aut produci aut deſtrui queat: nec 2. quoad locum, ſiquidem coëxiſtit omni loco poſſibili, ob immenſita-

tem; vti mox oſtendam: nec 3. quoad accidentia; cùm eorum ſit incapax; nihilque in Deo exiſtat, quod non ſit Deus: nec 4. quoad cognitionem; cùm habeat infinitè perfectam, reſque omnes poſſibiles ab æterno attingat inuariabiliter, vt in ſe ſunt, aut eſſe poſſunt, pro ſuâ temporis differentiâ: nec 5. quoad decreta voluntatis ſuæ, nihil enim vult, niſi ex perfectiſſimâ cognitione circunſtantiæ cuiuſcunque poſſibilis; vultque immutabiliter ab æterno & in æternum, quicquid vult.

Obijc. 1. In Sacris Literis legimus, Deum pœnitere, & mutare voluntatem puniendi. ℞. Voluntates eiuſmodi in Deo eſſe tantùm conditionales, vnde ſublatâ conditione requiſitâ ad inferendum effectum, dicitur mutari; quatenus non ponitur talis effectus. Item, cùm τὸ *pœnitere* propriè dicat tum intrinſecum dolorem, tum rei factæ deſtructionem; reperitur ſolùm in Deo ſecundùm extrinſecum hunc effectum, qui ab ipſo Deo erat decretus, tali poſitâ conditione.

Obijc. 2. Deus videt iam aliquid *exiſtens*, quod anteà videbat *futurum*: ergo ſic mutatur eius cognitio. *Diſt.* Mutatur tantùm ſecundùm extrinſecum, non autem intrinſecè. Nempe Deus, per ſcientiam æternam, rem eandem cognoſcit vt præſentem reſpectiuè ad tale tempus; & præteritam, aut futuram reſpectiuè etiam ad tale, vel tale tempus.

Obijc. 3. Cùm Deus ab æterno Mundum non creauerit, dicitur de non creante creans: quod non poteſt eſſe abſque mutatione in Deo. ℞. Eſſe ab æterno in Deo volitionem creandi Mundi pro tali virtuali æternitatis parte. Vbi autem vi talis volitionis Mundus creatur actu,

oritur denominatio creantis in Deo, factâ ſolùm mutatione ex parte ipſius Mundi tranſeuntis de non *eſſe* ad *eſſe*. Et verò, cauſans vt ſic, vel actuans, mutat quidem, ſed nõ idcirco mutatur. Vt, cùm dicitur Verbum Diuinum de nouo terminare, & actuare naturam humanam in Christo, illam ſibi vniendo hypoſtaticè, mutatio eſt ex parte naturæ humanæ: quo pacto, fit homo, cùm anteà non eſſet homo; nec tamen ſic mutatur, quia non fit homo ſecundùm eſſentiam, aut naturam, ſed tantùm hypoſtaticè, & terminatiuè, naturam humanam ſuſtentando, ſeu in eâ ſubſiſtendo; vt dicam cap. vltimo.

Inſt. 1. Ab æterno factus eſt liberè volens creare Mundum, cùm priùs ad id debuerit eſſe indifferens: alioqui non diceretur liberè ſeſe determinare, niſi ſupponeretur priùs fuiſſe indifferens: ergo tranſijt à ſtatu indifferentiæ, ad ſtatum illius determinatæ volitionis: quod eſt mutari. R. In æternis non eſſe prius, aut poſterius. Quare, nego præceſſiſſe talem indifferentiæ ſtatum: ideoque ſolùm dicitur Deus ita liberè voluiſſe creare Mundum, quòd, volens ab æterno, creare Mundum, poterat nolle; non quidem conſequenter, ſed antecedenter Quæ videre eſt in Morali. *Tract. 2. Diſp. 2. c. 3. ad Obiect. 2.*

NOTANDVMQVE eſt, antecedentiam illam non eſſe poſitiuam, aut phyſicam, ſed tantùm negatiuam vti quidem vulgò aiunt, quatenus antecedenter non fuit determinatus ad volendum. Quanquam dicitur quoque indifferentia illa eſſe prior ſecundùm rationem, id eſt, in priori *ſigno rationis*, cùm à nobis intelligitur Deus veluti nondum ſe determinans: at *ſecundùm rem* nulla eſt prioritas aut poſterioritas in hocce negotio.

Inſt. 2. Potuit non eſſe in Deo illa Mundi creandi volitio : potuit enim non velle creare Mundum ; ergo non eſt ſine mutatione : ſiquidem libera hæc volitio aliquid ſuperaddit actui neceſſario, quo ſeſe & creaturas poſſibiles vult, diligitque ; quippe idem aut re aut ratione eſſe non poſſunt, tum neceſſarium, tum contingens; Nam inde ſequeretur, idem formaliter *non poſſe non eſſe*, & ſimul *poſſe non eſſe*. Conf. 1. Quia denominatio liberè volentis in Deo, non poteſt eſſe ab actu neceſſario vt ſic : hîc enim exiſtere potuit ſecundùm omnem ſui perfectionem, ſine tali denominatione ; nec fieri poteſt, vt ille actus Dei neceſſarius, ſit formaliter v. g. nolitio creandi Mundi, quem potuit non creare; alioquin effectum hunc veluti formalem, & hanc denominationem tribueret Deo : ergo denominatio huiuſmodi, quam ſupponimus, debet eſſe ab aliquo alio ipſi intrinſecè ſuperaddito. *Conf.* 2. Quia non poteſt eſſe ab aliquo effectu extrinſeco, quem inferat : ergo tota eſt ab intrinſeco. *Prob. Ant.* 1. Quia libera volitio quæcunque in Deo, perinde ac in nobis, eſt actus vitalis & immanens. 2. libera Dei volitio, quà libera, eſt cauſa effectus & mutationis omnis extrinſecæ : ergo præſupponitur ad omnem effectum & mutationem illam. 3. Non omnis actus Dei liber cauſat mutationem in rebus ; vt ſimplex complacentia de ijs omnibus quæ ab ipſo facta ſunt ; alioquin hîc daretur proceſſus in infinitum : ergo inde peti non poteſt denominatio liberi. Quomodo nec peti poteſt ab aliquo reſpectu rationis, quem fingamus aduenire Deo : quia Deus liber eſt actu, ab æterno, ante omnem intellectus noſtri operationem ; ſupponiturque libera Dei volitio ad

omnem intellectus creati exiſtentiam.

Tota igitur eſt, inquit Caietanus, ab aliquo intrinſecè ad actum neceſſarium ſuperaddito: docet enim actum Dei liberum dicere, hoc pacto, aliquam rationem poſitiuam Deo intrinſecam, *& in exiſtendo cõtingentem.* Quod tamen in noſtris ſcholis non licet admittere. 1. Quia ſequeretur decretum huiuſmodi liberum eſſe aliquod accidens, cùm poſſet aut abeſſe aut adeſſe, remanente eâdem Dei ſubſtantiâ, cum omni complemento eſſentiali. 2. Quia ſic fieret in Deo realis compoſitio, adueniente nouâ id genus perfectione accidentali; quod repugnat ſummæ illius ſimplicitati. 3. Quia ſic fieret Deus aut perfectior, aut imperfectior, conſequenter ad actus eiuſmodi liberos vel plures, vel pauciores. 4. Quia diceretur eſſe in eo aliquid, quod non foret Deus; ſiquidem illud non poteſt eſſe Deus, quod exiſtit ſolùm contingenter, &c.

Reſpondeo igitur cum diſtinctione: potuit non eſſe in Deo illa Mundi creandi libera volitio, ſecundùm intrinſecum, ſeu ratione intrinſeci quod dicit in Deo. *N.* Potuit non eſſe ratione terminationis ad creaturam, ſiue illam inferendo, ſiue in illâ ſibi tantùm complacendo, & fundando reſpectum, ſaltem rationis, ad ipſum, *C.*

NOTABIS enim 1. Volitionem Dei liberam non conſtitui quidem aut compleri per aliquid extrinſecum, ſed totaliter eſſe in Deo; nihil, ne ratione quidem diſtinctum ſuperaddendo ad volitionem & amorem neceſſarium, quo terminatur neceſſariò, ſiue ad Diuinam ipſam eſſentiam, ſiue ad creaturas; nec proinde eſſe, niſi ipſammet Dei volitionem neceſſariam,

quatenus de ſe indifferens eſt, vt terminetur vel non terminetur ad creaturas ; ſicque eſt libera volitio, v. g. creandi Mundi, per entitatem volitionis neceſſariæ, ſeu amoris neceſſarij, provt vi ſuâ infert Mundum ad extrà, quem potuit non inferre. Quamóbrem, idem actus Dei eſt neceſſarius *quoad eſſe*, & liber duntaxat, *quoad terminationem*.

Notandvmqve eſt 2. Voluntati creatæ ineſſe quidem eam perfectionem, vt, pro nutu ſuo, terminetur ad ſua obiecta, huic vel illi adhærendo, vel neutrum ſequendo, &c. at hoc non præſtat, niſi per actus diſtinctos à ſe vitaliter elicitos. Deus autem, pro ſuâ infinitâ perfectione, habet ſecundùm ipſammet eſſentiam immediatè, quicquid ad omnem volendi actualitatem neceſſarium eſt, cum æquiualentiâ ad infinitas volitiones aut nolitiones realiter diſtinctas. Quare, illa non eſt libertas potentialis, ſeu per modum potentiæ in ordine ad eliciendos actus internos, qualis eſt noſtra, ſed eſt per modum actus puriſſimi, & in ordine ſolùm ad obiecta ; ſufficitque, vt iſtiuſmodi volitio Dei infinita terminetur ad obiectum, ad quod poterat non terminari, fundando reſpectum ad ipſum obiectum ; quo pacto, per proportionem, ſcientia Dei infinita, ſine vllâ ſui mutatione, conſequenter ad decretum de rerum creatione, dicitur libera, quatenus ad earum exiſtentiam terminatur, cùm ad eam potuiſſet non terminari.

Inſt. 3. Si totaliter & ratione intrinſeci f[illegible] neceſſariò in Deo libera illa volitio, pe[illegible] in eo foret ſimul & ea, quæ potuit exiſter[illegible] Mundi creandi *Nolitio* ; atque ita ſimul [illegible]minaret Deum *nolentem creare Mundum*,

repugnat. *Prob. ſeq.* Nam forma, aut quaſi forma, abſoluta ſaltem, in aliquo exiſtens, illi communicat neceſſariò effectum formalem ſuum & propriam denominationem, independenter à quocunque extrinſeco. ℞. Eſſe veluti formam *connotatiuam*, nec habere ſuam denominationem, niſi prout terminatur ad obiectum, fundando reſpectum rationis, &c.

Inſt. 4. Volitio illa creandi Mundi eſt intrinſecè libera; ergo & intrinſecè indifferens ſeu contingens, ita vt intrinſecè, & quatenus eſt actus vitalis in Deo, poſſit non exiſtere. ℞. Illum veluti actum vitalem virtualiter diſtinctum, eſſe quidem neceſſariò in Deo ſecundùm entitatem, quod non impedit, quominus ſit ab intrinſecò, ſeu veluti ex principijs intrinſecis indifferens ſecundùm extrinſecum, ſeu ratione terminationis ad aliud; vnde poſſit ad illud aut terminari, aut non terminari.

CAPVT V.

Dei Æternitas.

ÆTERNITAS ſimpliciter ſumpta, eſt duratio ſine principio & fine.

DICO autem I. Deum, cùm ſit ens improductum, eſſe conſequenter abſque initio ſui; alioqui tranſijſſet à nihilo ſui, ad eſſe ſui; quod implicat; hoc enim fieri non poteſt niſi per actionem ipſius productiuam: atqui nulla eſt cauſa Dei productiua; cùm ipſe ſit prima cauſa.

Item, cùm habeat exiſtentiam ſibi eſſentia-

lem, ac prorſus independentem, interire non poteſt. Eſt igitur Deus ab æterno, id eſt, *in principio*, quomodo eſt & *nunc & ſemper*, ſeu in perpetuas æternitates; ideoque dicitur *Rex ſæculorum*, *ſoluſque* abſolutè *immortalis*. Etſi enim Angeli & Anima rationalis, ex naturâ ſuâ, ſint immortales; quia tamen in ſuo *eſſe* dependent à liberâ Dei voluntate, poſſent abſolutè annihilari per ſubtractionem concurſus conſeruatiui; Deus autem, cùm ſit independens, non poteſt non exiſtere. At præterea

NOT. 1. Deum ſic durare immutabiliter per totam æternitatem; cùm omnem ſuam perfectionem, cognitionem, volitionem, gaudium, beatitudinem, ab æterno & in æternum, eandem indiuiſibiliter teneat. Quamobrem Diuinæ æternitas, à Boëtio *lib.* 3. *De Conſol.* ſic definitur. Eſt vitæ interminabilis tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. Quo loco poſſidere vitam, aliud nihil eſt, quàm habere vitam & τὸ eſſe. Sed

NOT. 2. Ex ijs, quæ habent *eſſe*, alia poſſidere illud *eſſe* duntaxat ſucceſſiuè, ſeu per partes poſt partes; vt Entia omnia ſucceſſiua. Permanentia autem habent *eſſe* ſuum totum ſimul, putà Angelus, homo, lapis. Item, ex eo quòd Angelus v. g. habeat *eſſe* ſuum totum ſimul, non ideo vitam, id eſt, operationes vitales habet omnes ſimul; cùm ſubinde nouas, & nouas exerceat, aut exercere poſſit. At Deus non habet cognitiones, & volitiones alias & alias; aut alias poſt alias; ſed potiùs, quam modò habet aut habiturus eſt vnquam, eam habet ab æterno: ergo ſic habet *eſſe*, & vitam ſuam totam ſimul. Item, illa vita, & operationes vitales, cùm ſemper eadem ſint abſque

ſui initio & fine, dicuntur *vita interminabilis*, id eſt, ſine terminis. Item, cùm illa vitæ interminabilis poſſeſſio ſit imparticipata, & ab alio independens; ſiquidem DEUS ipſe eſt ſua vita & ſua operatio vitalis, ideo vocatur à Boëtio *perfecta poſſeſſio*.

NOT. 3. Illam æternitatem ſic eſſe DEI propriam, vt creaturæ communicari non poſſit; quod demonſtratur in Phyſicâ Vniu. *Diſp. de Duratione*.

NOTANDVM prætereà eſt 4. Quòd, etſi Diuina æternitas dicatur eſſe formaliter indiuiſibilis, ſeu tota ſimul, ſecundùm phyſicam & realem entitatem; quia nõ poſſidet *eſſe* & vitam per partes, id eſt, per partium & actuũ vitalium ſucceſſionem; non dicitur tamen tota ſimul ſecundùm extenſionem virtualem quam habet, æquiualendo ſcilicet durationi ſucceſſiuæ, illique, ſeruatá ſuâ immutabilitate, coëxiſtendo: quâ ratione, dicitur habere partes virtuales duratonis virtualiter extenſæ. Item, ſic ratione formalis illius indiuiſibilitatis, dicitur quidem eſſe *inſtans* quoddã; docetque D. Thomas, omnia ſe habere ad illud, ſicut ſe habent diuerſæ partes circunferentiæ ad centrum, cui coëxiſtunt omnes, quanuís diſtent ab inuicem; ſed tamen non eodem modo; quia Circuli partes coëxiſtunt centro permanenter; res verò temporaneæ cum DEI æternitate non coëxiſtunt, niſi ſucceſſiuè; quæ nihilominus formalis ſucceſſio ſe teneat tantum ex parte rei creatæ. Item, nihil quidem eſt præteritum aut futurum reſpectu æternitatis Diuinæ adæquatè ſumptæ ſecundùm virtualem illam extenſionem; vel ſi lubet, ſecundùm illud *nunc* virtualis ſucceſſionis æternæ, eoque ſenſu debent accipi SS. Patres, cùm aiunt res non

eſſe Deo futuras aut præteritas : hoc tamen non impedit, quominus dicantur aut præteritæ, reſpectu æternitatis Diuinæ poſt illas perſiſtentis ſecundùm alias partes virtualis ſuæ durationis extenſiuæ; aut futuræ, reſpectu eiuſdem æternitatis anteà exiſtentis. Quare, licet creaturæ, quando exiſtunt, coëxiſtant æternitati Diuinæ, quæ, in ſe, & ſecundùm phyſicam entitatem, vt dixi, eſt tota ſimul & formaliter indiuiſibilis; non ſequitur tamen illi coëxiſtere adæquatè ſecundùm totam ipſius virtualem extenſionem veluti ſucceſſiuam, ac proinde illi eſſe realiter præſentes ab æterno & pro æterno: quod volunt recentiores Thomiſtæ; ſed tantùm ſequitur eſſe illi ab æterno præſentes inadæquatè, ſeu pro eâ tẽporis differentiâ, in quâ exiſtunt. *Prob.* Quia, quod nondum in ſe realiter exiſtit, alio exiſtente, non poteſt illi coëxiſtere, ſeu realiter eſſe illi præſens: quo pacto, Anti-Chriſtus nondum exiſtens realiter, non poteſt coëxiſtere huic horæ, & huic loco adeſſe realiter præſens. Ergo exiſtente Deo ab æterno, cùm pro illâ æternitate non exiſtat realiter creatura, non poteſt illi eſſe realiter præſens ab æterno. Neque verò illud ſuſtineri poteſt, ex eo quòd Dei æternitas ſit formaliter ſecundùm ſuam entitatem indiuiſibilis; nam perinde poſſet dici creatura quælibet eſſe vbique, & toti coëxiſtere immenſitati Diuinæ; quia Deus, perinde per proportionem, totus vbique eſt indiuiſibiliter. Item, cùm Æuum Angeli ſit quoque realiter ac phyſicè indiuiſibile, ſequeretur res modò exiſtentes, illi pariter eſſe realiter præſentes ab ortu Mundi; quod euidenter falſum eſt. Item, cùm Anti-Chriſti *non eſſe* in aliquâ temporis differentiâ ſit præſens Diuinæ æternitati, ſequeretur coëxiſtere

illud DEO ab æterno ; & ſic DEO ab æterno Anti-Chriſtus ſimul coëxiſteret & non coëxiſteret : quod implicat contradictionem.

Obijc. Ex D. Th. Dei æternitatem complecti omnes temporum poſſibilium differentias. ℞. Loquitur de Æternitate ſumptâ adæquatè ſecundùm virtualem eius extenſionem.

Inſt. 1. p. q. 14. a. 9. & 13. Deus ab æterno habet cognitionem intuitiuam futurorum omnium , etiam contingentium : ergo ſunt illi realiter præſentia in æternitate. Quia cognitio intuitiua eſt rei præſentis , prout præſens eſt , & ſecundùm propriam exiſtentiam. *C. Totum.* Nam ℞. ad hoc ſufficere, vt DIVINA cognitio, pro infinitâ ſuâ perfectione , attingat res in ſuâ temporis differentiâ præſentes alicui virtuali æternitatis parti , nec tamen , ſicut intuitio eſt æterna , ſic & rerum temporanearum exiſtentia debet eſſe æterna.

CAPVT VI.

Dei Immenſitas.

CERTVM eſt DEVM vniuerſo Mundo præſentem eſſe varijs modis. Primò , per cognitionem , omnia perfectiſſimè intuendo. 2. Per potentiam & operationem , quatenus omnia *Verbo virtutis ſuæ portat* , id eſt , conſeruat per ſe immediatè , & *omnia operatur in omnibus* , cum ipſis etiam immediatè concurrendo. 3. Denique per ſuam entitatem & ſubſtantiam , ſeu eſſentiam ipſi Mundo virtualiter coëxten-

ſam. Quæ eſt doctrina Fidei, cùm ſit communis SS. Patrum, vt legere eſt apud Petauium, *Tom.* 1. *Dogm.* iuxta illud Hierem. *Cælum & Terram impleo.* Item, *ex Actibus Ap* dicitur in eo eſſe & viuere: ſcribitque D. Aug. magis perfectè nos in eo eſſe, quàm Auis in aëre, aut Spongia in mari: nam intimè eſt nobis præſens, totus in toto, & totus in qualibet parte. Hancque intimam Dei præſentiam ſubſtantialem colligunt vulgò Theologi cum D. Thomâ ex operatione, per quam omnibus creaturis dat *eſſe*, illudque conſeruat; eamque propterea *illapſum*, vocant. Quæ doctrina ſupponit impoſſibilem eſſe actionem in diſtans, vt in Phyſicâ Vniuerſali declaratur; nec dici Deum eſſe duntaxat præſentem Mundo, ſaltem creabili procul extra Cælos, per ſolam operationem.

Ac præter eos quidem modos generales, quibus dicitur Deus vbique eſſe præſens; alij ſpeciales vulgò referuntur ex Sacris Literis. Primò enim dicitur eſſe in Chriſto per vnionem hypoſtaticam. 2. Eſt in Sanctis per cognitionem & amorem; vnde & dicuntur pleni Deo, & Spiritu Sancto, cùm vnicum illum ſpirent. 3. Per aſſiſtentiam & protectionem; ſic enim ait, *Cum ipſo ſum in tribulatione.* 4. In Eccleſiâ per directionem infallibilem. 5. Eſt in Cælo per maieſtatem & gloriam: quò ſpectat illud *Pater noſter qui es in Cælis.* 6. Eſt in inferis per iuſtitiam vindicatiuam. Iam verò,

DICO I. Non ſolum toti huic Mundo ſubſtantialiter eſt præſens, vbique indiuiſibiliter totus; ſed etiam, quantùm eſt de ſe, poſſet eſſe maiori, & maiori in infinitum ſimiliter præſens, etſi actu & formaliter extra hunc Mundum non exiſteret. Eóque duntaxat modo volunt Scotiſtæ

omnem intellectus creati exiſtentiam.

Tota igitur eſt, inquit Caietanus, ab aliquo intrinſecè ad actum neceſſarium ſuperaddito: docet enim actum Dei liberum dicere, hoc pacto, aliquam rationem poſitiuam Deo intrinſecam, *& in exiſtendo cõtingentem*. Quod tamen in noſtris ſcholis non licet admittere. 1. Quia ſequeretur decretum huiuſmodi liberum eſſe aliquod accidens, cùm poſſet aut abeſſe aut adeſſe, remanente eádem Dei ſubſtantiâ, cum omni complemento eſſentiali. 2. Quia ſic fieret in Deo realis compoſitio, adueniente nouâ id genus perfectione accidentali; quod repugnat ſummæ illius ſimplicitati. 3. Quia ſic fieret Deus aut perfectior, aut imperfectior, conſequenter ad actus eiuſmodi liberos vel plures, vel pauciores. 4. Quia diceretur eſſe in eo aliquid, quod non foret Deus; ſiquidem illud non poteſt eſſe Deus, quod exiſtit ſolùm contingenter, &c.

Reſpondeo igitur cum diſtinctione: potuit non eſſe in Deo illa Mundi creandi libera volitio, ſecundùm intrinſecum, ſeu ratione intrinſeci quod dicit in Deo. N. Potuit non eſſe ratione terminationis ad creaturam, ſiue illam inferendo, ſiue in illâ ſibi tantùm complacendo, & fundando reſpectum, ſaltem rationis, ad ipſum, C.

NOTABIS enim 1. Volitionem Dei liberam non conſtitui quidem aut compleri per aliquid extrinſecum, ſed totaliter eſſe in Deo; nihil, ne ratione quidem diſtinctum ſuperaddendo ad volitionem & amorem neceſſarium, quo terminatur neceſſariò, ſiue ad Diuinam ipſam eſſentiam, ſiue ad creaturas; nec proinde eſſe, niſi ipſammet Dei volitionem neceſſariam,

quatenus de ſe indifferens eſt, vt terminetur vel non terminetur ad creaturas; ſicque eſt libera volitio, v. g. creandi Mundi, per entitatem volitionis neceſſariæ, ſeu amoris neceſſarij, prout vi ſuâ infert Mundum ad extrà, quem potuit non inferre. Quamobrem, idem actus Dei eſt neceſſarius *quoad eſſe*, & liber duntaxat, *quoad termin...ionem*.

NOTANDVMQVE eſt 2. Voluntati creatæ ineſſe quidem eam perfectionem, vt, pro nutu ſuo, terminetur ad ſua obiecta, huic vel illi adhærendo, vel neutrum ſequendo, &c. at hoc non præſtat, niſi per actus diſtinctos à ſe vitaliter elicitos. Deus autem, pro ſuâ infinitâ perfectione, habet ſecundùm ipſammet eſſentiam immediatè, quicquid ad omnem volendi actualitatem neceſſarium eſt, cum æquiualentiâ ad infinitas volitiones aut nolitiones realiter diſtinctas. Quare, illa non eſt libertas potentialis, ſeu per modum potentiæ in ordine ad eliciendos actus internos, qualis eſt noſtra, ſed eſt per modum actus puriſſimi, & in ordine ſolùm ad obiecta; ſufficitque, vt iſtiuſmodi volitio Dei infinita terminetur ad obiectum, ad quod poterat non terminari, fundando reſpectum ad ipſum obiectum; quo pacto, per proportionem, ſcientia Dei infinita, ſine vllâ ſui mutatione, conſequenter ad decretum de rerum creatione, dicitur libera, quatenus ad earum exiſtentiam terminatur, cùm ad eam potuiſſet non terminari.

Inſt. 3. Si totaliter & ratione intrinſeci foret neceſſariò in Deo libera illa volitio, perinde in eo foret ſimul & ea, quæ potùit exiſtere actu Mundi creandi *Nolitio*; atque ita ſimul denominaret Deum *volentem creare Mundum*, quod

repugnat. *Prob. ſeq.* Nam forma, aut quaſi forma, abſoluta ſaltem, in aliquo exiſtens, illi communicat neceſſariò effectum formalem ſuum & propriam denominationem, independenter à quocunque extrinſeco. ℟. Eſſe veluti formam *connotatiuam*, nec habere ſuam denominationem, niſi provt terminatur ad obiectum, fundando reſpectum rationis, &c.

Inſt. 4. Volitio illa creandi Mundi eſt intrinſecè libera; ergo & intrinſecè indifferens ſeu contingens, ita vt intrinſecè, & quatenus eſt actus vitalis in Deo, poſſit non exiſtere. ℟. Illum veluti actum vitalem virtualiter diſtinctum, eſſe quidem neceſſariò in Deo ſecundùm entitatem, quod non impedit, quominus ſit ab intrinſeco, ſeu veluti ex principijs intrinſecis indifferens ſecundùm extrinſecum, ſeu ratione terminationis ad aliud; vnde poſſit ad illud aut terminari, aut non terminari.

CAPVT V.

Dei Æternitas.

ÆTERNITAS ſimpliciter ſumpta, eſt duratio ſine principio & fine.

DICO autem I. Deum, cùm ſit ens improductum, eſſe conſequenter abſque initio ſui; alioqui tranſijſſet à nihilo ſui, ad eſſe ſui; quod implicat; hoc enim fieri non poteſt niſi per actionem ipſius productiuam: atqui nulla eſt cauſa Dei productiua; cùm ipſe ſit prima cauſa.

Item, cùm habeat exiſtentiam ſibi eſſentia-

ſem, ac prorſus independentem, interire non poteſt. Eſt igitur Deus ab æterno, id eſt, *in principio*, quomodo eſt & *nunc & ſemper*, ſeu in perpetuas æternitates; ideoque dicitur *Rex ſæculorum*, *ſoluſque* abſolutè *immortalis*. Etſi enim Angeli & Anima rationalis, ex naturâ ſuâ, ſint immortales; quia tamen in ſuo *eſſe* dependent à liberâ Dei voluntate, poſſent abſolutè annihilari per ſubtractionem concurſus conſeruatiui; Deus autem, cùm ſit independens, non poteſt non exiſtere. At prætereà

NOT. 1. Deum ſic durare immutabiliter per totam æternitatem; cùm omnem ſuam perfectionem, cognitionem, volitionem, gaudium, beatitudinem, ab æterno & in æternum, eandem indiuiſibiliter teneat. Quamobrem Diuina æternitas, à Boëtio *lib.* 3. *De Conſol.* ſic definitur. Eſt vitæ interminabilis tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. Quo loco poſſidere vitam, aliud nihil eſt, quàm habere vitam & τὸ eſſe. Sed

NOT. 2. Ex iis, quæ habent *eſſe*, alia poſſidere illud *eſſe* duntaxat ſucceſſiuè, ſeu per partes poſt partes; vt Entia omnia ſucceſſiua. Permanentia autem habent *eſſe* ſuum totum ſimul, putà Angelus, homo, lapis. Item, ex eo quòd Angelus v. g. habeat *eſſe* ſuum totum ſimul, non ideo vitam, id eſt, operationes vitales habet omnes ſimul; cùm ſubinde nouas, & nouas exerceat, aut exercere poſſit. At Deus non habet cognitiones, & volitiones alias & alias; aut alias poſt alias; ſed potiùs, quam modò habet aut habiturus eſt vnquam, eam habet ab æterno: ergo ſic habet *eſſe*, & vitam ſuam totam ſimul. Item, illa vita, & operationes vitales, cùm ſemper eadem ſint abſque

ſui initio & fine, dicuntur *vita interminabilis*, id eſt, ſine terminis. Item, cùm illa vitæ interminabilis poſſeſſio ſit imparticipata, & ab alio independens; ſiquidem DEVS ipſe eſt ſua vita & ſua operatio vitalis, ideo vocatur à Boëtio *perfecta poſſeſſio*.

NOT. 3. Illam æternitatem ſic eſſe DEI propriam, vt creaturæ communicari non poſſit; quod demonſtratur in Phyſicâ Vniu. *Diſp. de Duratione*.

NOTANDVM præterea eſt 4. Quòd, etſi Diuina æternitas dicatur eſſe formaliter indiuiſibilis, ſeu tota ſimul, ſecundùm phyſicam & realem entitatem; quia nō poſſidet *eſſe* & vitam per partes, id eſt, per partium & actuū vitalium ſucceſſionem; non dicitur tamen tota ſimul ſecundùm extenſionem virtualem quam habet, æquiualendo ſcilicet durationi ſucceſſiuæ, illique, ſeruatâ ſuâ immutabilitate, coëxiſtendo: quâ ratione, dicitur habere partes virtuales duratonis virtualiter extenſæ. Item, ſic ratione formalis illius indiuiſibilitatis, dicitur quidem eſſe *inſtans* quoddā; docetque D. Thomas, omnia ſe habere ad illud, ſicut ſe habent diuerſæ partes circunferentiæ ad centrum, cui coëxiſtunt omnes, quanuis diſtent ab inuicem; ſed tamen non eodem modo; quia Circuli partes coëxiſtunt centro permanenter; res verò temporaneæ cum DEI æternitate non coëxiſtunt, niſi ſucceſſiuè; quæ nihilominus formalis ſucceſſio ſe teneat tantum ex parte rei creatæ. Item, nihil quidem eſt præteritum aut futurum reſpectu æternitatis Diuinæ adæquatè ſumptæ ſecundùm virtualem illam extenſionem; vel ſi lubet, ſecundùm illud *nunc* virtualis ſucceſſionis æternæ, eoque ſenſu debent accipi SS. Patres, cùm aiunt res non

eſſe Deo futuras aut præteritas : hoc tamen non impedit, quominus dicantur aut præteritæ, reſpectu æternitatis Diuinæ poſt illas perſiſtentis ſecundùm alias partes virtualis ſuæ durationis extenſiuæ; aut futuræ, reſpectu eiuſdem æternitatis anteà exiſtentis. Quare, licet creaturæ, quando exiſtunt, coëxiſtant æternitati Diuinæ, quæ, in ſe, & ſecundum phyſicam entitatem, vt dixi, eſt tota ſimul & formaliter indiuiſibilis; non ſequitur tamen illi coexiſtere adæquatè ſecundùm totam ipſius virtualem extenſionem veluti ſucceſſiuam, ac proinde illi eſſe realiter præſentes ab æterno & pro æterno: quod volunt recentiores Thomiſtæ; ſed tantùm ſequitur eſſe illi ab æterno præſentes inadæquatè, ſeu pro eâ tẽporis differentiâ, in quâ exiſtunt. *Prob.* Quia, quod nondum in ſe realiter exiſtit, alio exiſtente, non poteſt illi coëxiſtere, ſeu realiter eſſe illi præſens: quo pacto, Anti-Chriſtus nondum exiſtens realiter, non poteſt coëxiſtere huic horæ, & huic loco adeſſe realiter præſens. Ergo exiſtente Deo ab æterno, cùm pro illâ æternitate non exiſtat realiter creatura, non poteſt illi eſſe realiter præſens ab æterno. Neque verò illud ſuſtineri poteſt, ex eo quòd Dei æternitas ſit formaliter ſecundùm ſuam entitatem indiuiſibilis; nam perinde poſſet dici creatura quælibet eſſe vbique, & toti coëxiſtere immenſitati Diuinæ; quia Deus, perinde per proportionem, totus vbique eſt indiuiſibiliter. Item, cùm Æuum Angeli ſit quoque realiter ac phyſicè indiuiſibile, ſequeretur res modò exiſtentes, illi pariter eſſe realiter præſentes ab ortu Mundi; quod euidenter falſum eſt. Item, cùm Anti-Chriſti *non eſſe* in aliquâ temporis differentiâ ſit præſens Diuinæ æternitati, ſequeretur coëxiſtere

illud Deo ab æterno; & ſic Deo ab æterno Anti-Chriſtus ſimul coëxiſteret & non coëxiſteret: quod implicat contradictionem.

Obijc. Ex D. Th. Dei æternitatem complecti omnes temporum poſſibilium differentias. ℞. Loquitur de Æternitate ſumptâ adæquatè ſecundùm virtualem eius extenſionem.

Inſt. 1. p. q. 14. a. 9. & 13. Deus ab æterno habet cognitionem intuitiuam futurorum omnium, etiam contingentium: ergo ſunt illi realiter præſentia in æternitate. Quia cognitio intuitiua eſt rei præſentis, prout præſens eſt, & ſecundùm propriam exiſtentiam. *C. Totum.* Nam ℞. ad hoc ſufficere, vt diuina cognitio, pro infinitâ ſuâ perfectione, attingat res in ſuâ temporis differentiâ præſentes alicui virtuali æternitatis parti, nec tamen, ſicut intuitio eſt æterna, ſic & rerum temporanearum exiſtentia debet eſſe æterna.

CAPVT VI.

Dei Immenſitas.

CERTVM eſt Deum vniuerſo Mundo præſentem eſſe varijs modis. Primò, per cognitionem, omnia perfectiſſimè intuendo. 2. Per potentiam & operationem, quatenus omnia *Verbo virtutis ſuæ portat*, id eſt, conſeruat per ſe immediatè, & *omnia operatur in omnibus*, cum ipſis etiam immediatè concurrendo. 3. Denique per ſuam entitatem & ſubſtantiam, ſeu eſſentiam ipſi Mundo virtualiter coëxten-

ſam. Quæ eſt doctrina Fidei, cùm ſit communis SS. Patrum, vt legere eſt apud Petauium, *Tom.* 1. *Dogm.* iuxta illud Hierem. *Cælum & Terram impleo.* Item, *ex Actibus Ap* dicimur in eo eſſe & viuere: ſcribitque D. Aug. magis perfectè nos in eo eſſe, quàm Auis in aëre, aut Spongia in mari: nam intimè eſt nobis præſens, totus in toto, & totus in qualibet parte. Hancque intimam Dei præſentiam ſubſtantialem colligunt vulgò Theologi cum D. Thomâ ex operatione, per quam omnibus creaturis dat *eſſe*, illudque conſeruat; eamque propterea *illapſum* vocant. Quæ doctrina ſupponit impoſſibilem eſſe actionem in diſtans, vt in Phyſicâ Vniuerſali declaratur; nec dici Deum eſſe duntaxat præſentem Mundo, ſaltem creabili procul extra Cælos, per ſolam operationem.

Ac præter eos quidem modos generales, quibus dicitur Deus vbique eſſe præſens; alij ſpeciales vulgò referuntur ex Sacris Literis. Primò enim dicitur eſſe in Chriſto per vnionem hypoſtaticam. 2. Eſt in Sanctis per cognitionem & amorem; vnde & dicuntur pleni Deo, & Spiritu Sancto, cùm vnicum illum ſpirent. 3. Per aſſiſtentiam & protectionem; ſic enim ait, *Cum ipſo ſum in tribulatione.* 4. In Eccleſiâ per directionem infallibilem. 5. Eſt in Cælo per maieſtatem & gloriam: quò ſpectat illud *Pater noſter qui es in Cælis.* 6. Eſt in inferis per iuſtitiam vindicatiuam. Iam verò,

DICO I. Non ſolum toti huic Mundo ſubſtantialiter eſt præſens, vbique indiuiſibiliter totus; ſed etiam, quantùm eſt de ſe, poſſet eſſe maiori, & maiori in infinitum ſimiliter præſens, etſi actu & formaliter extra hunc Mundum non exiſteret. Eóque duntaxat modo volunt Scotiſtæ

Deum eſſe immenſum; neque eſſe actu extra Mundum, niſi virtute.

Dico autem II. Ex communiori ſententiâ, Deum, pro ſuâ immenſitate, eſſe actu formaliter extra hunc Mundum per ſuam ſubſtantiam ſeu eſſentiam quaſi diffuſam infinitè, & virtualiter extenſam. Fauet Sacra Scriptura, vbi ſic legimus 3. Reg. 8. *Cæli Cælorum te non capiunt.* Item, Iob. 10. *Excelſior Cælo eſt.* Quicquid reſpondeant Scotiſtæ, debere illa teſtimonia eo ſenſu accipi, quòd Dei magnitudo Cæli ambitu non capiatur, quia poteſt maiori coëxiſtere: ijs opponuntur SS. Patres ex Petauio. 1. Tom. Dogm. quos inter eſt D. Gregor. 2. Mor. c. 12. vbi ſic loquitur. *Ipſe eſt*, inquit, *intra omnia, extra omnia, infra omnia, ſupra omnia. Extra circundans, intra penetrans*, &c. Eſſe autem *ſuprà*, & *extrà circundans*, non eſt tantùm poſſe eſſe ſuprà, quicquid explicent de ſuperioritate per potentiam, plus enim dicit, cùm vult eſſe *circundans extrà*. Eamque ob cauſam Triſmegiſtus ſcripſit, Deum eſſe veluti Circulum, aut potiùs Sphæram, cuius centrum eſſet vbique, circunferentia autem nullibi. *Probatur ratione.* Quia nihil repugnat ſic Deum exiſtere extra Mundum: ergo ſic de facto exiſtit. *Prob. Ant.* Non enim repugnat, neque ex parte Dei, neque ex parte inanis illius quod fingitur eſſe extra Cælos; nam ſupra Cælos poteſt creari Angelus, & ſic in illo exiſtere; quomodò & poſſet hîc exiſtere, facto hîc vacuo: ergo à pari & Deus. *Confir.* Quia ſic Deus ante Mundum conditum exiſtebat ſine præſentiâ ad creaturam: ergo ſimiliter poteſt ſupra Cælos actu exiſtere ſine præſentiâ ad creaturam. Iam verò, ſi non repugnat eſſe extra

Mundum, & exiſtere in ipſo inani; probo debere in eo exiſtere cum extenſione virtuali infinitâ. Quia illa extenſio non debet ſolùm eſſe commenſa magnitudini Mundi: alioquin diceretur finita actu; contra illud Dauidicum: *Magnus Dominus, & magnitudinis eius non eſt finis*: quod debet etiam accipi de magnitudine illius extenſionis virtualis. *Conf.* Quia magnitudo eiuſmodi infinita actu, eſt melior ipſa quàm non ipſa; ergo eſt tribuenda Deo. Si negant eſſe perfectionem in Deo; contrà ſic argumentandum eſt. Eſt perfectio in Angelo, eaque maior in perfectiori Angelo, quòd habeat eiuſmodi extenſionem virtualem maiorem: ergo & in Deo. Item, eſt perfectio in Deo quòd ſit vbique in toto Mundo; alioquin perinde ipſi Deo foret, ſi præſens tantùm eſſet ad partem Mundi aliquam vel minimam, putà ad granum Milij; ſiquidem in ſententiâ Scoti, poſſet nihilominus in alias Mundi partes agere, illas effectiuè conſeruando: nam admittit actionem in diſtans independenter à medio. Neque verò etiam eſſet potior ratio, cur ad totum Mundum foret præſens, & non tantùm ad partem minimam. Imò fieri poſſet in illo philoſophandi modo, vt diceretur Deus prorſus non exiſtere; ſi nempe Mundus totus deſtrueretur; neque enim magis exiſteret, quàm dicunt eum exiſtere in inani ſupra Cælos; ſiquidem perinde nihil foret, niſi inane. Nam in illâ ſententiâ, etſi nobiſcum fateantur Deum propriè non exiſtere niſi in ſeſe, docent tamen nullibi exiſtere in ſeſe, niſi rei alicui creatæ coëxiſtendo. Alioqui non negarent plerique illum actu & formaliter exiſtere extra hunc Mundum.

Item, diuiſo duas in partes Mundo vni-

uerſo, cum intermedio inani, ſic diceretur Deus diuidi à ſeipſo. Item, quia nihil repugnat creari à Deo Mundum nouum, ab iſto diſtantem, vacuo interiecto, cui Deus eſſet præſens, non autem illi vacuo, ſecundùm eorum doctrinam: ergo ſequeretur Deum, etiam hac ratione diuidi poſſe à ſeipſo. Vel certè, ſi reſpondeant eo in caſu, non fore Deum præſentem nouo illi Mundo, quem Deus, agendo ſolùm in diſtans, creaſſet. *Contrà eſt*; nam ſaltem poſſet Deus illi fieri præſens, cur enim minùs poſſet illi fieri præſens quàm alteri? ergo deberet Deus moueri localiter ad ipſum. Quinetiam, ſi Dei præſentia eſt huic Mundo quaſi alligata, cùm nihil implicet Mundum hunc totum moueri localiter, & agitari per inane; ſic Deus etiam ad motum huius Mundi agitaretur: quod per ſe eſt abſurdum, & repugnans Diuinæ immutabilitati. Item, cùm aiunt fore tunc ſolùm præſentem illi Mundo per actionem eius productiuam & conſeruatiuam, nec aliâ ratione fore Mundum in Deo; dici pariter poſſet, Solem v.g. tametſi contineatur certo Cæli ſpatio, vniuerſum occupare Mundum, quem virtute ac operatione ſuâ peruadit.

Obijc. Ex D. Bonauenturâ: Stultum eſt dicere aliquid eſſe in eo quod nihil eſt. Sic autem Deus extra Mundum actu exiſtens, exiſteret in ſpatijs imaginarijs, quæ nihil ſunt. Si enim eſſet aliquid extra Mundum, illud eſſet creatum; cùm nihil ſit reale extra Deum, quod ab eo creatum non ſit; illud autem vel eſſet finitum, & ſic rediret quæſtio de ſpatijs extra exiſtentibus: dici autem infinitum non poſſet; quia implicat creatum infinitum. ℞. 1. Sic Deum, vt aiebam modò, propriè loquendo, exiſtere

exiſtere in ſeipſo: ſibique tantùm eſſe præſentem præſentiâ abſolutâ. Quò pacto, ad illam quæſtionem, *Vbinam Deus erat, antequam Mundus exiſteret*; vulgò reſpondetur; non alibi fuiſſe, quàm vbi nunc eſt, nempe in ſeipſo; ſibique eſſe Mundum, Locum, & omnia. Si tamen agitur de præſentiâ relatiuâ ad aliud; ℞. Deum non eſſe in ſpatijs imaginarijs, tanquam in aliquo formaliter reali, nam ſpatia illa formaliter ſunt nihil; nec conſequenter ſunt aliquid aut creatum, aut increatum.

Inſt. 1. Non magis in ijs ſpatijs exiſteret; quàm in negatione aliquâ, aut in chymærâ: neque enim ſunt magis ens. ℞. *N. Ant.* Etſi enim non ſint magis ens formaliter: ſunt tamen virtualiter magis ens. Nam inane & vacuum ſunt aliquod ſpatium ſaltem virtuale reale; quatenus in ijs aliquid creari, aut aliquis motus localis fieri in ijs poteſt, &c. Quæ docentur in Phyſicâ, *De Vacuo*.

Inſt. 2. Illa Dei extenſio non dicitur virtualis, niſi per ordinem ad creaturas, quibus poſſit coëxiſtere. *N.* Quia abſolutè ſic de ſe exigit habere illud infinitudinis genus. Sed, *Tr.* Ergo nulla eſt, cùm ſint impoſſibiles creaturæ actu infinitæ, quibus coëxiſtat. ℞. Satis eſt, ſi ſint poſſibiles finitæ in infinitum; nec tot, quibus non poſſit coëxiſtere, ratione illius ſuæ extenſionis infinitæ actualis.

Inſt. 3. Si Deus eſſet extra Mundum infinitè virtualiter extenſus, poſſet deſignare in ſe partes virtuales numero infinitas actu; ſicque videret numerum infinitum actu. Atqui falſum Conſequens; ergo & Antecedens. ℞. In illâ virtuali extenſione partes virtuales nullas eſſe, niſi potentiâ, & per comparationem ad aliud, cui

coëxiſtant; quo poſito, tunc duntaxat dicitur eſſe, & deſignari pars virtualis actu. Cùm ergo non poſſint eſſe creaturæ quibus coëxiſtat, niſi finitæ in infinitum; ita nec poteſt in ſuâ illâ extenſione deſignare partes virtuales per comparationem ad aliud, niſi indeterminatè, & finitas in infinitum. Nec vllæ ſunt in eo abſolutè partes potentiâ, ſed tantùm æquiualenter, & comparatiuè ad aliud coëxiſtens.

Inſt. 4. Poſſet Deus creare infinitum: nam vbicunque habet omnipotentiam applicabilem ad effectû producendum,hic poteſt ab eo creari. Atqui Deus extra Mundum infinitè virtualiter diffuſus, haberet omnipotentiam ad infinitos effectus applicabilem, nam ibi agere poteſt, vbicunque eſt. *Diſt.* Vbicunque diſtributiuè, *Tran'e it* Vbicunque collectiuè, *N.* Vt oſtenſum eſt in Phyſicâ.

Inſt. 5. In eâ virtuali extenſione infinitâ poſſet concipi infinitum clauſum terminis. Nam concipiamus duas lineas decuſſatas protendi in infinitum per illius immenſitatem, illæ continerent ſpatium virtuale infinitum. ℞. Lineas eiuſmodi poſſe tantùm concipi eo modo quo fingitur Hircoceruus; nec admittenda eſt hypotheſis: quia nulla ibi fingi poteſt virtualis eiuſmodi magnitudo actu, niſi per reſpectum ad aliud actu coëxiſtens, vt iam monui.

****

CAPVT VII.

Dei Viſibilitas.

SVPPONO I. Diſtinctionem cognitionis *abſtractiuæ* & *intuitiuæ*, de quâ in Log.

Diſp. 5. *c.* 1. Item, & quæ in Phyſic. Part. *Tract. de Ani. ſenſ. Diſput.* 2. habentur 1. de ſpecie impreſsâ, per quam determinetur intellectus ad cognitionem obiecti, illud *efficienter* cum ipſo intellectu repræſentando. 2. De ſpecie expreſsâ, per quam intellectus, ſpecie impreſsâ iam inſtructus, attingit obiectum, illud ſibi *formaliter* repræſentando. Ne quid dicam de ſpecie obiectiuâ, in quâ, tanquam in obiecto cognito, aliud cognoſcitur; vt quando, obiectâ Cæſaris imagine, in eâ Cæſar cognoſcitur.

SVPPONO 2. Deum ex Scripturâ Sacrâ varijs modis videri impropriè, vt cùm dicitur videri in ſuis operibus, quo ſenſu Iob. 36. *Omnes homines vident eum.* Item, & ſæpe dicitur viſus ſub aliquâ ſpecie corporali; vt quando Iſaias. 6. ſcribit *ſe vidiſſe Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Tertiò, videtur per fidem. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Quartò, per humanitatem aſſumptam, *in terris viſus eſt.* Baruch. 3.

SVPPONO 3. Deum, eo ſenſu, dici propriè *inuiſibilem*, quia, contra ſententiam D. Auguſtini, ne abſolutè quidem poteſt oculo corporeo videri, vt in ſe eſt. Quod eſſe de Fide, Suarez lib. 2. De Attrib. Petauius, *Tom.* 1. *Dogm.* & vulgò alij docent; vt videre eſt in Phyſicâ Vol. 1. *p. Tr.* 2. *Diſp.* 1. *c.* 2. *ſub finem.* Nam, vt aiebam eo loco, perinde eleuari poſſet brutũ ad viſionẽ beatificam, ad actus illius meritorios, &c. quod quidem Conſequens cùm ſit erroneũ, idem ſentiendum eſt de Antecedente; & quanuis non repugnet res corporeas eleuari ad effectus ſpirituales, putà ignem inferorum ad Dæmonum combuſtionem, ſtatui tamen debet potentiam ſenſitiuam de ſe ita determinatam eſſe ad ope-

loco ſufficere connexionem, quæ eſt inter actum naturalem, & ipſius terminum, qui non debet eſſe impoſſibilis. At

SVPPONO 5. Quòd, etſi multa obiecta ſupernaturalia poſſint à nobis attingi vt in ſe ſunt, etiam per actus naturales, vt aliàs diximus poſſe v. g. DEUM amari actu naturali propter ſuam bonitatem naturaliter cognitam; aut vbi conſtaret de reuelatione Diuinâ, poſſe illud credi per actum naturalem, quod ſupponeretur reuelatum: aut quemadmodum ſcribit Martinonus, *Tom. 2. de Gratiâ*, poſſe Diuinam bonitatem clarè viſam à beato, amari per actum voluntatis naturalem, ſi ad eum duntaxat præberetur concurſus à DEO, &c. Etſi, inquam, res ita ſe habeat in multis, negandum tamen eſt poſſe DEUM videri vt in ſe eſt, per actum aliquem ordinis tantùm naturalis. Ratio eſt, quia ad videndum DEUM vt in ſe eſt, requiritur vel ipſa Diuina eſſentia inſtar ſpeciei impreſſæ concurrens cum intellectu beatifico; vel ſaltem ſpecies creata impreſſa, quæ, perinde ac expreſſa, ſit ordinis ſupernaturalis; cùm DEI vt in ſe eſt, repræſentatio perfecta, ſuperet vires naturæ omnis. Quod confirmatur à poſteriori; quia, de facto, Fides docet non poſſe DEUM videri vt in ſe eſt, niſi ſupernaturaliter. Atque his ſuppoſitis, vt ad id quod reipſa eſt pergamus;

DICO I. Deum clarè, diſtinctè, quidditatiuè, & vt in ſe eſt, videri de facto à Beatis. Eſt de Fide, ex Sacris Literis, quæ ſæpiſſimè iſtud tradunt: Vt Matth. 5. *Beati Mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Item, 1. Ioan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*, &c.

NOTANDVMQVE eſt 1. Ex doctrinâ Fidei, idcirco

idcirco Beatis inexiſtere ; de facto, lumen gloriæ, quo intellectus intrinſecè perfectus, modò ipſi potentiæ magis connaturali, in viſionem beatificam influat. At

Not. 2. Contra nonnullos Antiquiores, viſionem illam beatificam, non eſſe ipſam increatam quâ Deus ſeipſum videt, homini communicatam : viſio enim, quæ eſt operatio vitalis, non poteſt denominare intellectum videntem, niſi eum à quo manat effectiuè ; vt oſtenditur in Tractatu de Animâ. At viſio Dei increata non poteſt eſſe niſi ab intellectu diuino ; imò, ipſa idem eſt ac intellectus, aut eſſentia etiam diuina, & de ſe eſt improducibilis, vt quidem ſuprà explicuimus. Multùm igitur abeſt, vt per eam intellectus creatus fieri, & denominari poſſit videns. Nec dicas : ergo beatitudo hominis non eſſet niſi res creata. *Diſt.* Beatitudo formalis, *C.* obiectiua, N.

Notabis igitur 3. Viſionem illam beatificam eſſe qualitatem expreſſam, tanquam terminum actionis intellectiuæ, quo Deus ab intellectu beato attingitur, illum ſibi *formaliter* repræſentando. Ac diſtinctionem quidem huius qualitatis expreſſæ, quam & *verbum mentis* vulgò appellant, Probaui in Tract. de Animâ ſenſ. *Diſp.* 1. *c.* 1. Item,

Not. 4. Poſſe quidem dari creatam Dei ſpeciem impreſſam, per quam intellectus perficeretur ex parte obiecti ad eliciendam viſionem beatificam. Quod enim aiunt Thomiſtæ, illam ex eo repugnare, quòd deberet eſſe eiuſdem immaterialitatis & perfectionis, ac Deus ipſe ; putentque eſſe mentem D. Thomæ, R. Admitti quidem illud debere de ſpecie *obiectiuâ*, nec aliud intendit D. Th. At ſufficit, quòd

ſpecies impreſſa ſit eiuſdem perfectionis cum Deo, ſecundùm *eſſe intentionale* ſeu *repræſentatiuum*; non autem ſecundùm *eſſe reale*. Nec aliud probant, quæ huc prætereà ab ipſis congeruntur rationes: alioquin, iiſdem argumentis rueret doctrina de ſpecie expreſsâ, quam admittit ipſe D. Th. 1. p. q. 27. a. 1. & 2. Nec ſpecies Angelorum inferiorum repræſentarent Angelos ordinis ſuperioris, quod tamen repugnat D. Thomæ. Et verò, ſpecies intentionalis repræſentatiua aut ſubſtantiæ, aut quantitatis, ſiue corporis cuiuſcunque, ſiue Angeli, non habet ſimilitudinem cum iis obiectis, niſi intentionalem.

Etſi autem ſpecies Dei impreſſa non repugnet, quia tamen hæc ſolùm vicaria eſt obiecti, quando obiectum de ſe non poſtulat eſſe præſens cum potentiâ, aut quando illi debitè vniri non poteſt ad coagendum, vt dixi c. 5. De Angelis; communis eſt Theologorum ſententia cum D. Thomâ, rem fieri magis connaturaliter ex parte obiecti, vt eſſentia Diuina, de ſe, intimè, *per illapſum* vnita intellectui creato omni, in eo fungatur vices ſpeciei impreſſæ; cum eo videlicet effectiuè influendo in viſionem beatificam. Memineriſque, Deum idcirco vniri potentiæ alicui *per illapſum*, non modò quòd ſit illi præſens intimè, ſed quia ſimul in eius *eſſe* iugiter influat; quo pacto, per proportionem, aiebamus, Angelum vniri per *illapſum* intellectui ſuo.

Obiic. Efficientia Dei ad extrà omnis debet eſſe libera, qualis non foret huiuſmodi. Verùm, ex Suare ad difficultatem iſtam iam Reſpondi in Phyſicâ Vniuerſ. 1. *p. Tr.* 2. *Diſp.* 1. *c.* 2. *ſub finem.*

DICO II. Qui DEVM ſeu eius eſſentiam vident *ſicuti eſt*, vident quoque Attributa omnia in eo exiſtentia. *Prob.* Quia, vt diximus, *cap.* 2. *ſuperiori ex D. Thomâ*, *contra Scotiſtas*, illa omnia ſunt ſibi mutuò de eſſentiâ, nec habent in ſe vllam ab inuicem præciſionem formalem. Et verò, ſi animalitas in Homine videri ab Angelo, vt in ſe eſt, nequit ſine rationalitate, vt dixi *cap.* 2. *de Ente Vniuerſali*; à fortiori, vna perfectio DIVINA, quæ idem eſt formaliter ac alia, ſimulque ſunt veluti de *eſſe* conſtitutiuo Dei, non poteſt videri, vt in ſe eſt, & quidditatiuè, ſine aliâ. Nec dicas, videtur ab oculo corporeo albedo, vt in ſe eſt, præſcindendo ab illâ multiplici dependentiâ, quam in ſe habet. *Tr.* Quia hæc non ſunt de obiecto viſus corporei; at intellectus, de ſe, eſt ad omne intelligibile.

Item, nec poteſt videri eſſentia DIVINA, vt in ſe eſt, quin ſimul etiam, vi illius viſionis, videantur quoque perfectiones relatiuæ & perſonæ in eâ exiſtentes; & maximè quidem in eorum ſententiâ, qui docent eſſe DEO eſſentiales: quia res, vt in ſe eſt, videri nequit, quin videantur & eius eſſentialia. Nec minùs etiam videri debent in eorum ſententiâ, qui putant non eſſe eſſentiales, ſed tantùm eſſentialiter de ſe poſtulari à naturâ DIVINÂ cum perfectiſſimâ identitate. Res enim videri, vt in ſe eſt, nequit, quin videantur, & quæ tantam habent cum eâ identitatem. Item, videri nequit Perſona DIVINA, vt in ſe eſt, quin videatur quoque & eſſentia ipſa DIVINA; quia Perſona DIVINA eſt eſſentialiter DEVS: quamobrem nequit etiam videri vna Perſona, quin ſimul videantur & aliæ; quandoquidem in eâ Perſonâ videri non

poteſt DIVINA eſſentia, vt in ſe eſt, quin ſimiliter videantur & omnes ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ.

Nec dicas, vnitur Verbum hypoſtaticè Humanitati in Chriſto, non autem Pater, &c. habentque inter ſe diſtinctas vnibilitates eiuſmodi; cùm diſtinguantur inter ſe realiter. C. Ergo à pari poſſunt abſolute videri ſine inuicem. N. *paris*. Quia ob tantam & eſſentialem naturæ identitatem, non habent viſibilitatem ſui, vt in ſe ſunt, diſtinctam ab inuicem.

NOTANDVMQVE eſt 1. Iſtud vulgò appellari viſionis beatificæ obiectum primarium. Nam creaturæ, quæ in DEO ſimul videntur, dici ſolent obiectum illius viſionis duntaxat ſecundarium. At

NOT. 2. Creaturas poſſe duobus modis conſiderari. Primò, ſecundùm eſſe quod habent in DEO, quod vocant *eſſe eminentiale*, aut *eſſe virtuale*, quia continentur eminenter in DEO, tanquam in causâ ſui productiuâ; neque vlla eſt perfectio in creaturâ, quæ in DEO virtualiter & eminentiori modo non contineatur, quo ſenſu accipitur dictum illud Ioan. 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*. Secundò, poſſunt conſiderari creaturæ ſecundùm eſſe proprium & formale, quod habent, aut habere poſſunt extra DEUM.

DICO autem III. Vi beatificæ viſionis cognoſcuntur creaturæ in DEO ſecundùm *eſſe* eminens, ſeu virtuale quod in ipſo habent. Quia illud *eſſe* eminentiæ aliud non eſt, quàm ipſa eſſentia DIVINA; ac proinde cùm vident DIVINAM eſſentiam, vident & ipſum τὸ *eſſe* eminens creaturarum, quod hac ratione eſt increatum, & infinitum.

Si autem creaturæ ſpectantur ſecundùm *eſſe* ſuum formale & proprium, nempe vel creatum, vel creabile, ſeu quod habere poſſunt extra DEUM; nihil repugnat, quominus ab intellectu beatifico videantur in ſeipſis immediatè, non modò actu diſtincto, & per ſpecies diuinitùs infuſas, ſed etiam per ipſum viſionis beatificæ actum, DEO ſcilicet per ſuam immediatè eſſentiam fungente vices ſpecierum eiuſmodi impreſſarum, ſicque intellectum beatificum determinante ad tales, vel tales creaturas in ſeipſis videndas.

NOTABIS tamen *cum Martinono*, *& aliis*, hoc non impedire, quominus etiam de facto videantur formaliter in DEO, ſeu in DIUINÂ eſſentiâ, tanquam in medio cognito; & quaſi ſpeculo earum, vt in ſe ſunt, repræſentatiuo; iuxta doctrinam D. Thomæ. Neque enim vis ea deneganda eſt DIUINÆ eſſentiæ, vt creaturas ipſas virtualiter continenti. Item, & quatenus ipſæ creaturæ habent in DEO *eſſe* tum ideale, tum intelligibile, vt cognitum in cognoſcente. Sic D. Auguſt. 11. *De Ciuit. Dei c.* 7. docet creaturas in ſeipſis decoloratiores eſſe, quàm vbi videntur in DEO, meliúſque in DEO videri, quàm in ſeipſis. Atque iſtâ quidem ratione vulgò dicuntur creaturæ videri in *Verbo*, quatenus videntur in DIUINÂ eſſentiâ, prout ipſa eſt creaturarum cognitio; nam hæc quoque DEI cognitio eſſentialis & communis Tribus Perſonis appellatur Verbum, ſed *eſſentiale*, ad diſtinctionem Verbi Notionalis ſeu Perſonalis, quod ſimpliciter appellari ſolet Verbum DIUINUM; eſtque ſecunda SS. Trinitatis Perſona. Quâ de re legere eſt Martinonum, *de Deo*, tum *Diſp.* 9. *ſ.* 10. tum *Diſp.* 24. *ſ.* 1.

Not. 2. Diuinam eſſentiam hoc modo vocari ſpeculum creaturarum *liberum* : quia, vi beatificæ viſionis, creaturæ & perfectiones creaturarum in Deo eminenter contentæ non videntur niſi confusè; nec attingitur hæc, aut illa diſtinctè, niſi intellectus beatificus, pro libero Dei concurſu, ad id determinetur. Item,

Not. 3. Creaturas, ſeu creaturarum perfectiones, quæ hac ratione continentur eminenter in Deo, non eſſe niſi ſimpliciſſimam Dei perfectionem, perfectiori & perfectiori modo in infinitum participabilem : neque ab intellectu creato poſſe illam magis & magis penetrari; id eſt, creaturas perfectiores & perfectiores clarè & diſtinctè videri, niſi perfectiori & perfectiori lumine gloriæ illuſtretur.

Notandvmqve eſt 4. Eſſe in eo poſitam beatificæ viſionis inæqualitatem tum intenſiuam, tum extenſiuam; quòd alij ex beatis, poſito lumine gloriæ intenſiori, clariùs videant Deum, pluréſque & ſublimiores creaturarum perfectiones eminentiales clarè & diſtinctè attingant, Deo per liberum concurſum ad eas determinante intellectum beatificum. Item,

Notandvm eſt 5. Intellectum etiam perfectiorem, cuiuſmodi reperitur in Angelis ſuperiorum ordinum, ſub æquali gloriæ lumine, non idcirco elicere viſionem Dei perfectiorem. Etſi enim lumen gloriæ cum intellectu perfectiori conſtitueret cauſam totalem perfectiorem, Deus tamen illi ſic attemperaret ſuum concurſum, vt ſupra exigentiam meritorum non videret Deum. Alioquin, cùm paribus meritis reſpondeat æquale lumen gloriæ, vt æqualis merces. 2. *Cor.* 5. fieret nihilominus, vt, qui præſtantioris eſſet naturæ, ac proinde

perfectiùs Deum videret, is conſequenter ex proprijs naturæ principijs majus præmiũ obtineret.

DICO IV. Quantumuis Deus poſſit in infinitum videri perfectiùs à creato intellectu, non poteſt tamen per vires vllas ab eo comprehendi adæquatè. Iſtud eſt fidei proximum: vt enim in Conc. Lateranenſi legimus Deum eſſe æternum, omnipotentem; ita & ſubiungit eſſe immutabilem, incomprehenſibilem & ineffabilem. *Probatur ratione.* Quia Deum ſic propriè comprehendi, eſt clarè & diſtinctè, quicquid in eo eſt, cognoſci. Nihil enim præterea ad veram comprehenſionem requiritur, niſi vt eâ perfectione & claritate cognoſcatur, quâ cognoſci poteſt. Alioquin Angelus inferiorem Angelum, aut Formicam etiam non comprehenderet, quia perfectiùs in infinitum cognoſci ab alio poteſt, putà à Deo. Iam verò, quicquid eſt in Deo, perfectionum eminentialium, & poſſibilium creatutarum, clarè & diſtinctè cognoſci non poteſt, niſi per lumen gloriæ infinitum, quod ſupponimus eſſe impoſſibile, ex doctrinâ *De infinito*. Conf. Quia opus eſt lumine perfectiori & perfectiori ad Deum perfectiùs, & perfectiùs videndum: ergo vt quàm perfectiſſimè, id eſt, vt adæquatè, & ſecundùm perfectiones creaturarum omnium poſſibilium cognoſcatur clarè & diſtinctè, opus erit lumine quàm perfectiſſimo, ac proinde infinito.

DICO conſequenter VI. Deus eſt cuilibet creaturæ ſimpliciter ineffabilis. Quòd modò inſinuabam ex Conc. Lateranenſi. Nam & legimus *Eph.* 1. Deum eſſe ſuper omne nomen quod nominatur, ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro. *Prob. ratione.* Quia *nomen* vulgò apud omnes, duas exigit iſtas conditiones: primò

vt non ſignificet, niſi quatenus conceptum loquentis repræſentat. 2. Vt ſimul eius ſignificatio intelligi poſſit ab audiente. Quare, cùm nullus intellectus creatus Deum adæquatè, prout in ſe eſt, ſibi repræſentare queat; hinc ſequitur, vt nullum poſſit eſſe à creaturâ nomen Dei vt in ſe eſt, *ſimpliciter* expreſſiuum, ſeu ſignificatiuum. Quanquam nihilominus;

NOTABIS, non eſſe ineffabilem *ſecundùm quid*; quod probant tam multa nominum genera, quæ illi ſoli tribui poſſunt. Sic enim, inquit Nycæna Synodus; vbi auditur vox *Deus*, nihil aliud niſi incomprehenſibilis Dei ſubſtantia ſignificatur, &c. Inde verò explicatur D. Aug. lib. 1. De Doctr. Chriſtianâ c. 6. vbi ſic ſcribit. *Neque per hoc ineffabilis dicendus eſt Deus, quia cùm hoc dicitur, aliquid dicitur; & fit neſcio qua pugna verborum: quoniam ſi illud eſt ineffabile, quod dici non poteſt; non eſt ineffabile, quod vel ineffabile dici poteſt.*

****

CAPVT VIII.

Dei Intellectus & Scientia.

CVM vita intellectualis poſita ſit maximè in cognitione & volitione; neceſſe eſt huiuſmodi perfectiones admittere in Deo, ac proinde intellectum & voluntatem; ſiquidem ipſe Deus per eſſentiam eſt vita, illique competit modo infinitè perfecto. Ac de eius quidem Intellectu & Scientiâ, vt primùm dicam;

NOT. 1. Scientiam quidem humanam, quamque deſcripſit Ariſt. generari per diſcurſum;

Diuina autem non eſt niſi ſimplex quidam intuitus, per quem res, vt in ſe ſunt, clariſſimè & perfectiſſimè comprehenduntur.

NOTANDVMQVE eſt 2. Scientiam illam Diuinam vel eſſe de rerum naturâ, proprietatibus, exiſtentiâ, cæteriſque id genus; ideóque dicitur *ſpeculatiua*, quia nihil dictat faciendum; alia verò eſt *practica*, vel de rebus ad proprium finem dirigendis, quam propriè *prudentiam* appellant; vel de modo rei cuiuſcúnque procreandæ, quam *Artem* vocant. At

NOT. 3. Eam ſcientiam, prudentiam, aut Artem, quæ habetur per altiora principia, aut eminentiori quodam modo, vulgò appellari *ſapientiam*; eoſque dici viros ſapientes, in quibus fuerit eiuſmodi præſtantia. Quam ob cauſam Dei ſcientia per excellentiam vocatur *ſapientia*, & quæ ab eo procedunt opera, idcirco dicuntur opera ſapientiæ. Atque his poſitis;

DICO I. Dei ſcientia, perinde ac reliquæ ipſius perfectiones, eſt infinita. Quamobrem vniuerſaliſſima eſt ad omne ſcibile. Si quod enim ipſam fugeret, non foret infinita; quia maior eſſe poſſet: tum deinde clariſſima eſt ac certiſſima; quia Deus, per ſuam eſſentiam infinitam, quaſi per lumen quoddam intellectuale infinitum, res attingit. Alioquin, ſi quid minùs perfectè ab eo cognoſceretur, illa ſcientia non eſſet infinitæ perfectionis.

NOTABIS autem, Diuinæ ſcientiæ obiectum primarium eſſe Deum ipſum; creaturas verò, tum poſſibiles, tum actu productas, eſſe obiectum illius ſecundarium; nec tantùm ad eas terminari ſecundùm illud *eſſe* eminens & in-

creatum, quod habent in Deo; ſed etiam ad *eſſe* proprium, quod habent, aut habere poſſunt in ſeipſis extra Deum. Item,

NOT. 2. Scientiam Diuinam, quamuis realiter vnica ſic ac ſimpliciſſima, quia eſt ipſamet Dei ſimpliciſſima eſſentia; quatenus tamen ad varia obiecta ſecundaria terminatur, dici multiplicem.

DICO enim II. Sic Deus habet ſcientiam *naturalem*, quam vocant *ſimplicis intelligentiæ*, per quam cognoſcit res omnes poſſibiles. *Prob.* Quia Dei ſcientia non minùs latè patet, quàm omnipotentia: ergo ſic Deus cognoſcit omnia poſſibilia, nec poteſt ſeſe, & conſequenter ſuam omnipotentiam comprehendere, niſi comprehendat & effectus ab eâ producibiles, etiam qui de facto nunquam producendi ſunt. Quo pacto, inquit Apoſtolus, *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*; id eſt, perinde cognoſcit ea, quæ ſunt in ſtatu meræ poſſibilitatis, ac quæ exiſtunt. Item, pari ratione, & à fortiori;

DICO III. Cognoſcit intuitiuè & ab æterno eos effectus omnes qui futuri ſunt, pendentque actu ab eius omnipotentiâ, pro eâ temporis differentiâ, in quâ futuri ſunt: ſoletque hæc nuncupari *ſcientia viſionis*, & *ſcientia libera*, quia ſequitur ad decretum liberum de ponendis creaturis, aut de concurſu præſtando ad eas actu ponendas.

NOTANDVMQVE eſt 1. Differre ſcientiam hanc *viſionis*, à ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ; quòd Deus per ſcientiam viſionis dicatur ea ſolùm attingere, quæ pro aliquâ temporis differentiâ exiſtunt. Repetendumque eſt ex [illegible]icâ. *Diſp.* 5. c. 1. quænam ſit natura viſionis,

ſeu cognitionis *intuitiua*; & quomodo differat ab *abſtractiuâ*. Item,

NOT. 2. Ex rebus creatis, aut ex effectibus creaturarum, alios eſſe futuros *neceſſariò*, nempe à cauſâ naturali & neceſſariâ, tum ex decreto Dei abſoluto: alios autem eſſe futuros tantùm *contingenter*, & *liberè*; qui nimirum futuri ſunt à voluntate ſeſe pro aliquâ temporis differentiâ liberè determinante, & ex concurſu Dei indeterminato. Porrò

DICO IV. Deus perfectè cognoſcit non tantùm futura neceſſariò, ſed etiam & contingenter futura, quæ ſcilicet dependent à Libero noſtro Arbitrio. Quæ Aſſertio probatur allatâ iam ratione, & eſt de Fide; *totque habet teſtes*, inquit Tertullianus, *quot Prophetas*. Ita Pſal. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè*; item *& vias meas prævidiſti, &c.* Conf. Quia non poteſt cadere in Deum rei vllius ſeu veritatis cuiuſcunque ignoratio, etiam pro totâ æternitate; cùm inde ſequeretur, ſcientiam Dei non eſſe infinitè perfectam.

Nec dicas, peccatum v. g. Petri futurum, in ſenſu compoſito Diuinæ præſcientiæ, id eſt, quatenus eſt ſub Diuinâ præſcientiâ, non poteſt non euenire; ergo eſt futurum *neceſſariò*; ac proinde non eſt futurum *liberè*. R. Peccatum Petri, ex hypotheſi Diuinæ præſcientiæ, ſeu in ſenſu compoſito illius præſcientiæ, eſſe quidem neceſſarium, nec poſſe non euenire *conſequenter*: Sed illa neceſſitas tantùm *conſequens* non tollit libertatem, vt ſuo loco ſatis explicui, vbi de libertate.

NOTANDVMQVE eſt, hîc ſermonem eſſe de futuris contingentibus, ſeu liberis, quæ dicuntur abſolutè futura; id eſt, futura de facto. Nam

alia ſunt conditionatè ſolùm futura, id eſt, quæ futura eſſent, ſi poneretur talis conditio, quæ conditio etiam libera ſit.

DICO autem V. Contra recentiores Thomiſtas, Deus etiam futura illa conditionata perfectè cognóſcit per ſcientiam, quam appellant *conditionalium*, ſeu *conditionatam*, *tum ſcientiam mediam*, quia veluti media eſt inter naturalem, & liberam. *Prob.* 1. Authoritate Sacræ Scripturæ. 1. *Reg.* 21. Vbi duo futura eiuſmodi conditionata reuelantur Dauidi. Alterum quidem, quòd, ſi remaneret in ciuitate Ceylâ, Saül eò venturus eſſet, omniaque vaſtaturus. Alterum, quòd Ceylitæ ipſum tradituri eſſent. Nec dicant, hæc fuiſſe à Deo præſcita propter decretum efficax & abſolutum determinandi in tali caſu Ceylitas, & Saülem: ſic enim Deus diceretur ſceleris illius author: quod nefas eſt, &c. Item, *Matth.* 11. ait Tyrios, & Sidonios pœnitentiam fuiſſe acturos, ſi parem cum Iudæis gratiam accepiſſent. Et verò, illa Tyriorum futura pœnitentia, nunquam de facto extitit: ergo futura fuit tantùm *conditionatè*, non autem *abſolutè*; ac proinde præſciri tantùm potuit beneficio *mediæ ſcientiæ*. *Reſpondent aliqui*, ſciri hæc à Deo tantùm per coniecturam quandam veluti probabilem; quamobrem non rarò, ſimili in re, adijcitur particula *ſi forè*. Sed contra eſt. Nam *fortè* illud eam tantùm ob cauſam adijcitur, vt exprimatur noſtræ libertatis contingentia, iuxta communem hominum loquendi modum. Verùm, hæc nihilominus Dei atteſtatio debet eſſe infallibilis, ac proinde ſupponens in Deo certam atque infallibilem Dei notitiam, non autem probabilem duntaxat coniecturam.

Alioqui Fides Chriſtiana, fundata in Dei atteſtatione, non eſſet abſolutè infallibilis; potuiſſetque Dauid dubitare de Diuino oraculo.

Prob. 2. Authoritate SS. Patrum; vt, quando quærunt, cur Deus creauerit Angelos, quos præſciebat peccaturos & damnandos; cur Adamum, quem ſciebat lapſurum; &c. vt videre eſt apud S. Auguſt. *lib.* 22. *de Ciuit. Dei. c.* 1. Item, ſcientiam illam cõditionalem admittunt, vbi ad illud Sapientis dictum, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius*, docent, iuſtos aliquando rapi à Deo prematurâ morte, quia præſcit illos, ſi diutius viuerent, peccaturos & damnandos, &c.

Prob. 3. *Ratione.* Quia futura eiuſmodi conditionata ſuam habent veritatem, & quidem determinatam in ſuo ſtatu, perinde per proportionem ac ea, quæ ſunt abſolutè futura: ergo perinde cognoſci à Deo debent: alioqui Diuina ſcientia non attingeret veritatem omnem poſſibilem. Nec dubium eſt, veritatem omnem eſſe cognoſcibilem; quo pacto, per proportionem, lux & color omnis eſt viſibilis; & bonum amabile; ac proinde, cùm ſit cognoſcibilis, neceſſe eſt illam à Deo prorſus cognoſci. *Probatur verò Ant.* Quia v.g. Petrus poſitus in talibus circunſtantijs, & cum tali gratiæ auxilio, conuertetur: ergo verum erat, quòd ſi hæc ita diſponerentur, conuerteret ſeſe ad Deum. *Conf.* 1. Quia datis talibus Gratiæ auxilijs, vel conuertetur, vel non conuertetur: ergo ex duabus illis propoſitionibus, cùm ſint tam per ſe, & tam immediatè contradictoriæ, quàm abſolutæ; tam debet altera in ſuo ſtatu conditionato eſſe determinatè vera. *Conf.* 2. Quia Deus alioqui careret illâ parte prouiden-

tiæ, per quam ijs rebus proſpicitur, quæ in tali, vel tali caſu poſſunt euenire. Item, fruſtra peteremus à Deo, vt hæc, aut illa auertat, ex hypotheſi, quod exitio nobis ſint futura. Item, ſublatâ certitudine huius præſcientiæ, non poteſt explicari efficax aliquorum vocatio, tum Prædeſtinatio ad gloriam, & ſimiles Diuinæ prouidentiæ effectus, qui libertatem non lædant, niſi dicatur infallibiliter præuidere eos bene vſuros illis medijs, ſi dentur. Sic etiam ſæpenumero Sancti Patres docent, Deũ, interdum, iuſtis præmaturam mortem immittere, vt iam dixi, cùm præuidet peccaturos, ſi diutius viuerent.

NOTANDVMQVE eſt 1. Plures ex Aduerſarijs, vi argumentorum, tandem fuiſſe adductos, vt non negarent ſcientiam omnem conditionatam in Deo; ſed aiunt, futura illa conditionata non præſciri à Deo, niſi propter decretum efficax & abſolutum, quo phyſicè prædeterminarentur: quemadmodum oſtendi in exemplo Ceylitarum. At pugnarent contra eos, quæ in Phyſicâ Vniuerſali attuli contra Prædeterminationes phyſicas. Item, Quæſtiones, quas modò attuli ex SS. Patribus, haberent hunc ſenſum, cur Deus creauit Angelos, quos præſciebat à ſe prædeterminandos ad actum peccati, vnde, conſequenter ad ſuam illam Prædeterminationem, non poſſent non damnari, &c. quæ certè admodum ſunt dura, &c. Quare

NOT. 2. Nos agere tantùm de præſcientiâ conditionatâ ſeu mediâ, ſuppoſitâ noſtrâ ſententiâ de auxilijs Gratiæ ad bene viuendum *repudiabilibus*. Item,

NOT. 3. Præſcientiam illam omnem, ab æterno exiſtentem in Deo, eſſe infallibilem; nec tamen nocere libertati noſtri Arbitrij. Non

enim ideo res futuræ ſunt, quia præſciuntur à Deo; ſed potiùs ideo præſciuntur à Deo, quia futuræ ſunt. Vnde ſcientia Diuina, quæ totâ æternitate prior eſt ad noſtros actus, ijs tamen poſterior eſt cauſalitate, vt obſeruaui in Logicâ, vbi *de futuris contingentibus*. Neque idcirco Diuina cognitio ſic dicitur propriè cauſari, aut fieri dependens formaliter ab illo obiecto; nam eo tantùm ſenſu obiectum eſt prius cauſalitate, quòd ſit conditio veluti prærequiſita ad huiuſmodi cognitionem Diuinam. Quemadmodum iam explicui ſuperiori Tract. *Diſp.* 9. *c.* 5. *ad Obiect.* 3.

NOT. 4. Deum creaturas, earumque effectus cognoſcere in ſeipſo, tanquam in obiecto primario priùs cognito, creaturarum, prout in ſe ſunt, repræſentatiuo. Prætereà verò, cùm creaturæ ſecundùm eſſe ſuum proprium & formale in ſeipſis immediatè ſint cognoſcibiles; inde conſequens eſt, vt Diuina cognitio, pro ſuâ perfectione infinitâ, ſeſe immediatè ad illas, earumque effectus extendat. Quo pacto, liberi effectus voluntatis noſtræ videntur à Deo in ſeipſis, pro eâ temporis differentiâ, in quâ exiſtunt. Non enim videntur determinatè in ſuis cauſis, quia illæ cauſæ de ſe, & in actu primo indeterminatæ ſunt; nec proinde liberi effectus noſtri poſſunt habere determinatam veritatem, niſi vt iam producuntur, & in ſe exiſtunt pro ſuâ temporis differentiâ. Neque verò etiam, quod volunt recentiores Thomiſtæ, per viſionem Dei hæc attinguntur, ob realem ſui præſentiam in æternitate; cùm eiuſmodi præſentia realis ſit impoſſibilis: vt ſuperiori c. 5. iam oſtendi; viſque intellectus Diuini infinita ſufficiat ad illam rei cuiuſcunque, pro ſuâ

temporis differentiâ, viſionem; vt iam dictum eſt.

NOT. 5. In actibus intellectus, vti & in actibus voluntatis Diuinæ, dari aliquem ordinem prioris & poſterioris, non quidem ſecundùm rem, ſed tantùm ſecundùm rationem, ſeu ſecundùm noſtrum intelligendi modum, varia *rationis ſigna* diſtinguendo, cum fundamento in re; vt explicemus, quo veluti ordine Deus aut cognoſcat, aut velit, ſeu decernat.

NOT. 6. Dei Scientiam ſeu Sapientiam dici rerum cauſam, quatenus Deus ad extrà nihil operatur, niſi ex ideâ & cognitione quaſi directiuâ Omnipotentiæ ipſius. Quæ quidem Sapientia quàm ſit mirabilis, intelligere quilibet poteſt, non ſolùm ex Mundi fabricâ & gubernatione, ſed etiam ex rerum naturalium vel minimarum contemplatione. Quod autem aiunt Thomiſtæ nonnulli, Scientiam viſionis eſſe cauſam rerum; refutabitur cap. de Omnipotentiâ.

****

CAPVT IX.

Soluuntur Obiectiones.

OBIIC. 1. D. Th. meminit tantùm ſcientiæ naturalis & liberæ; nec ea, quæ ſupponitur *media* ſeu *conditionata*, eſt niſi recentiorum commentum quoddam. ℞. 1. Paſſim à Theologis, & à SS. PP. vulgò illam ſupponi, vt iam dixi: quanquam tribuitur maximè recentioribus nonnullis, eo nomine, quod ab

ijs

ijs explicata fuerit accuratiùs, ad conciliandam cum Diuinâ gratiâ libertatem creaturæ, aduerſùs nouos Aduerſarios. ℞. 2. D. Thomam non meminiſſe quidem, expreſsè & in terminis, *ſcientiæ mediæ*, ſed ab illo tamen approbari manifeſtè. 3. p. q. 1. a. 5. ad 2. vbi docet, verba illa Chriſti Domini, *ſi in Tyro, & Sidone, &c.* fuiſſe atteſtationem Diuinam de Pœnitentiâ Tyriorum futurâ, quæ tamen futura tantùm fuit *conditionatè*. Item, ℞. 3. D. Thomam non meminiſſe expreſsè Scientiæ mediæ, quòd illam confundat, vel cum Scientiâ naturali, abſtrahente à rerum actuali exiſtentiâ; vel ſi lubet, quæ eſt de rebus nunquam futuris, & conſequenter nullum præſupponens in Deo decretum *abſolutè* exiſtens: vel illam confundit cum Scientiâ liberâ, quæ ſupponit liberum Dei decretum, ſaltem futurum ſub conditione.

Inſt. Damnantur eo nomine Semipelagiani à S. Auguſt. quòd ſequeretur iſtam de Scientiâ conditionatâ doctrinam. ℞. Illius duntaxat abuſum reprehendi à D. Auguſt. quòd ſcilicet docerent, aliquos vocari ad gratiam Fidei, & conſequenter ſaluari, ob merita, quæ præuidebantur in ijs fuiſſe futura, ſi vixiſſent; vel reprobari ab illâ gratiâ, ob demerita ſimili modo præſcita: quod falſum eſt. Nemo enim iudicatur à Deo, niſi ob id quod de facto *geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum*, vt loquitur Sacra Scriptura. Alioqui deberent multi damnari à Deo, qui è viuis rapiuntur prematurâ morte, quia malè victuri erant; debuiſſentque omnino ſaluari Tyrij & Sidonij, quos ſciebat acturos pœnitentiam. Quare notandum eſt diligenter, D. Auguſtinum diſputantem aduer-

ſus Semipelagianos, meminiſſe duntaxat præſcientiæ abſolutæ, quæ nimirum ſit de *abſolutè* futuris, quia hæc ſola ſufficiens eſt & prærequiſita ad decernenda vel præmia, vel ſupplicia.

Obijc. 2. Illa futura conditionata nullam habent determinationem; ſunt enim duntaxat in ſtatu indeterminationis; quia futura non ſunt, niſi poſitâ conditione, & poſito Dei decreto, quo ſtatuat cum illis concurrere; cuiuſmodi conditiones ſupponuntur nondum eſſe determinatæ, imò nec determinandæ vnquam; vt contigit de Tyrijs & Sidonijs: ergo futura illa conditionata non habent vllam determinatam veritatem, nec proinde cognoſci à Deo determinatè poſſunt. *Diſt.* Non habent quidem veritatem *abſolutè* determinatam, *C.* Sed habent *conditionatè* ſaltem determinatam. Deus enim vidit conſenſum aut diſſenſum voluntatis futurum aut non futurum, ex hypotheſi quòd ponantur illæ conditiones, quas perfectè nouit; atque in primis nouit decreta ſua conditionata, cùm ſeſe, ac proinde voluntatis ſuæ decreta omnia poſſibilia perfectè comprehendat.

Inſt. 1. Futura illa conditionata, & nunquam de facto & abſolutè futura, nihil ſunt actu quoad *eſſe*; ergo nec quoad *cognoſci*. ℞. Nihil eſſe quidem *abſolutè*, ſed *conditionatè* ſolùm. Item, quamuis nihil ſint actu, hoc non impedit, quominus cognoſcantur actu à Deo. Quâ ratione cognoſcuntur actu à Deo omnia poſſibilia.

Inſt. 2. In illis propoſitionibus de futuro conditionato, Verbum non adſignificat vllum tempus, aut præteritum, aut præſens, aut futurum; ergo ſimpliciter non *ſunt*. ℞. Satis eſt

quòd *eſſent futura*, aitque Suares, illas propoſitiones idcirco abſtrahere à tempore *abſolutè*, neque in ijs Verbum copulare, niſi *conditionatè*; quod tamen non impedit earum veritatem determinatam.

Inſt. 3. Futura illa conditionata, quæ nunquam ſunt futura abſolutè, ſunt in ſtatu meræ poſſibilitatis; cum indifferentiâ ad *eſſe* aut ad non *eſſe* actu. *Tr.* Ergo non habent in ſe determinatam veritatem; ſiquidem hoc pacto non habent *eſſe* determinatum. *Diſt.* Non habent *abſolutè* determinatum, *Tr.* conditionatè, *N.*

Inſt. 4. Nihil aſſignari poteſt, vnde oriatur illa determinatio. ℟. Oritur à voluntate, quæ ſeſe, poſitâ conditione, determinaret: ſicque à Deo præuidetur effectus liberæ voluntatis, non quidem in voluntate ſeſe pro aliquâ temporis differentiâ determinante, ſed potiùs, quæ determinaret ſeſe.

Obijc. 3. Illa ſcientia inuolueret neceſſariò illationem vnius ex alio per aliquem diſcurſum. Atqui non diſcurrit Deus; vt oſtendimus in Logicâ. *Diſp.* 4. *c.* 1. ℟. Valere quidem iſtud apud nos, ex noſtro cognoſcendi modo imperfecto; Deus tamen, cuius intelligentia infinitè perfectior eſt, veritatem conditionatam ſimplici veluti intuitu cognoſcit, vt in ſe eſt, perinde ac abſolutam. Neque vlla eius cognitio conſtat ex Antecedente & Conſequente, cùm ea ſit vis Diuinæ intelligentiæ, vt de ſe repræſentet quæcunque ſunt, eo modo quo ſunt, aut eſſe in ſe poſſunt, vel abſolutè, vel conditionatè.

NOTANDVMQVE eſt, hic ſermonem eſſe de conditionatis, quæ connexionem habent cum ſuo Antecedente: alioqui, falſum hoc eſſet de

ſe, *ſi Petrus ridet, arbor florebit*: hæc enim connexionem, de ſe, nullam habent; nec ſunt, de ſe, fundamentum vllius veritatis.

Obijc. 4. Nulla eſt neceſſitas admittendæ illius Scientiæ, foretque in Deo prorſus inutilis; cùm omne cognoſcibile attingat per ſcientiam tum naturalem, tum liberam. ℞. Per eam dirigi decreta, quibus vult efficaciter aliquid fieri per Liberum creaturæ Arbitrium; vt iam expoſui.

Inſt. Eſſet prior in Deo ad ſcientiam viſionis; nec poſſet explicari genus illud prioritatis. ℞. Eſſet prior prioritate rationis, quatenus dirigit Dei liberum decretum ad aliquid efficiendum in creaturis; ſicque decretum abſolutum ſupponit virtualiter conditionatum; quo pacto, & voluntas abſoluta ſaluandi aliquos ex hominibus, non eſt niſi conſequens ad conditionatam de omnibus ſaluandis, iuxta Apoſt. 1. *Tim.* 2. Non enim vult de ſe & Antecedenter ſaluos omnes fieri, niſi conditionatè.

Obijc. 5. Deus ante omne decretum ſuæ voluntatis non ſcit, quot homines vel Angelos eſſet producturus, ſi crearet alium Mundum; ergo ante omne decretum ſimiliter neſciret, quot vel quales actus eſſent producendi ab illis hominibus aut Angelis. Alioquin, ſi ante omne ſuum decretum ſciret, quot eſſent futuri homines aut Angeli, non eſſet liber in eorum productione, nam eſſent independentes ab eius libertate, &c. ℞. *Diſt. Ant.* Ante omne decretum ſuæ voluntatis, etiam ſub conditione ponendum, non ſcit, quot homines, &c. *C.* Nam hæc ſcientia ſupponit obiectum eſſe futurum ſaltem ſub conditione; ac proinde inuoluens [illegible] decretum in tali hypotheſi. Alioquin, ſi

negaretur tam omne decretum conditionatum, quàm abſolutum; in illâ hypotheſi verum concluderent Aduerſarij.

Obijc. 6. Scientia conditionata ſupponit decretum Dei liberum: ergo eſt ſcientia libera. *Diſt. Ant.* Supponit decretum conditionatum, *C.* Ergo eſt libera. *Diſt.* Secundùm quid, *C.* ſimpliciter, *N.* Quam ob cauſam hæc media eſt inter ſcientiam naturalem, quæ nullum ſupponit decretum, & inter liberum ſimpliciter, quæ ſupponit decretum ſimpliciter & abſolutum.

Obijc. 7. Non poſſet explicari, quomodo non fieret mutatio in Deo, vbi ſcientia, de conditionatâ, redderetur abſoluta: ergo nulla eſt illa conditionata. ℟. Scientiam in Deo omnem eſſe eandem prorſus, nec diuerſam appellari niſi ex parte obiecti: habetque pro ſuâ infinitate, quicquid requiritur intrinſecè ad hoc vt denominetur tum ſcientia naturalis, tum libera, tum conditionata. Neque verò etiam ad diuerſas denominationes eiuſmodi confert obiectum, niſi vt conditio. Quo pacto, & voluntas conditionata v. g. ſaluandi omnes homines, de ſe in actu primo, & quantum eſt ex parte Dei, eſt efficax ad inferendam hominum omnium ſalutem, ſi ſeruare mandata voluerint; aut ſi alia conditio requiſita non deſideretur; tum vbi adeſt conditio, dicitur tranſire de conditionatâ in abſolutam, eamque in actu ſecundo efficacem. At ille tranſitus non eſt ex parte voluntatis Diuinæ, quæ de ſe eſt ſemper eadem, cum omni ſufficientiâ intrinſecâ ad diuerſas illas denominationes, ſed tantùm ex parte obiecti, aut conditionis, quâ poſitâ, voluntas Diuina fit efficax in actu ſecundo, & noua oriatur denominatio in Deo; quemadmodum per

proportionem, poſitâ effectione Mundi, accipit in tempore denominationem Creatoris, &c.

****

CAPVT X.

Dei Voluntate.

VOLVNTAS, ex communi loquendi modo, ſumitur & pro actu ipſius facultatis: quo pacto, voluntas, quamuis in DEO vnica ſit realiter ac ſimpliciſſima, quemadmodum, per proportionem, diximus de Scientiâ; diuiditur tamen in voluntatem *neceſſariam* ac *liberam*: tum in voluntatem *ſigni* & *beneplaciti*: deinde, in *Antecedentem* & *conſequentem*: in *efficacem* & *inefficacem*: ac denique in *conditionatam* & *abſolutam*.

DICO enim I. Dubium non eſt, quin DEUS ſeſe velit, ametque *neceſſariò*: quippe neceſſariò eſt volens aliquâ volitione; cùm volitio ſit eius vita, perinde ac intellectio; nec poteſt non velle aut amare ſeſe, cùm ſit infinitè amabilis, & primum atque immediatum ſuæ voluntatis obiectum. Item, ſic, per ſe, amat neceſſariò, amore ſaltem ſimplicis complacentiæ, creaturas omnes, quatenus ſunt participationes quædam bonitatis ipſius increatæ; & neceſſariam habent cum eius omnipotentiâ connexionem. Quare non poteſt amare ſeſe adæquatè, ſeu ſecundùm latitudinem totam amabilitatis ſuæ, niſi eas quoque amet; ſi tamen non obeſt peccati malitia, vt dicam poſteà.

At præter hanc voluntatem neceſſariam, habet quoque, de ſe, & *liberam*, cum indiffe-

rentiâ ad agendum aut non agendum, qualis eſt, vel creandi vel non creandi Mundi : ſicque ab eius nutu pendet creatura omnis, &c. Notandumque eſt, actum Dei liberum aliud nihil eſſe, quàm voluntatem ipſam neceſſariam, prout tamen extenditur ac terminatur ad creaturas, ad quas poterat non extendi aut non terminari: vti quidem iam expoſui, cùm agerem de immutabilitate Diuinâ. Item,

Dico II. Voluntas *beneplaciti*, eſt ipſe voluntatis Diuinæ actus internus, quo aliquid vult. At voluntas *ſigni*, eſt externum ſignum, quo ſignificat ſe aliquid velle: putà, cùm præcipit aut prohibet; &c. Semperque voluntas ſigni in Deo reſpondet voluntati beneplaciti; cùm habere falſitatem nequeat; quamuis non ſemper ſignificet præcisè id quod primò concipimus. Quemadmodum, quando præcepit Abrahamo, vt immolaret Filium, ſignificabat quidem ſe velle, vt eſſet hac in re promptus ac obediens; non tamen, vt, de facto, immolaret.

Dico III. Voluntas *Antecedens* ea eſt, quâ Deus, ſecundùm ſe, & pro ſuâ bonitate, non habitâ ratione aliarum circunſtantiarum, vult aliquid: qualis eſt voluntas generalis ſaluandi omnes homines. At voluntas *conſequens* ea eſt, quâ vult aliquid, poſitis quibuſdam circunſtantijs, putà ſuppoſito liberæ voluntatis noſtræ conſenſu; iuxta quam, damnat ſceleratos, & ſaluat iuſtos, conſequenter ad eorum opera. Sic Mercator, *Antecedenter*, & quatenus eſt de ſe, vult merces ſuas omnes ſaluas eſſe; at ingruente periculo naufragij, vult *conſequenter* eas proijcere in mare, ne ipſe pereat.

Dico IV. Voluntas *efficax* ea eſt, quæ infert effectum; *inefficax* autem, quæ effectu caret;

qualis eſt ſimplex complacentia, aut velleitas. Ac

DICO V. Voluntas efficax in DEO alia eſt *conditionata*, quæ ſcilicet alligata eſt alicui conditioni, ſine quâ res non fiat; ſic Deus, quantùm eſt de ſe, vult te ſaluum fieri; ſi tamen legem ipſius implere volueris. Alia autem eſt *abſoluta*, quæ nullam includit conditionem: quare impletur ſemper, nec illi quiſquam poteſt obſiſtere, iuxta illud Iſa. 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis mea voluntas fiet*; ideóque vocatur ſimpliciter efficax.

DICO autem VI. Pendere à Dei voluntate quæcunque in Mundo exiſtunt: quatenus illa non fiunt, niſi DEO, vel volente poſitiuè, vel ſaltem permittente. *Prob.* Quia nihil eſt in creatis, quod ſecundùm *eſſe* ſuum non dependeat effectiuè à Libero DEI Arbitrio, vel tanquam à causâ particulari, vel tanquam à causâ Vniuerſali concurrente ad ſingulos agentis cuiuſcunque creati effectus, vel determinatè & poſitiuè illos volendo; vel ſaltem permittendo vt fiant.

NOTABIS enim, DEUM, pro ſuâ ſapientiâ, permittere peccata creaturæ, quatenus vult non impedire ipſius libertatem; illique proptereà offerre concurſum indifferentem ad alterutrum; tum; ne deſit officio primæ cauſæ, quando voluntas creata ſeſe ad peccatum determinat, ſimul concurrere cum eâ ad entitatem actus praui; etſi peccatum ipſum velle poſitiuè non poteſt, tam ſecundùm materiale ipſius, quàm ſecundùm formale; quemadmodum exponam poſteà, vbi de Sanctitate DEI.

DICO VII. Suæ ſunt propriæ affectiones voluntatis Diuinæ, perinde per proportionem ac creatæ.

ac creatæ. Sic enim in Deo eſt amor, odium, miſericordia, ira, &c. Quanquam

NOTABIS 1. Iram & Miſericordiam in eo exiſtere, non quoad affectum Doloris aut Triſtitiæ vllum; ſed tantùm quoad effectus externos, quos inferunt. At in eo non eſt Spes; cùm bona omnia perfectè poſſideat; neque verò etiam in eo eſt Deſperatio; cùm ipſi nihil ſit impoſſibile, imò, ne difficile quidem. Item, nec Timorem habet aut Triſtitiam; cùm nullius generis malum illi inferri queat. Item,

NOT. 2. Propterea vocari aliquando in Scripturis *Deum virtutum*; quòd voluntatem habeat ſummè perfectam circa obiecta virtutum earum, quæ Deo poſſunt competere; ſic enim in eo eſt ſummè perfecta Charitas, Miſericordia, Iuſtitia, Liberalitas, Magnificentia, Clementia, Benignitas, Patientia & Longanimitas, Fidelitas in præſtandis promiſſis; veracitas, &c. de quibus ſingulis, alio in capite. Quin etiam

NOT. 3. Volitionem Dei liberam omnem, eſſe perfectionem in DEO, non tantùm phyſicam, quatenus eſt actus vitalis, ſeu vita in actu ſecundo; quæ vita, ex ſuo genere, eſt excellentiſſima perfectio, quâ gradus rerum viuentium excedit perfectionem rerum vitâ carentium; ſed etiam moralem; quia nulla eſt DEI volitio libera, quæ non ſit aut actus alicuius virtutis, putà vel Charitatis, vel Miſericordiæ, &c. vel certè eſt ex aliquâ virtute: quomodo Mundi creatio & gubernatio, eſt, tum propter bonum hominis, quem tantoperè pro ſuâ benignitate diligit; tum maximè ad ſuæ Maieſtatis gloriam: quâ finis intentione ſanctior nulla eſſe poteſt. Item,

NOT. 4. Liberas omnes Dei volitiones, quibus ſtatuit aliquid agere ad extrà, finem intendendo, tum eligendo media ad illum finem; liberas, inquam, volitiones illas, à Theologis vocari *decreta*; cuiuſmodi etiam decreta, aiunt eſſe cauſas rerum, vel abſolutè, vel conditionatè; provt ſunt decreta vel abſoluta, vel conditionata. Item,

NOT. 5. Decreta illa libera, etſi cauſari ſecundùm entitatem nullo modo poſſint, cùm idem ſint formaliter cum Diuinâ ipsâ eſſentiâ, quæ nullã cauſalitatem effectiuam & realem in ſe admittit; habent tamen aliquod *virtualis* cauſalitatis genus; tum ordinem inter ſe virtualem *Prioris* & *Poſterioris*. Quo pacto, volitio efficax conditionata dandæ omnibus Gloriæ, dicitur prior volitione conferendi gratias ad meritum neceſſarias, & eſſe cauſa illius: ipſaque voluntas abſoluta dandæ Gloriæ, vt poſteà demonſtrabimus, dicitur tantùm eſſe poſterior ad præuiſa noſtra opera, & eſſe ipſorum veluti effectus, in genere cauſæ meritoriæ. Idem enim eſt aſſignandus ordo inter decreta Dei ab æterno, qui eſt cauſalitatis inter res ipſas in Tempore.

CAPVT XI.

Dei Omnipotentia.

POTENTIA in Deo duplex aſſignari ſolet; altera quidem, quâ Perſonæ ad intra; altera, quâ creaturæ ad extra producuntur. De iſtâ iam diſputamus; nec immeritò ſtatim initio

Symboli præfigitur, cùm ſit vnum ex primarijs Fidei Chriſtianæ capitibus. Eſt autem infinita, quatenus poteſt effectus plures in infinitum ſeſe in ratione eſſentiali ſuperantes versùs maximum ſine termino; tum, quicquid non inuoluit contradictionem.

Dico autem 1. Iſtas prætereà prærogatiuas habere Diuinam omnipotentiam; primò, vt non agat niſi perfectiſſimo modo, nempe ex ſcientiâ rei faciendæ; quo in caſu, illa Dei ſcientia dicitur practica, & cauſa rerum in genere cauſæ exemplaris, ſeu per modum Ideæ. 2. Agit ex libertate, ſeu ex decreto libero: alioquin ſi Deus foret agens neceſſarium, vt ſenſit Ariſt. nihil poſſet actu efficere. Nam agendo totum id quod poteſt, ſimul ageret oppoſita ſui inuicem deſtructiua. Deinde cùm illa omnipotentia ſit de ſe indeterminata, nec poſſit omnia collectiuè, quæ poteſt diſtributiuè, (vt habetur in Phyſicâ de Infinito) nullum eſſet agens aſſignabile, à quo determinaretur. 3. Deus præſtat omnia, ſolo, vt ita loquar, ſuæ voluntatis nutu; quatenus ſine adminiſtris, ſine inſtrumentorum ſupellectile, ſine præexiſtente materiâ, & ex nihilo omnia procreat. Quâ ratione eſt independens non tantùm à materiâ, ſed etiam & à tempore; cùm vniuerſum Orbem, Mundoſque alios in infinitum præſtantiores creare poſſit in inſtanti, vt vulgò aiunt; ſicque eſt operatiuus ad extrà, per æternum ſuæ liberæ voluntatis decretum, vt tamen effectum non inferat, niſi in eâ virtuali æternitatis parte quam eligit. 4. Poteſt vniuerſas creaturas immutare, annihilare, annihilatas ad *eſſe* reuocare: item, & rem adhuc exiſtentem iterum reproducere, & replicare in infinitum diuerſa

in locis, pro Arbitrio ſuo; poteſt eorum ordinem inuertere; poteſt contraria ad ipſarum naturam, putà corpora ſimul penetratiuè conſtituere in eodem loco: poteſt in ijs, quod libuerit præſtare, poteſt ad effectus ſupernaturales eleuare; quemadmodum diximus, vbi de potentiâ obedientiali. Quinta denique prærogatiua Diuinæ potentiæ eſt, vt nulla potentia in creaturis reperiatur, quæ ab eo deriuata non ſit, ipſique ſubordinata.

NOTANDVMQVE eſt 1. In Deo, vt ita loquar, cum omnipotentiâ concurrere tum Ideam, veluti operis directiuam, tum liberum voluntatis decretum, per quod, ipſa omnipotentia, de ſe indifferens, quaſi applicetur ac determinetur ad agendum. Item,

NOT. 2. Iuxta nonnullos Thomiſtas, hanc Dei omnipotentiam executiuam non eſſe aliud, quàm imperium efficax Diuinæ voluntatis. *Sed contrà eſt.* Primò, quia par ratio eſt, vt afferatur diſtinctio inter voluntatem & omnipotentiam, perinde ac inter cætera attributa; poteſtque omnino concipi eſſentia Diuina, vt reſpondens virtuti actiuæ, quæ eſt in creaturis, ſeu quatenus omnipotentiæ æquiualens, præſcindendo ab intellectu & voluntate. 2. Quia velle creare Mundum, non eſt creare Mundum; ſiquidem volitio eſt operatio immanens; creatio verò tranſiens; ergo non ſunt idem. 3. Sequeretur peccatum à Deo imperari, dum ad illud concurrit; cùm potius illud prohibeat puniatque. Item,

NOT. 3. Contra nonnullos etiam Thomiſtas, non eam, quæ dicitur Scientia viſionis, ſed naturalem, ſeu ſimplicis intelligentiæ, eſſe cauſam rerum. *Prob.* Quia ex D. Th. q. 14. a. 8. Scien-

tia Dei ſe habet ad res creatas, ſicut Scientia Artificis ad res Artificiatas; dirigendo ſcilicet potentiam illius executiuam; ac proinde prior eſt de ſe ad effectum; quod non poteſt conuenire viſioni, quæ ſupponit exiſtentiam obiecti; eſtque ad illam duntaxat conſequens. Quo pacto, SS. Patres, apud Ruiz & Petauium docent, non ideo peccatum Petri exiſtere, quia præſcitur à Deo; ſed ideo præſciri à Deo, quia exiſtit in ſuâ temporis differentiâ: nec Deus legitur Gen. 1. *vidiſſe cuncta quæ fecerat*, niſi poſtquam, per imperium efficax, Mundum condidit. *Conf.* Quia alioquin daretur locus errori Ethnicorum de fatali rerum humanarum neceſſitate, dum argumentantur ex præſcientiâ Diuinâ: cui tamen obſiſtunt SS. Patres, ſupponendo hanc quam ſequimur doctrinam.

Cum igitur D. Th. a. 9. diſtinguit obiectum Scientiæ viſionis à naturali, quam dicit eſſe rerum, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, vnde inferunt Aduerſarij, non poſſe illam conſequenter eſſe cauſam rerum, quæ futuræ ſunt. ℟. Loqui D. Thomam de Scientiâ tantùm naturali ſpeculatiuâ, non autem de practicâ. Alioqui non foret adæquata illa diuiſio Scientiæ Diuinæ, nec loqueretur conſequenter ad ea, quæ tradidit præcedenri articulo, &c.

Nec dicas, eſſet imperfectio in Deo, ſi viſio illius dependeret aut cauſaretur ab obiecto creato. Iam enim Reſpondi, non dependere, hoc modo, formaliter, ſed tantùm obiectiuè, &c.

CAPVT XII.

Dei ſupremum Dominium.

SVPPONO Ex Morali. *Tract. 2. Diſput. 4. cap. 3.* Dominium, vnde quis vocatur Dominus, eſſe jus, vel gubernandi, vel diſponendi de re aliquâ, tanquam ſuâ. Quare Dominium, vt ſic, diuiditur in Dominium *proprietatis*, & *Iuriſdictionis*: vtrumque conuenit Deo, modo eminentiſſimo.

DICO autem I. Deus habet Dominium proprietatis in creaturas omnes, quo perfectius nullum excogitari poteſt; quamobrem ijs vti poteſt ad ſuum Arbitrium, ſeu, prout voluerit illas ſeruare, immutare, annihilare, &c. Sicque habetur Eſtheris 13. *Domine Rex omnipotens, in tuâ ditione cuncta ſunt poſita, Dominus omnium es, &c.* Atque huius quidem Dominij ratio & titulus primarius eſt creatio & dependentia eſſentialis, quam habet omnis creatura à Deó, cùm à ſolo Deo potuerit creari ex nihilo. Quare, hoc nomine, plus habet iuris in creaturam, quàm Figulus in vas à ſe confictum; vti quidem præclarè explicat Apoſt. *Rom. 9.*

NOTANDVMQVE eſt, dependentiam hanc creaturæ à Deo, eſſe continuam; cùm eádem actione eodemque influxu iugiter conſeruari à Deo debeat, quo primùm fuit producta, ne recidat in nihilum.

DICO II. Eſt etiam in Deo ſummâ cum perfectione Dominium Iuriſdictionis. Poteſt enim

quas voluerit leges imponere, abrogare, pœnam aut præmium ſtatuere, &c.

NOTANDVMQVE eſt, Dominium illud omne Dei eſſe independens, vniuerſale ad omnes, & ad omne tempus; nec vllum eſt in creatis Dominium, niſi ab eo deriuatum & dependens: hancque ob cauſam vocatur *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. 1. *Timoth*. 6. Item, & cap. 1. *Rex ſæculorum*. Iuxta illud quoque Pſalmi 144. *Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum, &c.*

NOTABIS verò 2. Contra Caluinum; Deum, etſi habeat in creaturam dominium omnino abſolutum; non poſſe tamen eſſe illud iniuſtum & contrarium ipſius bonitati. Quamobrem non poteſt, pro nudo Arbitrio, damnare innocentem, *poſitiuè* illum tormentis ſubijciendo. Ita D. Auguſt. lib. 3. contra Iulianum. *Iuſtus eſt Deus*, inquit; *poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt autem quenquam ſine malis meritis damnare; quia iuſtus eſt*. Quò enim quis magis naturâ propenſus eſt ad benefaciendum, eò magis abhorret ab inferendo malo, præſertim iniuſto: ergo Deus, qui, pro ſuâ bonitate, eſt infinitè propenſus ad benefaciendum, infinitè abhorret ab omni malo iniuſto; nec proinde inferri ab eo poteſt. Nec dicas, hoc præcisè non repugnat cum ſupremo illius Dominio. *Tranſ.* Satis eſt quòd repugnet Bonitati & Iuſtitiæ. Illud enim repugnat abſolutè eſſe à Deo, quod alicui ex eius attributis aduerſatur. Quo pacto, v. g. ſatis eſt, quòd repugnet Diuinæ immutabilitati, Mundum annihilari, ex hypotheſi, quòd decreuerit ipſum conſeruare; quanuis abſolutè, & de ſe; ratione Omnipotentiæ, annihilari de

facto poſſit. Ita Becanus in Quæſtionibus Calviniſticis; ita omnes, qui ſcribunt aduersùs Caluini Dogma tam ferale de Prædeſtinatione poſitiuâ ad pœnas damnatorum, ante præuiſa vlla demerita, vt explicabitur poſteà, vbi de Prouidentiâ. Nam eo potiſſimùm nomine tam deteſtabilem doctrinam reijciunt; quòd repugnet Dei iuſtitiæ & bonitati, &c. Quanquam, contra Baïum & Ianſeniſtas,

NOTABIS 3. Aliam eſſe rationem, vbi agitur de malo duntaxat *priuatiuo*, alteri, etiam innocenti, inferendo, cuiuſmodi eſt mors aut annihilatio. *Prob.* Quia Deus creaturis conſeruationem impendit ex ſolâ bonitate, non verò ex aliquâ Iuſtitiâ: nec tenetur facere illud, quod eſt præcisè maioris bonitatis, ſeu quod eſt tantum *iuxta* bonitatem, modò non ſit *contra* bonitatem, aut contra iuſtitiam. Alioqui teneretur, iuxta maiorem bonitatem, ſaluare tandem aliquando omnes dàmnatos; quod aſſeruêre aliqui Hæretici; tum eos vnire ſibi hypoſtaticè, &c. *Conf.* 1. Quia Deus non haberet abſolutum & illimitatum dominium, niſi pro ſuo libito poſſet ipſos etiam Angelos, Mundumque vniuerſum annihilare. *Conf.* 2. Quia Deus plus habet poteſtatis in creaturas, quàm Figulus in vas fictile: ergo ſi pro ſuo libito abſolutè poteſt Figulus vas ſuum perdere; poteſt à fortiori Deus abſolutè creaturam omnem aut conſeruare, aut perimere, aut in nihilum redigere. *Conf.* 3. Quia non eſſet ſpeciale Dei beneficium erga Angelos v. g. quòd conſeruarentur; quia ex hypotheſi creationis, ſi modo eſſent immunes à culpâ, non poſſent non conſeruari. Item, Adami Innocentis immortalitas non fuiſſet beneficium conditoris, ſed naturalis conditio:

quod tamen damnatum eſt à Summis Pontif. contra Baïum & Ianſenium. Item, ex eo quòd mortua ſit B. Virgo, ſequeretur illam contraxiſſe aliquod peccatum, ſaltem originale ex Adamo; quam ſequelam admittunt quidem Baij Sectatores, ſed à Summis Pontif. damnata eſt in Bullâ iam citatâ.

Obijc. Mors eſt verè malum homini, quantumuis priuatiuum; ſicuti & annihilatio Angelo: ergo citrà culpam non poſſet inferri: quo pacto negat D. Auguſtinus inferri iuſtè non poſſe damnationem. ℞. *Nego parit.* Non enim idcirco magis foret *miſer* Angelus aut Homo annihilatus, quàm nondum creatus ex nihilo; nec magis repugnaret Diuinæ Bonitati ac Iuſtitiæ, quàm ſi illos creaſſet nunquam.

Arbitraris tamen, rationali creaturæ de facto nunquam inferri à Deo malum huiuſmodi priuatiuum, nempe mortem, niſi culpâ aliquâ præſuppoſitâ. Quâ ratione legimus *mortem intraſſe in Mundum per peccatum.* Verùm, ſic agit Deus tantùm ex merâ benignitate, etſi pro iure ſuo contrarium poſſet. Quod legere eſt in Phyſicâ Parte. *Tract. de Generatione Corporis animati. Diſp. 4. cap. 2.*

CAPVT XIII.

Dei Bonitas.

FRVSTRA hoc loco repeterem ea, quæ de naturâ *Bonitatis & Boni*, iam explicata ſunt initio Moralis Philoſophiæ. Satis eſt, ſi obſeruauero duplex eſſe genus Bonitatis. Nam altera

quidem eſt *naturalis*: *Moralis* altera, quæ dicitur *ſanctitas*, de quâ ſequenti capite ſermonem facturi ſumus. Bonitas naturalis, eſt naturæ perfectio tam ſecundùm eſſentialia, quàm ſecundùm accidentialia: quo pacto homo dicitur eſſe naturæ perfectioris quàm lapis, aut planta, aut brutum. His poſitis;

Dico I. Deus habet naturæ bonitatem infinitam, & quidem modo infinito; quia poſſibilem omnem Entis perfectionem in ſe continet ſine vllâ imperfectione, imò cum ſummâ perfectione; nam illam continet per eſſentiam, cum omnimodâ illimitatione, immutabilitate, independentiâ; &c. Quamobrem

Dico II. Ex illâ bonitatis infinitâ perfectione, ſequitur *beneficentia*, quæ in creaturas, tanto ex amore, tam varijs modis, ac tam mirabilem in modum veluti profunditur.

Notabis enim 1. Quòd, pro ſuâ illâ bonitate, ex Sap. 11. *Diligit omnia quæ ſunt, & nihil odit eorum quæ fecit*. Cùm enim legimus Sap. 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius*. Reſpondet D. Auguſt. eum non odiſſe, de ſe, in peccatore naturam quam fecit, ſed peccatum, cuius eſſe author non poteſt; nec odit Perſonam, pœnas illi deſtinans, niſi ratione peccati. Item,

Not. 2. Oriri ex illâ bonitate & amore, quòd tam infinitis naturæ & gratiæ, tum gloriæ donis cumulet creaturam rationalem. Hinc nominum tanta varietas, quibus in Sacris Literis, bonitatis illius tam multi affectus & effectus commendantur. Hinc miſericordia, quâ pœnitentes à peccati ſeruitute, & ab æternâ damnatione eripit; paratus, quantùm in ſe eſt, omnes

omnino homines ſimili modo redimere: hinc Clementia, quâ iniurias atque offenſas remittit, pœnaſque debitas aut condonat aut mitigat. Hinc Longanimitas & Patientia, non quidem in tolerandis doloribus aut ærumnis, cùm patiendi mali ſit incapax; ſed ferendo tot iniurias, peccata omnis generis, contemptum, ſummamque ingratitudinem, quam ipſi, loco tot beneficiorum, homines rependunt; vindictam cohibendo, & expectando ad pœnitentiam, cùm poſſit momento illos perdere. Hinc Benignitas, tam innumeris diuerſi generis beneficijs ingratos cumulando; toties relapſos, in priſtinum gratiæ ſtatum reſtituendo: ſolatium præbendo afflictis; affectu quaſi paterno, bona quæ ad ſalutem non modò animi, ſed etiam corporis attinent, procurando. Hinc denique ſit, vt ipſe dicatur eſſe Spes, Vita, Gloria, Beatitudo noſtra, cuius poſſeſſione & fruitione ſimus æternùm beati.

NOTABIS quidem 3. Simul in Deo cum bonitate eſſe *iuſtitiam*, non modò quâ bonorum merita compenſet, ſed etiam quâ pœnas improbis debitas infligat. Sed hæc non repugnat ſummæ illius bonitati, cùm potiùs, vt loquitur Sacra Scriptura, *obuiens ſibi mutuò, & oſculentur*. Ratio eſt, ex Tertul. Quia *de ſuo tantùm eſt bonus*; quantùm eſt ex ſe, nos bonis cumulans; neque eſt niſi *de noſtro iuſtus*, quatenus pœnas, niſi ob noſtram improbitatem, non infert.

rationem poſitam eſſe, primò, in excellentiâ & ſublimitate naturæ Diuinæ ſupra omnem ordinem Entis creati, quatenus perfectionem omnem poſſibilem, & modo infinitè perfecto comprehendit, cum ineffabili Trinitate Perſonarum in vnitate Naturæ; &c. Eamque ob cauſam, vt ſcribit Origenes, Sanctus à Græcis dicitur ἅγιος, id eſt, ſuperioris ordinis ad terrena omnia, ſeu potiùs & ad ſubſtantiam omnem creatam; vnde & ſummo honore, ſummáque veneratione eſt dignus, inſtar auguſtæ cuiuſdam *Majeſtatis*, quæ ſit ordinis ſuperioris ad creatam omnem *Majeſtatem*; quod, ex aliorum interpretatione, ſonat vox illa ἅγιος, quaſi deriuetur ab ἅζομαι, id eſt, veneror. Item præterea, in eo poſita eſt Dei Sanctitas, quòd illi tanquam proprietas eſſentialis competat viſio ſui comprehenſiua, & amor ſupra omnia indefectibilis; tum in omni volitione & in moribus infinitè perfecta conformitas cum Lege æterna. Quamobrem

DICO III. Cùm illam Sanctitatem, vt obiectum ſibi maximè proprium, amet neceſſariò; inde ſequitur, vt pari neceſſitate odio habeat peccatum, quatenus illi eſt repugnans; quod in Sacris Literis legitur tam ſæpe: confirmaturque ex eo, quòd tam ſeuerè peccatum prohibeat; eamque ob cauſam peccatorem priuet omnibus Gratiæ donis, ac æternâ beatitudine; tum iuſto iudicio illum addicat ſempiternis inferorum cruciatibus.

Caluinus tamen, præter hanc Dei voluntatem reuelatam, quâ peccatum omne deteſtatur, docet aliam ineſſe illi quandam arcanam,

quâ efficaciter & abſolutè ordinauit tum Adami, tum aliorum hominum peccata; deinde varijs modis procurare, vt perficiatur id negotij, ſiue per Dæmonem, ſiue per homines, tum ipſummet, vi occultâ, prædeterminare phyſicè ac neceſſitare voluntates, vt ab ijs tandem perpetrentur. At

DICO IV. Plena eſt erroris atque impietatis hæc doctrina. Primò enim ſic deſtrueretur ipſa Dei Sanctitas, volendo poſitiuè & efficiendo illud, quod per ſe turpe eſt, & Legi æternæ repugnans: nec verum foret Triſagion, quod à Beatis in Cœlo decantatur: imò, tum fœdaretur ſemper nouis peccatorum maculis, quoties ab hominibus admittuntur: ſiquidem neceſſe eſt, vt peccati macula contrahatur ab eo, qui eſt peccati illius author. 2. Deſtruerent ſeſe duæ illæ voluntates, quas ſupponit in Deo; idem enim illud vellet, quod ſummo odio proſequitur. Sic enim legitur Sap. 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas eius.* 3. Mendax foret, vbi ait ſe odiſſe peccatum, illud etiam tam ſeuerè prohibendo: ſi autem vel vllum poſſibile eſſet in Deo mendacium, non haberet veracitatem ſummâ cum perfectione, perinde ac cætera attributa; nec firma eſſet vlla in ipſum fides; rueretque omnis Religio: quippè dubitaretur meritò, num diceret verum, aliquid reuelando. 4. Si vellet hominem peccare, ſequeretur eum qui peccat non peccare: neque enim quis peccat conformando ſeſe Diuinæ voluntati. 5. Sequeretur nos orare quotidie vt fiant peccata, vbi dicimus, *fiat voluntas tua*, &c. 6. Non *omnium miſeretur*, quod legimus *Sap.* 11. ſiquidem hoc pacto maiorem hominum partem perderet. 7. Summæ eſſet crude-

litatis, qui tam iniuſtè homines cruciaret æternis damnatorum ſupplicijs, ob ea facinora, quorum ipſe author foret. Conſtatque, vel vno ex hoc Dogmate, Caluinum, non Diuino Spiritu, ſed potius Diabolico fuiſſe afflatum, vbi diſceſſit à Romanâ Religione, illam tam atrociter ſcriptis proſcindendo; nec tutas eſſe hominis tam prophani partes, in negotio grauis adeo momenti, vbi agitur æterna ſalus. Impietatem hanc, quæ iam à Zuinglio latiùs promanarat, quamque vltrò ſuſceperat à Caluino Beza, viſus eſt poſteà ipſe Caluinus deteſtari, vt ſeruiret tempori, cùm, eo nomine, ſe apud multos peſſimè audire ſentiret; nec pauci ex Sectatoribus illum à labe tam turpi purgare ſtuduerunt; ſed verbis adeo diſertis, & tam prolixè lib. 1. Inſt. doctrinam hanc tradit, vt nullum relinquat effugij locum; vnde & cap. 18. §. 3. ſic concludit: *Iam ſatis apertè oſtendi, Deum vocari eum omnium authorem, quæ volunt iſti cenſores*, nempe Catholici, *otioſo tantùm permiſſu contingere.*

NOTABIS verò, Ex his conſequi, vt, quando vel Hominis vel Dæmonis aliquod malum facinus tribuitur Deo *volenti, inſtiganti & procuranti*, accipiendum ſit illud de voluntate Dei, non poſitiuâ, ſed permiſſiuâ tantum; quòd ſine illâ ſaltem, fieri nihil in Mundo queat. Ita etiam v.g. dicitur Deus præcepiſſe Semei, vt maledicerer Dauidi, non impediendo, ſed potius quaſi remittendo habenas, prono ad hanc nequitiam eius animo; quo pacto, per proportionem, Venator dicitur Canem immittere in Leporem, nihil aliud faciendo, quàm laxando funem, quo tenetur alligatus, & ſinendo illum proprio ferri impetu. Hac etiam ratione dicitur

incitari

incitari Dæmon aut vir ſceleratus ad aliquod malum inferendum, vbi à Deo ſinitur agere ſuo libito, & eo modo quo de ſe eſt paratus. Item, vt loquitur D. Th. peccator à Deo incitatur *occaſionaliter*; quâ ratione legimus *conuertiſſe corda Ægyptiorum, vt odirent populum Iſraeliticum*, nempe illum varijs beneficijs cumulando, vnde Ægyptij ſumerent maioris odij occaſionem. Item, dicitur Deus permittere peccatum, aut indurare peccatorem, ſubtrahendo videlicet gratiam vberiorem, quâ, de facto, peccatum vitari faciliùs potuiſſet.

NOT. 2. Ex Doctoribus Catholicis, Bannem & Aluarem cum Sectatoribus, non negare, quin ſaltem Deus velit poſitiuè peccati materiale, ſeu phyſicam actionem, quam etiam ab æterno abſolutè prædeterminarit exiſtere in tempore: quemadmodum habetur in Phyſicâ Vniu. *Diſput. de Prædeterminatione, cap.* 4. *Aſſert.* 4. At

DICO V. Ne materiale quidem peccati velle poteſt Deus *poſitiuè*; etſi non fiat niſi illo *permittente*, vt exponebam ſuprà. Cap. 10. ad Aſſert. 6. *Prob.* Quia illud non eſt prudenter & honeſtè volibile, quod habet annexam peccati malitiam moralem; neque alio modo peccat creatura rationalis, quàm proſequendo rem ſimili circunſtantiâ affectam; eamque ſolùm ob cauſam, in Phyſicâ Vni. loco mox citato, oſtendimus, Deum fore authorem peccati, ſi admitteretur Prædeterminare phyſicè voluntatem vel ad ipſum materiale peccati. Sic legimus Apoc. 2. odiſſe Deum *facta* Nicolaitarum; ſicque impium, quanuis, ſecundùm *eſſe* phyſicum, ſit creatura à Deo, ipſi tamen, vt eſt ſub peccato, fieri odioſum. *Sap.* 14.

Obijc. Ex Sap. 11. Diligi à Deo omnia quæ ſunt: ergo & peccati entitatem: ergo ſic poteſt eſſe obiectum Diuinæ voluntatis poſitiuæ. ℞. Diligi quæ ſunt, niſi exiſtant ſub peccato; alioquin, *odio eſt impius*, &c.

Inſt. 1. Vult Deus poſitiuè & ſimpliciter quicquid ipſe facit; cùm illud non faciat niſi per liberum & efficax ſuæ voluntatis decretum. Atqui ſic Deus facit entitatem peccati, per concurſum liberum in eam effectiuè influendo cum voluntate creatâ, &c. ℞. Vult Deus liberè & poſitiuè id quod facit per decretum de ſe determinatum & abſolutum. *Tr.* At non influit in entitatem peccati, niſi præbendo concurſum indifferentem; tum permittendo voluntati, vt, pro nutu, ad alterutrum ſe determinet. Quo in caſu, ex debito cauſæ primæ, ſine cuius concurſu voluntas illa creata nequiret agere, in entitatem peccati illius influit; ſibi nihilominus ſimul in eâ diſplicendo; neque eam volendo, niſi *permiſſiuè*, non autem poſitiuè.

Inſt. 2. Vult poſitiuè permiſſionem illam peccati. *C.* Ergo & ipſum peccatum, quod habet cum eâ connexionem neceſſariam. ℞. In noſtrâ ſententiâ, peccatum cum eiuſmodi permiſſione non habere connexionem neceſſariam, ſed exiſtere tantùm conſequenter ad conſenſum voluntatis, ſi quem ipſa voluerit præbere: permittere enim aliud nihil eſt, quàm ſinere cauſam liberam agere pro ſuo nutu.

Inſt. 3. Deus amat neceſſariò ſuam Omnipotentiam, ac proinde vult poſitiuè quicquid habet cum eâ connexionem, & ab eâ promanat effectiuè. *Diſt.* Si nullam habet adiunctam circumſtantiam, quâ reddatur illud odibile, *C.* At effectus ille, qui adiunctam habet mo-

ralem malitiam, redditur ex eo turpiter volibilis.

Inſt. 4. Ille eſt effectus poſitiuus, cum bonitate ſaltem tranſcendentali & phyſicâ. *Tr.* Sed ratione adiunctæ moralis malitiæ, non eſt niſi turpiter & inordinatè appetibilis.

Notandvm verò eſt ex dictis, quemadmodum Sanctitas Diuina differat à creatâ. Primò, quòd creatura non habeat Sanctitatem, niſi ſecundùm qualitates accidentales, & perfectionis duntaxat finitæ. Deus autem per ipſam eſſentiam ſuam eſt Sanctus, & quidem Sanctitate infinitâ, quæ eſt illa eſſendi ſublimitas & Majeſtas omni veneratione poſſibili digna. 2. Quia, tam ſecundùm intellectum, quàm ſecundùm voluntatem, eſt infinitæ perfectionis principium emanatiuum Perſonarum; habetque in actibus liberis bonitatem Moralem modo infinitè perfecto; ſiquidem non ſecundùm accidens, ſed potius ſecundùm identitatem eſſentialem, ac proinde ex abſolutâ neceſſitate voluntatem habet conformem cum æternâ Lege. Tertiò denique, quia etiam Sanctus eſt infinitè in operationibus ad extrà, ſiue vt legitur Pſal. 144. *Sanctus eſt in omnibus operibus ſuis*, nihil agendo ad extrà, niſi ex amore gloriæ ſuæ; cuiuſmodi in amore potiſſimùm conſiſtit Sanctitas actualis; eamque præcipuè ob cauſam Tertia Perſona in Diuinis vocatur *Spiritus Sanctus*, quia eſt amor à Patre Filioque procedens, qui & dicitur amor ſubſiſtens & Perſonalis. Ex quibus concludo, Deum, ſic eſſe *ter Sanctum*. Quo etiam pacto, vt dicitur *ſolùs* abſolutè *altiſſimus*, ita & *ſolus Sanctus*, quæ eſt tam auguſta, vt iam dixi, & tam ſublimis ordinis eius Majeſtas; ſolus, inquam, eſt *eſſen-*

tialiter Sanctus; item, *ſolus eſt bonus*, & *ſolus Sanctus*, quatenus eo nomine ſolus eſt amabilis ſupra omnia, & amore appretiatiuè ſummo, vt explicui in Morali; tum etiam, quòd eandem ob cauſam ſolus ſit adoratione & cultu Latriæ honorandus.

NOT. 2. Perſonas, reſque omnes eas, quæ Diuino cultui vel miniſterio conſecratæ ſunt, propterea vocari Sanctas; quâ ratione, per proportionem, quæ ad Regem ſpectant, vocantur *Regia*. Ita Lex à Deo promulgata vocatur Sancta, ſic Templa, Sacerdotes, Templorum ſupellex, aliaque id genus dicuntur etiam Sancta. Quanquam magis propriè conuenit Perſonis, quæ per qualitatem Gratiæ Sanctificantis ad *eſſe* Diuinum eleuantur; quo pacto Angeli aut Homines fiunt formaliter Sancti. Cuiuſmodi Sanctitatis natura paulò fuſiùs nobis iam explicanda eſt, ad maiorem huius capitis intelligentiam.

****

APPENDIX.

De Sanctificatione Hominis.

Ad Explicandam & confirmandam Capitis ſuperioris Doctrinam.

I. Sanctitatis noſtræ exiſtentia.

SANCTIFICATIO, vel vt communiter loquuntur, Iuſtificatio, eſt aut tranſitus à ſtatu peccati mortalis ad ſtatum Gratiæ Sanctificantis; quæ dicitur *prima iuſtificatio*: aut eſt augmen-

tum eiuſdem Gratiæ Sanctificantis ; hancque appellant *ſecundam* iuſtificationem ; de quâ Apoc. 22. *Qui Iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.*

Conſtat verò, etiam apud noſtros Hæreticos, in Iuſtificatione remitti peccata : & quanuis in ſolâ remiſſione peccatorum non ſit tota poſita; frequentiùs tamen explicari ſolet per remiſſionem peccatorum, tanquam per effectum magis notum. Eam tamen peccatorum remiſſionem Aduerſarij ſtatuunt eſſe duntaxat *imputatiuam*: nec volunt Sanctitatem ſeu Iuſtitiam, vnde quis denominetur formaliter *Sanctus* ſeu *Iuſtus*, eſſe donum illi intrinſecum, ſed tantùm extrinſecum, nempe Chriſti Domini *iuſtitiam*, eámque actualem, putà eius meritum & obedientiam in perferendâ morte, ad ſatisfaciendum pro hominum peccatis. Sic autem fieri hominem iuſtum docent, quatenus illi applicatur, ſeu imputatur Chriſti Iuſtitia ; per quam non tollantur quidem, vt aiunt, ſed duntaxat tegantur peccata ; neque imputentur coram Deo ad vllam damnationem : vt autem obtineatur illa Iuſtitia, inquiunt, non eſt opus aliâ diſpoſitione aut applicatione, quàm per actum Fidei ; quo ſenſu tradunt *ſolam fidem iuſtificare*, cauſaliter ſaltem, ſeu diſpoſitiuè, quatenus per Fidem apprehenditur Chriſti Iuſtitia, & credenti communicatur : vno verbo, quatenus credunt Chriſtum pro remiſſione ſuorum peccatorum eſſe mortuum ; quam Fidem appellant *ſpecialem*, vt illam diſtinguant à Fide Hiſtoricâ rerum, quæ narrantur in Sacris Literis ; aut à Fide Myſteriorum, per quam creduntur Myſteria ; tum maximè à Fide generali promiſſionum Diuinarum, quâ ſcilicet credimus veras eſſe ipſius promiſſiones. Atque hanc Fidem

ſpecialem docent Lutherus & Caluinus, eſſe præcipuum Religionis Chriſtianæ caput, & qui hanc doctrinam ſequitur, tam eſſe certum de propriâ ſalute, quàm Chriſtus ſiat de ſuâ. Quo potiſſimùm Dogmate Sectas ſuas propagarunt, tantam ſalutis facilitatem prædicando, & omnes habenas in diſciplinâ morum laxando.

Nihil autem Sacris Literis magis apertè repugnat: primò, cum docent Eph. 1. *Elegiſſe nos, vt eſſemus immaculati in conſpectu eius.* 1. Ioan. 1. *Chriſti ſanguinem emundare nos ab omni peccato*: à Chriſto *tolli peccata Mundi.* Ioan. 1. & Ezech. 36. *Emundari nos ab omnibus inquinamentis.* Item, in Pſalmis toties, eſſe Beatos, qui ſunt *immaculati in viâ*, &c. Quamobrem ſic dicuntur *tegi peccata* Pſal. 31. vt ſimul *tollantur deleanturque.*

Secundò, etſi legamus nos ſaluari per Fidem; non proptereà inferendum eſt ſaluari per *ſolam*: quod auſus eſt addere Lutherus; nec aliam facti tam inſolentis cauſam attulit, quàm, *ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.* Locum citat Card. Richelæus *in Meth.* Certè, habemus apud Iac. 2. *Ex operibus iuſtificari hominem, & non ex Fide tantùm.* Item, Apoſt. ſcribit ad Gal. 5. in Chriſto valere tantùm eam Fidem, *quæ per charitatem operatur*: vnde 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil ſum.* Matth. 10. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Item, Luc 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*, &c.

3. Chriſtus dicitur quidem *noſtra iuſtitia*, ſed tantùm *meritoriè*; non autem quâ ſimus formaliter iuſti; ſic enim dicitur perinde & *noſtra ſapientia*; non tamen quâ formaliter ſimus ſapientes: & verò, inquit Apoſt. Rom. 5.

ſicut per inobedientiam Adami, id eſt, ex demerito Adami, *peccatores conſtituuntur multi*, per peccatum ſingulis intrinſecè inexiſtens; *ita per Chriſti obeditionem*, meritoriè videlicet, *iuſti conſtituuntur multi*, per iuſtitiam vtique ipſis, perinde per proportionem inhærentem; alioqui non valeret illa antitheſis Chriſti & Adami. Neque verò poſſent vlli reputari à Deo *iuſti*, cùm ſupponant Aduerſarij in iuſtificatione remanere ſemper maculas peccatorum; ſequeretur enim potiùs eſſe verè iniuſtos, & ſimiles Sepulchris dealbatis, quòd in ijs tegerentur duntaxat, non autem tollerentur peccatorum ſordes. Conſtat pretereà ex varijs Sacræ Scripturæ locis, quemadmodum Sanctitas illa ſit donum nobis intrinſecè inhærens. Primò enim, hæc eſt *charitas*, quam legimus. Rom. 5. eſſe *diffuſam in cordibus noſtris*. Item, eſt *pignus* Spiritus Sanctus, quod dedit in cordibus noſtris. 2. Cor. 1. Tum *ſemen ipſius*, quod in nobis manet 1. Ioan. 5. Item, docet Apoſt. nos per iuſtificationem reſtitui ad eum Animæ ſtatum, ex quo per peccatum Adami excidimus, vbi Eph. 4. hortatur, vt *induamus nouũ hominem, qui ſecundùm Deus creatus eſt in Iuſtitia & Sanctitate*: vel vt ſcribit ad Coloſſ. 3. *Induentes nouum hominem ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum*. Et hanc quidem imaginem per Adamī peccatum obliteratam, non negat ipſe Caluinus Lib. 2. Inſt. c. 1. §. 1. poſitam fuiſſe *in ornamentis Sapientiæ, Virtutis, Sanctitatis & Iuſtitiæ*: nec aliud iſta ſonant, quàm donum Gratiæ Sanctificantis intrinſecè inhærens; eſtque illa imago Dei, quam 1. *Cor.* 11. dicuntur iuſti portare; nec dicitur vllus quidquam portare, niſi quod in ipſo eſt. Ac denique in

Aduerſariorum doctrinâ explicari non poſſet, quemadmodum, iuxta Scripturam, in Iuſtificatione *Regeneremur, creeturque in nobis vir nouum*. Item, quomodo *Fiamus noua creatura. Eph. 2.* Neque enim quis dicitur regenerari, aut aliquid in eo creari, ſine nouâ mutatione. Item, qui iuſtus eſt, non poſſet magis iuſtificari, ex Apoc. 22. quia eadem ſemper foret Chriſti iuſtitia, &c. Quæ tam clara ſunt, vt mentiatur iniquitas ſibi; ſcribatque ipſe Caluinus lib. de verâ ratione reformandæ Eccleſiæ, circa initium, *nunquam reconciliari nos Deo, quin ſimul donemur inhærente iuſtitiâ.*

II. Sanctitatis noſtræ natura.

Quæ hactenus ex Sacris Literis protuli; ea traduntur à Conc. Tridentino Seſſ. *6.* c. 7. &c. docet enim, 1. Cauſam formalem noſtræ iuſtificationis eſſe vnicam, eamque eſſe Iuſtitiam Dei, non quâ ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit. 2. Nos iuſtos hoc modo fieri per *ſuſceptionem Gratiæ & donorum*, vnde interiùs ſanctificemur, renouemur ac regeneremur in Filios Dei. 3. Iuſtitiam illam in nobis recipi, dum per Spiritum Sanctum charitas diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis *inhæret.*

NOTANDVMQVE eſt conſequenter 1. Nos ſanctificari ſeu iuſtificari formaliter per aliquid intrinſecum, quod tamen non ſit increatum. Quòd eſt contra Petrum Lombardum Magiſtrum Sententiarum, vbi docet Charitatem habitualem non eſſe aliquid creatum in Animâ, ſed ipſummet Spiritum Sanctum. Quæ doctrina vulgò reijcitur tanquam erronea. Leſſius verò,

quem tamen vix vllus, in hac parte, ſequitur præter Petauium. *Tom. 2. Dogm.* dum exiſtimat, homines ſolâ Diuinitate Spiritus Sancti conſtitui formaliter iuſtos: ne videatur repugnare Tridentino, admittit quoque qualitates infuſas, putà Charitatis habitum, quo mediante, inſtar vinculi cuiuſdam, Spiritus Sanctus cum animâ vniatur; ſic tamen, vt hoc vinculum non ſit forma Sanctificans, ſed ſola Spiritus Sancti Diuinitas; quo pacto, per proportionem, ſola eſt anima, quæ corpus formaliter viuum & animatum conſtituit, non autem vnio, per quam intelligitur eſſe vnita cum corpore. Hæc autem ſententia refutatur à Maratio. *Tract. de Gratiâ. Diſput. XI.* & vulgò ab alijs. Primò, quia ſequeretur Hominem fieri iuſtum ipſámet iuſtitiâ, quâ iuſtus eſt Deus: quod repugnat Trid. 2. Quia Deus non recipitur in Animâ Iuſti, tanquam aliquid ipſi *inhærens*, quod eſt proprium accidentium. 3. Si formaliter conſtitueremur Iuſti per ipſammet naturam Diuinam, nobis realiter communicatam, non eſſemus Filij Dei adoptiui, ſed naturales. Nam adoptio non fit formaliter per realem coniunctionem naturæ illius qui adoptat, ſed tantùm per voluntatem habendi aliquem loco Filij; vnde etiam adoptatus non deſinit eſſe extraneus adoptanti, quia non eſt Filius per communicationem eiuſdem naturæ. Ac propterea Chriſtus Dominus non eſt Filius adoptiuus, ſed naturalis; quia formaliter conſtituitur Filius per naturam Diuinam, illi communicatam hypoſtaticè. Ex quo ſequitur 4. Iuſtum omnem fore infinitè Sanctum, nec proinde poſſe vnum fieri alio Sanctiorem: quia forma vnita ſubiecto, tribuit illi neceſſariò

omnem effectum formalem primarium, quem poteſt illi tribuere, cùm iſte alius non ſit, quàm formæ communicatio; nec aliam ob cauſam Humanitas in Chriſto Domino eſt infinitè Sancta. Adde, quòd vnio ſubſtantialis nulla fingi poteſt, quàm aut ſecundùm naturam, ſeu ad conſtituendam naturam vnam, qualis eſt vnio formæ ſubſtantialis cum materiâ primâ; aut ſecundùm hypoſtaſim, qualis eſt Verbi Diuini cum Humanitate in Chriſto. Neque enim ſubſtantia vlla eſt perfectibilis ſubſtantialiter, niſi aut ſecundùm naturam, aut ſecundùm hypoſtaſim, &c. Scribit autem Suarez lib. 12. de Trinitate, cap. 5. quemadmodum, citra vnionem ejuſmodi ſubſtantialem, dicatur ſpecialiter mitti Spiritus Sanctus per diuerſa genera gratiarum, cuiuſmodi contulit Apoſtolis die Pentecoſtes; cuiuſmodi etiam dantur maximè in Sacramento Confirmationis; vt legitur in Actis Apoſt. de Samaritanis, qui nondum receperant Spiritum Sanctum, licet Baptiſati fuiſſent; quòd nondum illis hoc Sacramentum adminiſtraſſent Apoſtoli.

NOTABIS igitur 2. Donum Gratiæ Sanctificantis creatæ, aliud nihil eſſe, quàm qualitatem; & eam quidem ex naturâ ſuâ phyſicè permanentem; non verò actum duntaxat perfectæ charitatis phyſicè præteritum, & moraliter perſeuerantem, eo per proportionem modo, quo philoſophamur de peccato habituali. *Prob.* Nam, inquit Catechiſmus Concilij Trid. iuſſu Pij V. editus, *eſt qualitas in Animâ inhærens, ac veluti ſplendor quidam pulchriorem reddens, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ Anathematis propoſitâ*

decreuit. Item, eſt ſtola candida & immaculata, quam iubentur renati conſeruare, & eam perferre ante Tribunal Chriſti Domini; vt quidem legere eſt Seſſ.6.cap.7. Item, ex eodem Conc. qui Baptiſantur, aut ij, qui cum ſolâ attritione in Sacramento iuſtificantur, recipiunt Gratiam iuſtificàntem, in ijs permanentem, & in quâ perſeuerare debent; quæ certè non poſſunt dici de aliquo actu perfectæ charitatis; cùm etiam infantes ſint omnis actus eiuſmodi incapaces: ergo neceſſe eſt, ex Trident. vt dicatur eſſe qualitas aliqua phyſicè permanẽs. Iten, cùm doceat iuſtificationis noſtræ cauſam formalem eſſe vnicam, inde etiam facile intelligas, gratiam Sanctificantem adultorum & paruulorum eſſe vniformem, omnemque eſſe rationis eiuſdem. Item, hæc *ſemen* eſt, quod dicitur remanere in eo, qui ex Deo natus eſt. 1.Ioa.3.&c. quæ ſolùm de qualitate aliquâ permanenti poſſunt accipi. Atque iſtâ quidem ſuppoſitâ Fidei doctrinâ;

DICO I. Cum D.Th. Suare, multiſque alijs, contra Vaſqueſium, &c. Gratia Sanctificans eſt qualitas ſpiritualis ſupernaturalis, nobis diuinitus infuſa, per quam ipſa animæ ſubſtantia eleuetur ad *eſſe* ſupernaturale quoddam & Diuinum. *Prob*. Quia, vt in nobis, iuxta Fidem Catholicam, exiſtunt Charitatis & aliarum virtutum actus ſupernaturales; ita ſupponere debent *eſſe* quoddam ſupernaturale; cùm ordinem hunc vbique ſeruet Diuina ſapientia, vt in omnibus rebus hæc diſtinguantur ſemper, *eſſe*, *poſſe*. *&* *operari*: nec, iuxta hanc legem, inquit D. Diony[illegible] c. 2. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ; *Homo poteſt operari Diuina, niſi adeptus fuerit eſſe ſeu ſtatum Diuinum*: quo pacto, per propor-

tionem, non poſſunt exerceri vllæ operationes Humanæ, niſi ſuppoſito *eſſe* humano. Quemadmodum igitur Homo in *eſſe* Hominis conſtituitur per Animam rationalem, cui proinde, tanquam principio radicali operationum rationalium, debentur connaturaliter intellectus & voluntas libera: ita, per proportionem, creatura intelligens, ſiue Angelus, ſiue Homo, eleuatur ad *eſſe* Diuinum, per qualitatem Gratiæ Sanctificantis, in ipsâ immediatè ſubſtantiâ receptam; quam deinde veluti proprietates quædam aut facultates ad agendum in illo ordine Diuino conſequantur Charitas, alijque virtutum ſupernaturalium habitus. *Conf.* 1. Quia, vt Charitas v. g. diuinitus infuſa, quæ eſt participatio Charitatis Diuinæ, voluntatem eleuat ad *operari* Diuinum; ita Gratia Sanctificans, quæ eſt Naturæ Diuinæ participatio, eleuat ipſam Animæ eſſentiam ad *eſſe* Diuinum: nec dubium eſt, quin Natura in Deo, vt Natura, perinde ſit participabilis, ac ipſius Attributa: ſiquidem ex eo dicitur Deus participabilis, quòd ſit bonus & ſui diffuſiuus: at Natura in Deo, vt Natura eſt, non minùs cenſeri debet bona & perfecta, quàm Potentia, Sapientia, aliaque Attributa, nec proinde minùs participabilis; non quidem *eſſentialiter*, quod ſolis SS. Trinitatis Perſonis conuenit; neque Hypoſtaticè ſeu Perſonaliter, quod Humanitatis Chriſti Domini proprium eſt, ſed accidentaliter duntaxat, beneficio huius Gratiæ Sanctificantis. Quo igitur pacto, per accidentalem participationem aut Potentiæ, aut Sapientiæ Diuinæ, verè, realiter, ac phyſicè dicimur Potentes ac Sapientes; ita Naturæ ipſius Diuinæ participatio, per qualitatem

Gratiæ Sanctificantis, facit nos quoque eſſe *Deos* iuxta illud Pſal. *Ego dixi, vos Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Si enim dictum hoc cadit in viros Principes, quòd Diuinam in ſubditos poteſtatem repræſentent; ijs, à fortiori, debet attribui, qui Naturæ ipſius Imaginem in ſe expreſſam ita gerunt, vt inde *Filij Dei nominentur & ſint*, cum iure ad ipſius hæreditatem. 1. *Ioan.* 3. Hîc autem ſupponimus, primò, Naturam Dei, vt ſic, eam eſſe, cui, ex proprio & eſſentiali operandi modo, competat clara ſui viſio, tum indefectibilis amor ſui ſupra omnia; qualis Dei viſio & amor, nulli creatæ ſubſtantiæ connaturalis eſſe poteſt. Item, Supponimus. 2. Gratiæ ſanctificanti in nobis, tanquam radicali principio debitam eſſe claram Dei viſionem, &c. ſiquidem, ex Scripturâ Sacrâ, per infuſionem Gratiæ Sanctificantis conſtituimur Filij Dei adoptiui, in ordine ad hæreditatem æternæ beatitudinis, quam aliàs oſtendimus eſſe poſitam in clarâ Dei viſione, &c. vnde ſequitur illam Gratiæ Sanctificantis qualitatem eſſe in nobis inſtar Naturæ Diuinæ, ſeu tanquam Dei participationem ſecundùm intellectualitatis modum ipſi proprium, & per eam, hoc pacto, nos fieri Deiformes, eleuari nos ad *eſſe* Diuinum; &c. Sic B. Petrus Epiſt. 2. c. 1. Scribit *donata eſſe nobis à Deo pretioſa promiſſa, vt per hæc efficiamur conſortes Diuinæ naturæ*: ſicque ex varijs Scripturæ S. locis, dicimur per iuſtificationem *renaſci, regenerari, & filios Dei fieri.* Quemadmodum enim Generatio naturalis nòn terminatur primò & per ſe niſi ad *eſſe* Naturæ; ita nec regeneratio illa ſupernaturalis terminari debet niſi ad illam qualitatem, quæ Animam eleuat ad *eſſe* Diui-

num. Quare conſequenter

DICO II. Charitatis aut perfectæ contritionis, ſiue actus ſiue habitus, non ſunt formæ iuſtificantes, niſi *ſecundùm accidentale*, & *diſpoſitiuè*. Confirm. Ex Trid. Seſſ. 6. cap. 7. dum ait, iuſtificationem fieri per ſuſceptionem *Gratiæ* & *donorum* : quo loco, *dona* ſumuntur potiſſimùm pro virtutibus ſupernaturalibus; nec diceret *Gratiam* & *dona*, ſi hæc eſſent idem realiter : quomodo & Can. 11. eiuſdem Seſſ. fruſtra vteretur diſtinctis vocibus *Gratiæ* & *Charitatis*, ſi deberent confundi. Item, ex Scripturâ, & ex eodem Trid. actus dilectionis DIVINÆ numerantur inter diſpoſitiones ad Gratiam iuſtificantem; dicuntur eſſe illius cauſæ, & illis promittitur à DEO; ergo ſic diſtinctum eſt beneficium : ergo non ſunt idem : ſic etiam Seſſ. 14. cap. 4. legimus Contritionem eſſe præparationem ad remiſſionem peccati, &c. neque verò diſpoſitio ad formam poteſt eſſe idem cum ipsâ formâ. Item, neque iſta perfectio poteſt competere habitui, quæ negatur de actu; ſiquidem ex Ariſt. & D. Th. actus virtutis melior eſt ipſo habitu; quia melius eſt bene agere, quàm *poſſe* bene agere. Nec obſtat, quòd verè docet D. Th. formam eandem, quæ eſt diſpoſitio, poſteà poſſe fieri & proprietatem : quo pacto, calor, qui eſt diſpoſitio ad formam Ignis, ex hypotheſi, quòd non fiat reſolutio vſque ad materiam primam, poſitâ formâ ſubſtanciali Ignis, calor, inquam, remanens, fit eius proprietas, & per eius influxum emanatiuum conſeruatur.

NOTANDVMQVE eſt, quòd, etſi Gratia Sanctificans eſſentialiter ſumpta, ſit ſimplex qualitas; hanc tamen, ſecundùm accidentalia, compleri in eſſe formæ Sanctificantis per

diſtinctos habitus virtutum ſupernaturalium, eorumque actus; quomodo, per Charitatem, vir ſanctus diligit DEUM: per Fidem, quæ priùs fuerat diſpoſitio, tum poſteà fit proprietas, credit in DEUM: quâ ratione Abraham dicitur credidiſſe DEO, & pro eâ ſanctitate, quâ erat prœditus, reputatum illi eſt ad augmentum iuſtitiæ, ſeu Gratiæ Sanctificantis, &c.

Nullius porrò eſt momenti, quod dicunt aliqui, vbi agitur in Trid. de diſpoſitionibus ad Gratiam, ſermonem non eſſe de *dilectione Charitatis*; ſed de eâ tantùm, quæ tribui ſolet Spei Theologicæ: quia dilectio Charitatis, eſt actus *Amici* & *Filij*, cuiuſmodi nullus eſt ante Gratiam iuſtificantem. Nam, ℞. *Fontem iuſtitiæ omnis*, nempe DEUM ſic poſſe diligi ex motiuo Charitatis, propter eam quæ in ipſo eſt bonitatem. Item, actum Charitatis de ſe quidem eſſe actum amantis, amore beneuolentiæ appretiatiuè ſummo, qui tamen nondum habeat rationem amicitiæ, niſi vbi ſit *mutuus & non latens*; quemadmodum explicui in Morali, is autem non fit mutuus in noſtro negotio, niſi poſt iuſtificationem. Et verò, perfecta contritio impij, qui conuertitur ad DEUM, ac proinde, quæ ſupponitur eſſe tanquam diſpoſitio ad iuſtificationem, tribuitur omnino Charitati; quod expreſsè traditur in Trid. Seſſ. 14. cap. 4.

Inſt. 1. In Sacris Literis, & Trid. Charitas vocatur Gratia ipſa iuſtificans; illique ea competunt, quæ tribuuntur Gratiæ: ergo idem ſunt. ℞. Per Charitatem non eleuamur ad *eſſe* DIUINUM; qui eſt primarius effectus formalis & proprius Gratiæ Sanctificantis. Item, hæc vocatur quidem Charitas, ſed tantùm *radicaliter*,

non autem *formaliter*; quo pacto, v. g. Anima vocatur *vita*, quatenus eſt radix & principium vitæ formalis & actualis, ſeu potentiarum & actuum vitalium, qui, ipſi, tanquam radicali principio totius vitæ, debeantur.

Inſt. 2. Perfecta Sanctitas poſita eſt in perfectâ conuerſione & vnione ad Deum, quæ habetur per actum perfectæ Contritionis & Charitatis; vnde qui ſic vnitur ad Deum, dicitur & fieri *vnus Spiritus* cum ipſo: &c. ℟. Conuerſionem & vnionem illam noſtram ad Deum non eſſe Sanctitatem niſi diſpoſitiuè; neque etiam fieri nos, hoc modo, vnum Spiritum cum Deo, niſi diſpoſitiuè; quatenus conſequenter ad noſtram conuerſionem & vnionem ad Deum; ipſe, pro ſuâ bonitate, ad nos conuertitur per amorem mutuum, condonando peccata noſtra, & Gratiam Sanctificantem infundendo; neque inter duos vnquam dicitur eſſe vnus Spiritus, niſi quatenus *mutuum* exercent inter ſe amorem, &c. Item, vir iuſtus, agendo omnia ex amore & intentione Gloriæ Diuinæ, dicitur quoque hac ratione *Sanctus in omnibus operibus ſuis*, illa ſanctificando, & promerendo ſeu diſponendo ſeſe ad maius Gratiæ augmentū.

Iam verò, vt conſequenter ex ſuperiori doctrinâ explicetur paucis, quantæ ſit dignitatis Qualitas illa Gratiæ Sanctificantis;

DICO III. In eo poſitam eſſe primò & per ſe eius excellentiam, quòd eleuet nos ad *eſſe* diuinum, Deos, quodammodo, nos efficiendo, per accidentalem naturæ ipſius, vt natura eſt, participationem: vt iam expoſui. Ex quo ſequitur. 2. vt ſit in nobis Dei imago ſeu ſimilitudo ſupernaturalis, quam peccando mortaliter perdimus, renouaturque per iuſtificationem:

induentes nouum hominem, ſecundùm imaginem eius &c. *Coloſſ.* 3. Duplex enim in nobis diſtinguenda eſt Dei imago; altera quidem naturalis & eſſentialis, quæ nullo deſtruitur peccato; cùm in ipsâ Animæ ſubſtantiâ & potentijs naturalibus conſiſtat; quòd, perinde per proportionem ac Deus, ſit ſpiritualis, immortalis, cum libertate Arbitrij, & rerū dominio; quòd ſit inuiſibilis, omnes tamen corporis partes regens, vegetans, ſuſtentans, &c. Altera autem imago Dei, & quæ ſola peccato obliteratur, eſt ſupernaturalis & accidentalis, nouamque formam ordinis ſupernaturalis, Homini ſecundùm animam inducit, reddendo illum ſimilem Deo, prout Deus ſecundùm naturam eſt in ſupremo genere Entis intellectualis, & perfectiones omnes creaturæ cuiuſcunque poſſibiles modo eminentiori in ſe continens, &c. Quam ob cauſam Anima aut Angelus Sanctus ſuperioris eſt pulchritudinis ad naturalem omnem poſſibilem; quâ etiam ratione Homo iuſtificatus dicitur *noua creatura*, & *nouus Homo*, quatenus ſic illi tribuitur nouus ſtatus. Item, vi ſimilitudinis iſtius dicitur *regenerari* & *naſci ex Deo*, tanquam verè *Filius adoptiuus*, per ordinem ad hæreditatem æternæ beatitudinis, vt legitur tum 1. Petr. 3. tum 1. Ioan. 3. Eph. 1. & ad Tit. 3. &c. Cuius etiam hæreditatis æternæ dicitur eſſe tum *pignus*, tum *ſemen*. Item, ſpecialiter vocatur *Gratia* non tantùm, quia ex ſolo Dei amore proficiſcitur, ſed etiam quia ſpecialiter reddit Gratos Deo; nec poſſint Sancti non eſſe ſpecialiter amabiles Deo, cui eſſentiale eſt diligere ſeſe, & ea quæ ipſius perfectiones participant. Et verò, quomodo Deus non potuit ſeſe in *eſſe* ſubſtantiali perfectiùs communicare

creaturæ, quàm per vnionem hypoſtaticam; ita nec in *eſſe* accidentali, quàm per qualitatem Gratiæ Sanctificantis, cum donis illi connaturaliter annexis. *Conf.* Quia, quemadmodum nulla operatio perfectior communicari poteſt creaturæ, quàm Dei viſio & amor beatificus; ita nec poteſt eſſe vlla qualitas habitualis, quæ perfectiùs participet *eſſe* Diuinum, quàm Gratia Sanctificans, cui, de ſe, vt iam dixi, tanquam principio radicali & connaturali debetur illa Dei clara viſio, & amor beatificus. Item prætereà, iſtæ ſunt Gratiæ Sanctificantis prærogatiuæ, 1. quòd ſit *vita Animæ.* 1. *Ioan.* 3. ſicque Anima non ſolùm habet vitam naturalem, proprias operationes & ſibi connaturales exercendo, ſed etiam & ſupernaturalem, cuius principium eſt iſta Gratia cum habitibus virtutum ſupernaturalium, dum æternam tandem conſequatur, poſitam in clarâ Dei viſione, &c.

Item 2. Conſequenter ad Gratiam, dicitur nobis donari & fieri ſpecialiter præſens Spiritus Sanctus, ac proinde ſimul tota Trinitas, quatenus in Iuſtis tanquam in Templis ſibi conſecratis habitat; & quatenus Deus fit illis ſpecialiter in Deum, in Patrem, in Dominum, in Amicum, ſpeciali dilectione & curâ illos fouẽs, dirigens, &c. Etſi autem hæc iuſtificatio ſit opus commune Tribus Perſonis, attribuitur tamen ſpecialiter Spiritui Sancto; quia is maximè eſt effectus Diuinæ erga iuſtos Charitatis: Deinde, inter Dei dona iſtud maximè eſt eximium; cùm autem donorum omnium primum ſit donantis amor, conſequens eſt, vt hac ratione ſpecialiter donetur Spiritus S. qui eſt Sanctiſſimæ Trinitatis Amor ſubſiſtens.

Dicitur tandem *fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ioan.* 4. dignificando videlicet actus illos virtutum, quibus æternam beatitudinem promereamur.

Dico enim IV. Bona opera noſtra non haberent dignitatem proportionis mediorum ad Gloriam tanquam ad finem ſuum; vel ſi lubet, non haberent proportionem æqualitatis, ſaltem moralis, neceſſariò prærequiſitam ad rationem meriti condigni, niſi eſſent ab homine exiſtente in Gratiâ, tanquam à Filio Dei adoptiuo. Quomodo enim Rex aliquis, Filio, in præmium facinoris alicuius inſignis, dare prudenter poſſet Regni partem aliquam; quod reſpectu hominis plebeij, ob defectum proportionis & æqualitatis ad id requiſitæ, non diceretur niſi vel actus liberalitatis, aut ſtultæ prodigalitatis. Ita Homo peccator, de facto, non habet meritum ex iuſtitiâ, ſeu condignum doni alicuius ſupernaturalis; cùm hoc ſolùm conueniat Iuſto, ratione dignitatis, quam habet ex Filiatione Dei adoptiuâ. Quanquam

Not. 1. Ex Morali Tract. 2. *Diſp* 5. *c.* 4. Cùm omnia bona opera creaturæ cuiuſcunque, de ſe ſint Deo debita, non poſſe per illa Deum conſtitui debitorem; niſi ipſe, pro ſuâ bonitate & miſericordiâ, velit nobis donum aliquod, putà Gloriam, tanquam præmium aut mercedem promittere: quo pacto, Iuſtis promiſit augmentum Gratiæ Sanctificantiś & Gloriæ, cum illis actualis Gratiæ auxilijs, quæ ex parte Dei neceſſaria ſunt ad promerendam Gloriam: potuiſſetque perinde promittere, vt mercedem bonorum operum, ipſam Perſeuerantiam in gratiâ, quam non promiſit, niſi vt gratuitum beneficium, ijs qui aſſiduè illam peterent, eo per proportio-

nem modo, quo petenti pauperi promittitur eleemoſyna. Nec pariter bona temporalia ſic illis promiſit per modum mercedis, cùm ſint infra ipſorum ſtatum, & digna potius eorum contemptu; cùm aſpirare ſolùm debeant ad æterna, &c. Item,

NOTABIS 2. Peccata quidem de ſe mereri pœnam, ob iniuriam DEO illatam, quæ ſic debeat iuſtè reparari; at bona opera, ex oppoſito, perinde non ſunt de ſe ſimpliciter ſeu condignè meritoria Gloriæ, aut doni cuiuſcunque ſupernaturalis, citra promiſſionem DEI; ſicque accipiunt rationem meriti, non ex perfectione aliquâ ſibi de nouo adueniente ſecundùm intrinſecum, ſed tantùm ſecundùm illam DEI promiſſionem ipſis extrinſecam; quâ etiam ratione dicuntur quidem meritoria intrinſecè cum illo extrinſeco; non autem ſine illo.

Atque hæc quidem vniuerſa, quæ hactenus diximus, dignitatem Gratiæ Sanctificantis ſatis oſtendunt; ſed tamen inde prætereà augetur nō parum, quòd ex meritis Chriſti Domini prodeat, tum ipſa nobis eius beneficio applicentur. Item, quòd illi Corpori myſtico, cuius eſt caput Chriſtus DOMINUS, per eam aggeneremur vt viua membra, quibus virtutem influat.

III. Sanctitatis noſtræ oppoſitio cum maculâ peccati: tum cauſa illius productiua.

Ad effectus formales poſitiuos, quos habet Gratia Sanctif. accedit & negatiuus, qui eſt peccati mortalis expulſio. Huic enim per formalem incompoſſibilitatem opponitur, ſiue phyſicè, ſiue ſaltem moraliter; cùm idem Homo eſſe nequeat iuſtus, ſeu diuinæ legi con-

formis, & ſimul illi contrarius ſeu iniuſtus; ſimul Dei amicus & inimicus; ſimul eius Filius adoptiuus cum iure ad hæreditatem æternam; tum ſimul Filius Diaboli. *Ioan.* 8. quatenus eius veluti Spiritum hauriendo, & nutum ſequendo, ſit reus eiuſdem maledictionis ac damnationis æternæ, &c. Huiuſmodi tamen repugnantiam nullam ſiue phyſicam ſiue moralem habet peccatum veniale cum Gratiâ Sanctificante; etſi minuat feruorem charitatis, vnde languidiùs reſiſtatur ad tentationes peccati etiam mortalis. *Prob.* Quia, ex cap. 3. Epiſt. S. Iac. in multis offendunt venialiter etiam iuſti, ſine detrimento ipſius Iuſtitiæ ſeu Gratiæ Sanctificantis: pugnaret enim cum æquitate, vt propter leues offenſas, tam grauiter punirentur, nempe augmenti Gratiæ Sanctific. & conſequenter gloriæ eſſentialis priuatione. *Conf.* Quia fieri poteſt, vt Iuſtus habeat Gratiam tam remiſſam, vt aliquibus tandem peccatis venialibus deſtruatur, in illâ hypotheſi; Vnde peccatum illud poſtremum veniale, hoc pacto redderetur mortale; ac proinde, qui peccaret venialiter, exponeret ſeſe periculo perdendæ Gratiæ Diuinæ: ergo ſic toties peccaret mortaliter: quod falſum eſt. Quare colligere eſt, Gratiam Sanctif. de legè ordinariâ non minui vnquam, ſed tantùm deſtrui totaliter, vbi peccatum mort. incurritur. Iam verò, vt oſtendam quemadmodum opponatur Gratia illa cum peccato mort.

Suppono ex Morali. *Tract.* 2. *Diſp.* 5. *c.* 5. *ad Aſſert.* 10. Maculam peccati mortalis eſſe duplicem: prima, poſita eſt in priuatione Gratiæ habitualis ſeu Sanctificantis, ortâ ex peccato, quæ certè nullo modo ſimul eſſe poteſt cum illâ

Gratiâ; ſiquidem repugnat de ſe formam ſimul eſſe cum priuatione ſui, quæ dicitur oppoſitio ſecundùm *eſſe* phyſicum. Altera verò macula, communis etiam cum peccato veniali, nihil aliud eſt, quàm ipſe actus peccati, phyſicè quidē præteritus, ſed tamen moraliter perſeuerans; quamobrem Gratiæ Sanctificantis cum iſtius generis maculâ oppoſitio non dicitur fieri niſi ſecundùm *eſſe* morale; tum etiam quia

Dico I. Peccati mortalis macula per Gratiam Sanctificantem non expellitur niſi *moraliter*: quomodo enim actus peccati mort. non deſtruit Gratiam illam niſi moraliter & demeritoriè; ita viciſſim nec Gratia Sanctificans peccati ipſius mort. maculam deſtruit niſi moraliter. Quippe Homo, dum peccat mortaliter, meretur priuari tam inſigni dono Gratiæ Sanctificantis; & de lege ordinariâ, priuatur de facto. At quando ſic peccat, Gratia Sanctif. in eo non deſinit, niſi per ſubtractionem concurſus Diuini, quo effectiuè conſeruatur. Nihil autem repugnat abſolutè illam conſeruari ſimul cum peccato ipſo mort. quomodo & abſolutè poteſt qualitatem illam producere & conſeruare in quocunque alio ſubiecto, pro ſuo nutu & ſupremo dominio: ergo Gratia Sanctificans, ſecundùm phyſicam entitatem, de ſe, non repugnat cum peccato mort. actuali; neque à fortiori, cum habituali; etſi, quod aiebam ſuprà, cum eo, ſecundùm *eſſe* ipſius phyſicum, poſitum videlicet in priuatione Gratiæ, ſimul nequeat exiſtere. Ex quibus ſequitur, peccati illius maculam non deleri per formalem incompoſſibilitatem Gratiæ Sanctific. niſi moralem; quatenus nimirum de ſe, ſeu ex naturâ rei, & pro ſuâ dignitate ac veluti merito, Gratia

exigit,vt peccati illius maculam deſtruat Deus, peccatum ipſum condonando.

DICO enim II. Non tollitur illa peccati macula, niſi per fauorem Dei extrinſecum & condonationem, quâ deponat offenſam & jus puniendi peccatorem ipſum, ob iniuriam ſibi illatam ex tranſgreſſione præcepti; &c. *Prob.* Quia non deletur macula peccati per formalem incompoſſibilitatem phyſicam Gratiæ Sanctif. ſiquidem oſtendebamus modò, illam, ſecundùm entitatem phyſicam, ſimul poſſe exiſtere cum peccato mort. ſiue actuali, ſiue habituali; ergo ſupereſt,vt deleatur ſolùm per Dei condonationem illam. *Conf.* 1. Quia Deus poteſt idem à fortiori, quod vnus Homo erga alterum, cùm offenſam erga illum deponit, à quo fuerat læſus. *Conf.* 2. Quia non alio modo poſſet remitti & deleri culpa in ſtatu puræ naturæ, niſi per eiuſmodi condonationem extrinſecam. Notandumque eſt, perinde quoque deleri peccati venialis maculam,per illam condonationem extrinſecam. Quanquam

DICO III. Ne abſolutè quidem peccati vllius, ſaltem Perſonalis, maculam ſic remitti poſſe, abſque aliquo retractationis genere ex parte ipſius Peccatoris. Quare, non tantùm de lege ordinariâ, ſed etiam abſolutè, illud verum eſt, *niſi pœnitentiam habueritis*, &c. *Luc* 13. Ita D.Thom. 3. *p.q* 86. *a.* 2. Probatur ratione. Quia tandiu manet peccatum, quandiu manet cauſa adæquata in ipſum influens: atqui cauſa adæquata peccati habitualis eſt voluntas peccatoris, vt ſuppono ex Morali. *Tract.* 2. *Diſp.* 5. *cap.* 5. *ad Aſſert.* 10. Ergo, quandiu voluntas hæc remanebit immutata, & ſine retractatione illius peccati, nunquam eſſe deſinet.

Conf. Quia peccatum actuale non poteſt non eſſe peccatum, nec poteſt non exiſtere actu, quanuis dicatur condonari & remitti, tum quando exiſtit actu: alioquin ſimul exiſteret peccatum etiam in ratione peccati, ſimulque non exiſteret: nec poteſt efficere huiuſmodi remiſſio & condonatio, vt mendacium v. g. exiſtens non ſit actuale peccatum, ſeu rectæ rationi repugnans, & maculans animam, iniuriam aduersus Deum inferendo, &c. Ergo à pari, nec vlla condonatio poteſt quoque efficere, vt macula peccati, ſeu peccatum habituale non exiſtat, animam reddendo exoſam Deo, &c. *Prob.* Quia, ex Morali, loco iam citato, peccatum iſtud habituale aliud nihil eſt, quàm ipſum actuale perſeuerans actu moraliter, & cum ordine ad eoſdem effectus, quos habet peccatum actuale, actu phyſicè exiſtens. Quemadmodum igitur peccatum actuale, ſeu voluntatis actus phyſicè exiſtens non poteſt non exiſtere, quandiu in illud influit voluntas; ita nec habituale, quandiu ſimiliter in illud influit voluntas, moraliter ſaltem, & ſecundùm æſtimationem communem; nec deſinere ſeu ceſſare alio modo poteſt, quàm voluntate, virtualiter ſaltem, iſtud retractante; quomodo, per proportionem, voluntas, quâ inſtituuntur Contractus, perſeueranter ligat contrahentes;& imperium alicui factum à Superiori, aut munus alteri à Rege impoſitum ceſſare non poteſt, niſi per aliquam retractationem eiuſdem voluntatis; nec potior eſt ratio de ceſſatione peccati moraliter peſeuerantis, quàm de alijs in infinitum id genus voluntatibus, quæ moraliter peſeuerant in ordine ad eoſdem effectus, dum aliquâ tandem ratione retractentur: ne quid dicam

dicam de ipsâ etiam communi *ſignificatione Vocum*, quæ hoc ſolùm modo ſemper eadem perſeuerat, &c.

Obijc. 1. Contra primam Aſſert. Forma abſoluta in ſubiecto exiſtens, illi neceſſariò confert effectum ſuum formalem: ergo Gratia Sanctif. quam ſupponimus poſſe exiſtere ſecundùm phyſicam entitatem in Animâ, remanente ſemper eodem peccato mortali, efficeret hominem Sanctum, Dei amicum, dignum æternâ beatitudine; qui tamen ſimul foret Dei inimicus, reus æternæ damnationis per peccatum. *Diſt. Ant.* Forma exiſtens in ſubiecto capaci, illi ſuos effectus formales conferret, C. Secùs, N. Quo pacto, potentia viſiua, per Diuinam potentiam, exiſtens in lapide, non faceret viſiuum; nec colores exiſtentes in aëre facerent coloratum; nec Anima ſenſitiua exiſtens in oſſe v. g. facit illud eſſe ſentiens, &c. defectu capacitatis in ſubiecto. Ita Gratia Sanct. non reddit Sanctum, hominem, niſi qui ſupponitur purus ab omni labe peccati mort. foretque ille Homo duntaxat Dei inimicus, reus æternæ damnationis, &c.

Inſt. 1. Cùm illa Gratia ſit phyſicè pulchritudo ſupernaturalis, ſic hominem ſaltem reddit phyſicè pulchrum. ℞. *N ſeq* Quia deformitas peccàti impedit, quominus ſubiectum reddatur aut pulchrum, aut aliquâ ratione bonum & amabile: quia bonum ex integrâ causâ, &c.

Inſt. 2. Tam deberet habere ſuum effectum formalem eo in caſu, quàm peccatum. *N cant.* Quia bonum ex integrâ causâ, vt iam dixi, malum autem ex quocunque defectu. Ita corpus non diceretur ſanum, vbi vel minimâ ſui

parte dolorem acutum ſentiret: quod etiam aiebam de Beatitudine ipsâ, in Morali. Tract. 1. Diſp. 3. c. 8.

Obijc. 2. Contra 2. Aſſ. Si ad remiſſionem peccati requiritur, tum retractatio, tum Dei condonatio; Gratia Sanctif. non eſſet cauſa formalis ſufficiens iuſtificationis, nec proinde, quod docet Trid. illa foret cauſa vnica formalis noſtræ iuſtificationis. *Confir.* Quia etiam plures effectus formales, cuiuſmodi ſunt eleuatio poſitiua ad *eſſe* Diuinum, tum peccati excluſio, debent eſſe à pluribus cauſis formalibus. ℞. Plures effectus formales ſubordinati, aut connexi inter ſe, poſſunt eſſe ab eádem formâ. Ita calor, præter effectum formalem poſitiuum *calidi*, habet & negatiuum, qui eſt expulſio *frigidi*, ſufficitque idem calor ad illos effectus; quo pacto, dicimus Gratiam Sanctif. pro effectu formali ſecundario & negatiuo habere expulſionem peccati, in ſubiecto capaci, poſitâ ſcilicet retractatione; nec Dei condonatio prætereà ad id requiſita, pertinet ad rationem cauſæ formalis, ſed tantùm veluti effectiuæ, deſtruentis ipſum peccatum; quomodo, per proportionem, deſtruitur Frigus ad præſentiam caloris, deſinente Deo conſeruare ipſum Frigus, pro rei exigentiâ.

Inſt. Quòd dicamus remitti peccata per Dei condonationem, videtur incidere cum illâ non imputatione, quam defendunt Hæretici. ℞. In illâ condonatione peccatorum, quam defendimus, admitti quoque à nobis & poſitiuam Gratiæ Sanctificantis infuſionem, cum abſterſione peccatorum, quam negant.

Obijc. 3. Contra 3. Aſſert. deletur macula peccati originalis in infantibus per ſolam infu-

ſionem Gratiæ Sanctific. quæ confertur in Baptiſmo. ℞. Quia peccatum illud non contraxerunt, per vllum actum propriæ voluntatis.

Inſt. 1. Hoc ipſo, quòd Princeps v. g. alteri pœnas & offenſam condonat, ab omni culpâ in ipſum admiſsâ ſoluitur, independenter à quacunque retractatione: ergo idem à fortiori præſtare poteſt Deus. ℞. In eo caſu remitti quidem pœnas debitas, ſed non culpam aduerſùs Deum, animæ inhærentem.

Inſt. 2. Peccator per actum perfectæ contritionis reſtitueretur in priſtinum ſtatum vnionis cum Deo; ſicque omnis auerſio à Deo deſtrueretur: ergo ad illam peccati deſtructionem non foret opus prætereà Dei fauore extrinſeco, & condonatione. *Conf.* Quia macula peccati poſita eſt in illâ auerſione à Deo, & in contrarietate ad rationem, quæ tolluntur per actus perfectæ Charitatis aut Contritionis. ℞. Peccatum maculare Animam, non tantùm vt dicit contrarietatem ad rationem, & auerſionem à Deo, ſed prætereà & eius tum offenſam, tum iniuriam: quam niſi condonet, eius macula remanet ſemper; atque vt ſuprà diximus, peccati remiſſio actiua ſeu Dei condonatio eſt diſtinctū beneficium à Contritione; nec Contritio ad illam peccati remiſſionem ſe habet, niſi vt præparatio; ex Trid. Ita, qui offendit Principem, etſi contritus veniam ipſius imploret, non propterea eſt ſolutus à culpâ, niſi à Principe condonetur.

NOTABIS igitur, peccati remiſſionem omni ex parte eſſe opus Dei, quatenus ab illo inchoatur per Gratiam excitantem; tum per adiuuantem promouetur; ac tandem, conſu-

mitante benignâ ipſius condonatione, complectur per Gratiam Sanctificantem.

Dico autem IV. Gratia illa Sanctificans à Deo ſolo, etiam vt cauſâ particulari, ſaltem principali, producitur. *Prob.* Quia nulli ſubſtantiæ creatæ conuenire poteſt, vt per facultatem ipſi connaturalem producat qualitatem id genus ſupernaturalem; ſiquidem illa ſubſtantia deberet eſſe ſupernaturalis: at repugnat, ſubſtantiam aliquam eſſe ſupernaturalem; vt oſtendi. *Tract. 1. Metaph. Diſp. 2. c. 3. ad Aſſ. 3.* Quanquam non repugnat qualitatem illam inſtrumentaliter produci per cauſas creatas, in genere ſaltem cauſæ moralis: putà per Sacramenta, &c.

Notabis autem, Gratiam illam produci in ipsâ immediatè ſubſtantiâ Animæ, quemadmodum aiebam ſuprà, vnde ipſâ Anima eleuetur ad *eſſe* ſupernaturale & Diuinum. Item,

Not. 2. Produci tantùm per *eductionem* ex ipsâ Animæ ſubſtantiâ: quia eſt accidens, quod de ſe eſt Entis ens, nec producibile niſi in ſubjecto; nec proinde per creationem, quæ duntaxat non terminatur niſi ad *naturam ſubſiſtentem*. Quanquam dicitur nihilominus impropriè *creari* in nobis; quatenus iuſtificatio omnis prima, eſt gratuita: ſiquidem Homo in ſtatu præcedenti ad iuſtificationem, nihil poteſt mereri de condigno, ſeu cum debito *iuſtitia* ex parte Dei. Quanquam

Not. 3. Adultum hominem non iuſtificari independenter ab aliquâ morali diſpoſitione præuiâ, per actus Fidei, Pœnitentiæ, &c. vnde Scriptura Sacra ſæpe hortatur peccatores ad pœnitentiam; &c. decuit enim ſic liberè ad Deum reuerti hominem, qui, peccando, liberè

ab eo receſſiſſet. At diſpoſitiones illæ ſupernaturales, non ſunt meritoriæ, niſi ſecundùm quid, & de congruo, neque hoc ſpectat niſi ad puram Dei *miſericordiam*. Quare

NOT. 4. Gloriam reſpondere Gratiæ Sanctificanti,& illam homini tanquam Filio adoptiuo deſtinari à Deo, iuxta menſuram & gradum ipſius Gratiæ. Vnde conſequens eſt, Gloriam primam, quæ ſcilicet primæ illi iuſtificationi deſtinatur, non eſſe ex merito.

NOTABIS tamen 5. Contingere interdum, vt prima Gloria deſtinetur quoque ex merito; tum nimirum, quando aliquis per propriam diſpoſitionem obtinet Gratiam iuſtificationis. Si enim durat actus ille v. g. contritionis, cùm infunditur Gratia; per illam, eodem inſtanti dignificatur, & fit meritorius de condigno. Quamobrem Deus iſti homini deſtinat conſequenter Gloriam, non tantùm intuitu Gratiæ, ſed etiam intuitu actus, qui tum exercetur; ac proinde Gloriam illam deſtinat cum perfectiori gradu, quàm ſi ad Gratiam tantùm intendiſſet. *Probatur* verò, ſic primam eiuſmodi Gloriam poſſe cadere ſub meritum; quia in eo caſu reperitur fundamentum meriti. *Conf.* Quia ſequeretur alioqui, non cadere vnquam ſub meritum hominis niſi augmentum Gratiæ & Gloriæ, non autem ipſam ſimpliciter Gloriam, quòd repugnat Tridentino 1. Seſſ.6.Can. 32.vbi definit,Iuſtum verè mereri non tantùm augmentum Gratiæ & Gloriæ, ſed & *vitam æternam*, quod quidem tertium membrum non haberet locum, niſi iuxta noſtram ſententiam.

NOTANDVMQVE eſt obiter 6. Ex communiori doctrinâ,contra aliquos Thomiſtas,Iuſtum promereri etiam de condigno augmentum

Gratiæ & Gloriæ, per actus remiſſiores ipſo habitu iam infuſo. *Prob.* Quia Trident. Seſſ. 6. cap. 16. requirit tantùm ad merendum, vt ſint bona opera, in Deo facta per eius Gratiam, à Iuſtis. Nec paritas afferenda eſt de actu naturali, qui, niſi fuerit intenſior ſuo habitu, illum non perficit. Quia Gratiæ habitus non intenditur per actus, niſi meritoriè, non autem phyſicè.

Dico V. Poteſt Homo habere certitudinem moralem, de ſuâ Iuſtificatione, ita vt interdum in Sanctioribus, prudenter etiam excludatur formido actualis: nemo tamen, inquit Trident. *Seſſ. 6. cap. 9.* citra ſpecialem Dei reuelationem poteſt de illâ habere certitudinem Fidei, aut certitudinem Theologicam. *Prob.* Quia ex Pſal. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis*, &c. Ratio eſt, de ipſis etiam non adultis, aut qui ſibi conſcij non ſunt vllius culpæ lethalis; quia non ſciunt ex Reuelatione Diuinâ, ſibi vel Sacramentum Baptiſmi fuiſſe ritè adminiſtratum. De adultis verò, vbi ad propriam infirmitatem attendunt; certi infallibiliter eſſe non poſſunt de propriâ diſpoſitione, dum ad Sacramentum accedunt. Nam *prauum eſt cor hominis & inſcrutabile. Ierem.* 17. totque habet vanitatis receſſus, vt ſæpe etiam fallat eos, qui, ſe peccati affectum omnem depoſuiſſe arbitrantur: quamobrem Thologicè nihil eâ de re poſſunt concludere.

CAPVT XV.

Dei Prouidentia.

PROVIDENTIA eſt ratio, per quam res conuenienter ad ſuum finem diſponuntur. Quare non modò eſt actus pertinens ad Intellectum, ſed prætereà quoque inuoluit rerum gerendarum voluntatem, ſeu *Finis intentionem* cum *electione mediorum*, quæ ad finem aſſequendum idonea iudicantur.

Alia porrò eſt Prouidentia *particularis*, circa res particulares; alia autem *vniuerſalis*, poſita in rerum communium ſeu publicarum adminiſtratione & conſeruatione, de ijs ſtatuendo, quæ ſuo loco & tempore fieri debeant, facultatem ſuppeditando, remouendo impedimenta, & nonnulla etiam, quanuis mala ſint, permittendo, ſeu non impediendo. Iam verò,

DICO I. Exiſtere in Deo rerum omnium Prouidentiam. *Prob.* Quia, ex dictis, in eo eſt perfecta rerum omnium Præſcientia; tum 2. eſt Omnipotentia, vnde quæcunque definierit, & quo libuerit modo, efficiat. 3. denique habet bonitatem, per quam, de facto, velit rerum omnium curam gerere. Sic legimus Sap. 11. *Non eſt alius Deus quàm tu, cui cura eſt de omnibus.* Ita vt dicat ipſe *Matth.* 10. vel capillos capitis noſtri ſibi eſſe numeratos, nec vllum cadere, niſi ipſo volente aut permittente. Sap. 11. *Tua, Pater, ſapientia gubernat omnia:* tum cap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter*; id eſt, vt interpretatur D. Bernardus, à

ſummo Cælo, vſque ad infimas Terræ partes; à ſummo Angelo, vſque ad infimum vermiculum; ab ortu creaturæ, vſque ad finem eiuſdem, omni ex parte, & conſtanter rebus omnibus proſpicit: *diſponit omnia ſuauiter*, aptiſſimis medijs in finem dirigendo. Nihil enim eſt in totâ naturâ, cui non dederit propriam indolem & propenſionem, tum facultatem ad proprias functiones, & ad ſui conſeruationem: ne quid dicam de formâ & de pulchritudine, vt decorè in ſuo ſtatu conſiſtat. Nihil autem hæc moror, cùm paſſim authores varij, vt Granatenſis *primâ parte Catechiſmi*; Leſſius *Tract. de Prouidentiâ Numinis*, Diuinæ huius Prouidentiæ amplitudinem, ſeu quantopere ſit vniuerſalis, abundè exponant; vbi de Mundi fabricâ, & de ſingulis illius partibus; de ipsâ Corporis humani aliarumque animantium ſtructurâ; tum de inſtinctu & dotibus, quas accepêre à Deo, ad ſui nutritionem & cibos idoneos comparandos; ad nidos aut cubilia ædificanda, ad curandos morbos, ad expellendos hoſtes, ac denique ad prolem educandam. Quare

NOT. 1. Res Mundi vniuerſas, in ſui creatione, iam inde fuiſſe opus Diuinæ Prouidentiæ; quia, non caſu prodierunt, ſed potius maximâ ex ſapientiâ deſtinatæ ſunt certos in fines, tum vniuſcuiuſque proprios, tum in omnium communes, quos inter præcipuus eſt Dei Gloria. Deinde per creationem acceperunt eas qualitates, illumque inter ſe ordinem, prout cuique congruebat ad ſuos fines obtinendos. Prætereà verò,

NOT. 2. In earum gubernatione longè maniſeſtiſſimam quoque eſſe Numinis Prouidentiam, quâ conſeruantur, ac tam admirabili ratione

ratione ad fines ſuos diriguntur, iuxta modum vnicuique connaturalem ac proprium, cauſas naturales ac neceſſarias ad finem promouendo per concurſum abſolutum; dum liberas ſinit agere pro nutu ac libertate indifferentiæ; nec tamen quidquam contingat in Mundo, niſi volente ipſo poſitiuè, aut ſaltem permittente.

Dico II. Quæ eſt ſpecialis in Hominem Dei Prouidentia, vniuerſum hoc viſibilis Mundi opificium non alios in vſus, quàm ad noſtram habitationem, ad vtilitates & ad delicias comparauit; vt per ſe illi patet, qui ſingula, cum Leſſio & Granatenſi, loco iam citato, ſtudioſè conſiderauerit. Neque verò eſt Prouidentiæ defectus, ſed potius effectus admiratione dignus, quòd ex hominibus alij naſcantur conditione tam diſpares, vt videantur ſolùm facti ad miniſteria & ad ſeruitutem; paſſque maxima in pauperie vitam trahat: illud, inquam, eſt perfectiſſimæ Prouidentiæ opus. Nam, alioqui, ſublatá paupertate, nemo agriculturam, nemo alias Artes exercere vellet: ceſſarent tum priuata, tum publica opera, nulla eſſet Reſpub. nulli hominum gradus diuerſi; nulla id genus alia generis humani ornamenta: atque inde ſequeretur morum peruerſitas, quam otium & rerum copia ſolet inducere. Ne dixeris tamen, iniquam eſſe illam Prouidentiam; nam hæc momentanea ſunt; Deus autem, omnibus, pro vniuſcuiuſque merito, beatitudinis gradus proprios ad vitam æternam præſtitit.

Suppono enim, quod explicui in Morali, vltimum ipſius Hominis finem ac beatitudinem eſſe alterius vitæ; & ſolo Deo poſſe fieri beatum, ſiue naturaliter tantùm poſſideatur, vt in Statu puræ naturæ; ſiue (quam reipſa, pro

infinitâ benignitate voluit Deus nobis eſſe propriam beatitudinem) eleuemur ſupernaturaliter ad claram atque intuitiuam ipſius viſionem. Quamobrem, hoc loco, diſtingui debet duplex Prouidentia ; quarum altera dicitur *Naturalis*, ſeu de rebus ad finem naturalem, & per media naturalia ordinatis : altera autem *ſupernaturalis*, vnde rationalis creatura, per media ordinis ſupernaturalis ordinetur ad finem ſeu beatitudinem ſupernaturalem ; quam etiam S. Scripturæ appellant, tum *Gloriam*, tum *Salutem æternam*.

Dico autem III. Deum ſic *velle omnes ſaluos fieri*, vt legitur 1. Timoth. 2. Quo loco Apoſtolus nullam adhibet reſtrictionem ; nec prudenter adhibetur ab Aduerſarijs : cùm etiam ſcribat D. Petrus 2. Epiſt. c. 3. Deum *nolle aliquos perire*, &c. *Conf.* 1. Quia omnes ad ſe inuitat, etiam qui peccant. *Matth.* 11. Item, pro omnibus Sacramenta inſtituit ; omnibus imponit Baptiſmi & Pœnitentiæ præceptum ; omneſque hortatur ad legem ſeruandam. *Conf.* 2. Quia pro omnibus omnino hominibus mortuus eſt Chriſtus Dominus : ergo vult Deus omnes omnino ſaluos fieri : quam conſequentiam probaui in Phyſ. Vni. *Diſp. de Prędeterm.* c. 2. *Aſſert.* 3. Prob. Antec. Nam Apoſt. 1. Tim. 2. ſic habet expreſſè, *dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus* ; nullumque excipit. Item, quemadmodum tradit B. Auguſt. 6. contra Iulian. c. 4. & 9. alijſque in locis, ſic idem Apoſt. 2. Cor. 5. probauit omnes eſſe mortuos in Adamo, quòd pro omnibus mortuus ſit Chriſtus ; ergo, quomodo omnes omnino mortui ſunt in Adamo, ita pro omnibus omnino mortuus eſt Chriſtus : ergo, quod docent Hære-

tici, non tantùm mortuus eſt pro *Prædeſtina-
tis* quos nimirum Deus ab æterno præuidit
morituros in ſtatu Gratiæ, ac proinde ſaluan-
dos; ſed etiam mortuus eſt pro *Reprobis*, id
eſt, pro ijs, qui præuidentur morituri in ſtatu
peccati Mortalis, & conſequenter damnandi.
Ita, inquit Apoſt. 1. Cor. 8. *peribit infirmus
frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt*, quo ſpectat
illud Trident. Seſſ. 6. cap. 3. *Etſi ille pro omni-
bus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ipſius
beneficium accipiunt*: quo pacto ſcribit D.Aug.
in Pſal. 68. *Iudas non agnouit pretium, quo
ipſe à Domino redemptus erat.* Deinde, Ianſenij
propoſitionem, quâ docebat Chriſtum eſſe
duntaxat mortuum pro ſalute Prædeſtinatorum,
damnauit Innoc. X. *tanquam impiam, blaſ-
phemam, contumelioſam, Diuinæ pietati dero-
gantem & Hæreticam.* Et verò, qui negant
Deum velle omnes omnino ſaluos fieri, aut pro
omnibus omnino mortuum eſſe Chriſtum, non
poſſunt, conſequenter, de ſe illud certò ſtatuere,
num ſcilicet pro ſe mortuus ſit; nec proinde etiã
poſſunt habere ſpem in Dei bonitate & auxilio
firmam, quippe quæ fundari debeat in eo, quòd
pro ipſis mortuus ſit Chriſtus: cum tamen ex
Trident. Seſſ. 6. cap. 13. *Omnes* in Dei bonitate
& auxilio, *ſpem firmiſſimam collocare* debeant;
ergo nec orare Deum poterunt, niſi in omnem
euentum, ſi fortè pro ipſis mortuus eſt Chriſtus;
quod dici non poteſt: ergo neceſſe eſt, vt dica-
tur pro omnibus omnino eſſe mortuus. At

Not. 1. Chriſtum Dominum, non eo tan-
tùm ſenſu fuiſſe mortuum pro omnibus, quòd
ſufficiens pro omnium ſalute pretium obtulerit,
vt volunt Hæretici: ſic enim diceretur quoque
mortuus pro ſalute Dæmonum, & eorum fuiſſe

Redemptor; quia, de facto, Chriſti Domini Paſſio de ſe ſufficiens fuit illis etiam redimendis. Dici igitur debet mortuus pro omnibus hominibus ſufficienter, quòd, de facto, ſua merita pro illorum ſalute obtulerit Deo; vnde, quantùm eſt ex parte Chriſti Domini, ſaluari omnes poſſint. Vbi ergo D. Auguſt. & Concil. Valentinum videntur negare mortuum eſſe pro omnibus omnino, ſic debent accipi, quòd efficaciter & in actu ſecundo, pro illis non ſit mortuus, ob proprium ipſorum defectum: quâ de re plura Cellotius, *in Hiſtoriâ Gothescalci*, vbi de Conc. Valentino. Quo etiam loco, vbi legitur, *Chriſtum non fudiſſe ſanguinem, pro illis, qui ab exordio Mundi, vſque ad ipſius Paſſionem in ſuâ impietate mortui ſunt, & damnati*: ſermo eſt tantùm aduersùs nonnullos, qui docuerunt Chriſti animam deſcendentem ad inferos, non ſolùm iuſtos, qui detinebantur in Limbis, ſed etiam impios, qui damnatorum ſupplicijs addicti erant, aſſeruiſſe in libertatem, & donaſſe beatitudine. Ita Martinonus in Anti-Ianſen. ſub finem; cùm *Patre Steph. Dechamps*; vbi Hæreſim Ianſenianam tam doctè confutat.

NOTANDVMQVE eſt conſequenter 2. Quàm falsò & impiè de Deo ſenſerit Caluinus cum Gotheſcalco & alijs Antiquioribus Prædeſtinatianis, apud Baronium, ad annum Chriſti 848. vbi docent, Deum alios ex Angelis & Hominibus de ſe creaſſe ad mortem & ad damnationem: cuiuſmodi blaſphemiam execratur Conc. Arauſ. 2. c. 25. neque verò aliam damnationis cauſam profert Chriſtus aduersùs improbos in extremo iudicio, *Matth.* 20. Niſi quòd legem Diuinam contempſerint, &c. At

NOT. 3. Dei voluntatem illam ſaluandi omnes homines, vocari *Antecedentem* ; quatenus Deus, de ſe, & pro ſuâ miſericordiâ, ante præuiſionem operis ſeu meriti cuiuſcunque, vult omnes ſaluare. Nam ea dicitur voluntas duntaxat *conſequens*, per quam v.g. vult aliquem damnare ob peccata in ipſo præuiſa. Quanquam

NOT. 4. Voluntatem illam *Antecedentem*, non eſſe *abſolutè* efficacem reſpectu noſtræ ſalutis & Gloriæ ; ſic enim reipſa omnes omnino homines ſaluarentur, ſiquidem voluntas eiuſmodi ſemper habet effectum, nec illi reſiſti poteſt, cùm ſit omnipotentiſſima. Non eſt igitur efficax ad dandam Gloriam, niſi conditionatè, id eſt, non infert ſalutem, niſi poſitâ conditione bonorum operum & Gratiæ finalis, &c. Item, illa Dei voluntas eſt ſyncera ; ſiquidem Dei infinitæ bonitati & voluntati repugnat, vt veri amoris ſimulatione illudat ; tamque eſt eſſentiale Primæ veritati non fallere, quàm non falli. Alioquin rueret fundamentum noſtræ omnis in Deum Fidei, Spei, & Religionis; &c.

CAPVT XVI.

Reliqui effectus Diuinæ Prouidentiæ.

CVM igitur Deus velit ſyncerè omnes omnino homines ſaluos fieri, nec poſſit eſſe vana & inutilis illa voluntas ;

DICO conſequenter IV. Contra Ianſenium, media ad ſalutem neceſſaria, omnibus præparata eſſe à Deo ; nec tantùm iis, qui de facto bene viuunt, & ſaluari debent, ſed etiam iis, qui ſeſe dedunt peccatis, vnde reprobi fiunt.

quas habent vires, eſſe impoſſibilia; deeſſe quoque Gratiam, quâ poſſibilia fiant. Hanc enim propoſitionem, inquit, *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & Haereticam declaramus, atque vti talem damnamus.* Confir. Quia tunc peccatum non foret, vbi legis implendæ facultas deficeret. *Quis enim peccat in eo, quod cauere non poteſt?* Vti ex D. Auguſt. dixi in Morali. *Tract. 2. Diſput. 5. c. 5.*

Concludo igitur, Deum, cùm ſyncerè velit omnes omnino homines ſaluos fieri, & adultis omnibus imponat præcepta bonorum operum, quorum ex merito ſalutem obtineant, non denegare vlli auxilia ad hoc negotium neceſſaria. Sed

Not. 1. Auxilia ad ſalutem neceſſaria ſic omnibus præparata eſſe vel proximè & immediatè, vel ſaltem remotè & mediatè, & ea quidem pro vniuſcuiuſque ſtatu proportionata. Nam v. g. Infideles & Barbari, ad quos, moraliter loquendo, peruenire non poteſt prædicatio Euangelij; etſi Fidem Catholicam, aliáque, id genus auxilia ſupernaturalia ad ſalutem neceſſaria non habeant ſibi proximè & immediatè parata; non carent tamen auxilijs ſtatui ſuo conſentaneis. Quippe habent lumen naturale, vnde cognoſcant Deum; tum legem naturalem, ſeu dictamen naturale colendi ipſius Dei, honorandi parentes, non faciendi iniuriam alteri, &c. cui quidem Legi naturali ſi ſtudeant obſequi, *faciendo quod in ſe eſt*, præbet Deus auxilia ſpecialia & vberiora, naturalis ſaltem ordinis, quibus honeſtatem vitæ præſentis adhuc perfectiùs tueri queant. Hac autē ratione, dum fugiunt peccata contra legem naturæ, ac proinde remouent impedimenta Gratiæ ſuper-

naturalis; Deus, qui pro ſuâ bonitate, quantùm eſt in ſe, vult omnes homines ſaluos fieri, non denegat illis gratias, vnde perueniant ad Fidem Chriſti, iuſtificenturque tandem, ſiue per Baptiſmum, *aliquem Prædicatorem ad eos dirigendo*, vt habet D. Th. q. 14. De Veritate a. 11. ad 1. ſiue per contritionem ſupernaturaliter infuſam, quæ, implicitè ſaltem, continet propoſitum generale ſeruandi omnia Dei præcepta. Confirmatur doctrina hæc ex Ioan. c. 1. dum ait, *omnem hominem venientem in hunc Mundum illuminari à Deo*: nempe, vt, ſi velint, illuminentur conuertanturque: quemadmodum habetur in Morali. *Ex Concil. Coloniensi ſub finem Præfat. Tract.* 2. Nec te moueat, quòd ait Vaſquez. *Tom.* 1. *Diſp.* 97. Semipelagianum eſſe, ſi quis dixerit, *facienti quod in ſe eſt, etiam per vires naturæ, Deum illi infallibiliter dare Gratiam.* Nam hoc diſtingui debet; eſtque omnino Semipelagianum, ſi intelligatur eo ſenſu, quòd Deus det gratiam Fidei, propter bonum opus morale factum ex ſolis viribus Liberi Arbitrij, ſeu ex eius intuitu & merito. At noſtræ propoſitionis ſenſus eſt, Deum, quatenus vult omnes Homines ſaluos fieri, propter ſuam bonitatem & Chriſti merita, ijs omnibus decreuiſſe auxilia ſupernaturalia ad ſalutem neceſſaria, qui, ſuis peccatis, tantæ miſericordiæ obicem non opponent. Certè, cùm nonnunquam tam inſigni beneficio præueniat ſceleratos Homines, etiam flagitio imminentes, vt olim B. Paulum; quid-ni, à fortiori, pietatem hanc velit exercere in eos, qui naturalem morum probitatem ſeruare ſtudent, quanuis aliundè ſint meriti omnis ſupernaturalis expertes? Ita Suarez, varijs in locis, tum

præcipuè. *Tom. 2. de Gratiâ.* Ita Leſſius in Diſput. Apolog. tum in eâ maximè, quæ eſt poſtremæ editionis Antuerpienſis. Hæcque vna fuit ex eius Propoſitionibus approbatis à Summo Pontif. de quibus aiebam in Phyſ. Vniu. *Diſp. de Prędeter. c. 3.* Ita Becanus in Summâ. *Tr. 4. c. 3.* Ita vulgò Theologi omnes ij, qui non ſupponunt cum Vaſqueſio, Gratiam eſſe neceſſariam ad quodlibet opus moraliter bonum. Item,

NOT. 2. Ex Phyſ. Vniu. *Diſp. de Prædeterm. in Append.* quemadmodum dicantur media ad ſalutem neceſſaria ſiue proximè ſiue remotè præparari quidem alijs ex amore & prouidentiâ *communi*, alijs autem ex *ſpeciali*. Item, quemadmodum Deus illa Gratiæ auxilia, etiam in ordine Prouidentiæ communis, omnibus largiatur, quatenus ſecundùm ſe ſunt efficacia, id eſt, quatenus pro vniuſcuiuſque ſtatu apta ſunt & congrua ad inferendum effectum, *ſeruato Naturæ curſu communi.*

NOTABIS enim 3. Dictum hoc non immeritò vſurpari à citatis Theologis; quandoquidem, ex ſuperiori doctrinâ, certum eſt, velle Deum omnes omnino homines ſaluos fieri; aliunde verò conſtat, non ſaluari *communiter*, niſi ſeruatâ illâ conditione; nec fieri ſolere à Deo miracula, vt, præter communem & naturalem rerum curſum, aut contra diſpoſitiones vniuſcuiuſque proprias, ad eum adducantur ſtatum, in quo, vel datâ opportunitate Sacramentorum, vel aliâ ratione ſibi ad ſalutem conſulant, & ſaluentur reipſa. Certè, cùm ad ſalutem ſufficiant media ordinaria, ſeruato & tam ſapienter inſtituto communi rerum curſu; non decuit, illum, per miracula, communiter

immutari ob nequitiam , vel ob ſocordiam Hominum , qui oblatis Gratiæ muneribus vti negligerent ; nec deſinit eſſe magna erga Homines Dei miſericordia, quòd, eâ ſolùm ratione, *communiter* , eos velit ſaluos fieri. Deinde, ſi Deus cuilibet ſeligeret auxilia Gratiæ ex præuiſione futuri effectus, ſeu quia futura eſſent efficacia , induceretur fatalis rerum humanarum neceſſitas ; languerent hominum ſtudia ; curamque omnem ſalutis deponerent ; nec ſatagerent Gratias ſibi oblatas reddere efficaces, &c. vt alio loco expoſui. Item,

NOT. 4. Conſtare vel ipsâ experientiâ, non omni quidem momento , præſtò eſſe Diuinæ Gratiæ auxilium , & pios illos animi motus , quibus vel incitemur ad bonum opus, vel refugiamus occaſiones peccati : nec ſemper Deum ita *pulſare ad oſtium cordis* ; vt quando alijs diſtrahimur curis , vel tenemur ſomno , &c. Dicitur tamen Deus non ceſſare vnquam, moraliter ſaltem , eo ſenſu , quòd , certis temporibus , tùm verò maximè vbi vrget obligatio præcepti , & ſalutis diſcrimen , ſemper adſit aliquo modo. Quinetiam , contra communem naturæ ordinem , ſæpe ſubitaneo quodam & improuiſo veluti impetu ſentimus ab eo nobis immitti vehementiora ſalutis deſideria. Quanquam , vt iam dixi , hæc potiùs præſtare ſolet ſeruato rerum curſu communi, & accommodando Gratiam ad Naturam: iuxta id quod ſcribit D. Th. 1. p. q. 62. a. 6. putà, cùm opera ipſius contemplamur , aut diſſerentem audimus de rebus pijs ; &c. ſic enim Act. 16. legimus *Dominum aperuiſſe cor Lydiæ*:&c. Item, cùm illa ſit creatæ voluntatis infirmitas & inconſtantia , vt piæ cogitationi , & bono

honeſto, de ſe non adhæreat diu, vbi maximè occurrit tentatio & difficultas; Diuini eſt muneris, quòd ipſa non diſcedat ab officio, & non ruat, &c. quæ in Morali oſtendimus. *Tr.* 2. *Diſp.* 5. *c.* 3. At

Not. 5. Donum omne Gratiæ, poſt Decretum Incarnationis, non dari vlli, niſi per Chriſti meritum, ſeu ex intuitu ipſius; ſic enim docet Apoſt. ad Eph. 3. *Deum benedixiſſe nos omni benedictione ſpirituali in Cæleſtibus, in Chriſto.* Quod debet intelligi, non tantùm de auxilijs Gratiæ ſupernaturalis, ſed etiam de ijs, quæ ante Fidem conferri ſolent. Quo pacto, ex D. Auguſt. Polæmon v. g. dicebatur fuiſſe olim conuerſus ad bonos mores, audito Xenocrate. *Conf.* Quia vbi SS. PP. diſputant de neceſſitate huiuſmodi Gratiæ, non agunt niſi de Gratiâ per Chriſtum: iſque eſt Dei in Chriſtum amor, vt, quæ ſunt hominis verè bona, impertiri vlli voluerit nunquam, niſi ex Chriſti merito, & ad maiorem ipſius Chriſti Gloriam.

Dico V. Nihil eſſe in rebus creatis, nihilque fieri, quod non cadat ſub Dei Prouidentiam. Nec difficultas eſt de ijs, quæ per poſitiuam Dei voluntatem ſiunt, cùm ab eo dirigantur ſemper certos ad fines, ac maximè ad Gloriam ipſius. Diſputari ſolùm poſſet de Peccato; quod ſupponimus fieri Deo duntaxat permittente; & quamuis permiſſio illa ſit bona, pertineatque ad vniuerſalem rerum adminiſtrationem, ſinendo illas agi proprijs motibus; peccatum tamen ipſum contrarium eſt omni bono; nec ordinari per ſe ad Dei Gloriam poteſt. Verùm, vt habet D. Auguſt. tantæ ſapientiæ & bonitatis eſt Deus, vt ne peccatum quidem fieri permitteret, niſi, *occaſionaliter*

ſaltem, eius etiam Gloriæ ſeruiret. Quæ autem ex peccato bona elicit Deus, hæc ſunt. Primò, oſtenſio iuſtitiæ ſuæ, illud puniendo; tumque manifeſtat ſimul quantæ ſit Maieſtatis, qui peccatum in ſe admiſſum iuſtiſſimè puniat æternis inferorum cruciatibus. 2. Eſt oſtenſio Diuinæ Miſericordiæ, quæ in remiſſione peccatorum emicat. Ne quid dicam de alijs bonorum generibus, quæ occaſione peccati contigerunt; cùm impiorum etiam crudelitas tot Martyrum conſtantiam illuſtrarit; ſitque Incarnatus Dei Filius ad delenda hominum peccata; vnde & dicatur *Felix culpa*, cui talis & tantus Redemptor ſit deſtinatus; à quo præterea tam multa in genus humanum bona profluxerunt.

NOTANDVMQVE eſt, Diuinam Prouidentiam ſemper quidem aſſequi finem illum communem, ad quem res vniuerſæ ordinantur, nempe vt glorificetur ipſe Deus, manifeſtando ſuam aut bonitatem, aut iuſtitiam, alia-ve attributa: at finem particularem, ad quem res illæ per ſe deſtinantur, non aſſequitur ſemper. Vt enim agam primò de Prouidentiâ naturali, nonne contingit ſæpe, vt cauſæ naturales, occurrente aliquo impedimento, aberrent à fine proprio; vt quando naſcuntur Monſtra? Illudque etiam manifeſtum eſt in ordine Prouidentiæ ſupernaturalis: nam, etſi Deus, pro ſyncerâ voluntate ſaluandi omnes, nullo excepto, media omnibus de ſe ſufficientia præpararit, non omnes tamen ad illum finem perueniunt. Nec dicas, ſequeretur Diuinam Prouidentiam falli in ſui diſpoſitione. ℞. Nego illud ſeq. Quia per ſcientiam conditionatam præuidet omnino quæcunque etiam in nobis liberè futura ſunt, quacunque poſſibili in circunſtantiâ,

CAPVT XVII.

Soluuntur Obiectiones.

OBIIC. Si Deus vult ſyncerè omnes ſaluos fieri, cur permittit tam multos ruere in peccatum; nec cuilibet ſubminiſtrat Gratias efficaces, &c. ℞. 1. Quæ à Deo ſubminiſtrantur auxilia ad bene viuendum, quantum eſt ex parte Dei, ea eſſe omnia efficacia; vt iam dixi, & explicui fuſiùs in Morali. *Tr.* 2. *Diſp.* 2. *cap.* 4. *&c.* tùm vbi egi contra authores Phyſicæ Prædeterminationis, in Phyſic. Vniuerſ. *Diſp. de Prędeter.* maximè verò in Appendice illius Diſput. ℞. 2. cum Leſſio. *De Abut de Prędeſt. Sect.* 3. *Ratione* 4. quem ſequitur Martinonus & alij; Reſpondeo, inquam, Deum, propriè & de ſe, non decernere peccati permiſſionem; ſed quia ratio rerum & vniuerſalis adminiſtratio illam poſtulat; nempe vt creatura intellectiua, ſufficientibus inſtructa auxilijs, ſinatur agere ſuo nutu, & ſeruatâ Arbitrij libertate omni; nec peccati permiſſionem habere ſibi conſequenter & neceſſariò annexum hunc lapſum.

Inſt. 1. Habemus ex Sacris Literis, Iudæos non potuiſſe credere, quòd eorum cor induraſſet Deus, &c. *Ioan.* 12. Atque ita *Machab.* 2. Antiochus à Deo nihil quidquam precibus obtinere potuit. Item, ſic multi ex SS. PP. cum S. Auguſtino, docent, eò tandem aliquando adduci impium, vt nihil ampliùs ſen-

ciat, nec poſſit reſipiſcere: ergo non habent omnes parata diuinitus ad ſalutem auxilia ſufficientia. ℞. Diſtinguendum eſſe hoc loco multiplex genus impoſſibilitatis: alia enim eſt *abſoluta* & *Phyſica*; quæ à peccato eximit; alia autem eſt ſolùm ex hypotheſi & conſequens, orta ſcilicet ex liberâ voluntate; item & *moralis*, quæ nimirum aliud nihil eſt quàm *magna difficultas* agendi, & ad quam ſuperandam opus eſt maiori animo,& Gratiæ vberioris dono; nec excuſat à peccato. Sic etiam alia eſt excæcatio & induratio, vel indirecta & negatiua, ex parte Dei,auxilia vberiora ſubtrahentis, non denegando tamen ſufficientia; alia autem ex parte hominis, mentem in ſcelere, pro ſuâ nequitiâ, obfirmantis: ſic Iudæi corda obdurabant; nec poterant, inquit D. Auguſt. Tract. 57. in Ioan. *quia nolebant*; laborabantque ſolùm impotentiâ morali. Item, quòd ſpectat ad Antiochum, erat ille duntaxat ſollicitus de valetudine corporis, non autem de ſalute animi.

Inſt. 2. Ex Trident. *Seſſ 6. cap.* 11. Supponuntur aliqui deſeri à Deo, cùm ait, *Deum ſemel iuſtificatos non deſerere, niſi priùs ab iis deſeratur*. ℞. 1. deſeri à Deo peccatorem aliquando proximè, vt quando moritur v. g. in Lethargo ſine pœnitentiâ; etſi *remotè* illi non defuerint media ad ſalutem neceſſaria, quæ, dum valebat, neglexit. ℞. 2. deſeri etiam peccatorem à Deo tantùm, primò; quatenus, vbi Gratiæ *præuenienti* reſiſtit, ab eo conſequenter non accipit *cooperantem*: 2. dicitur deſeri, quatenus ab eo ſubtrahitur Gratia Sanctificans. 3. quatenus ab eo ſubtrahuntur Gratiæ vberiores, vnde faciliùs reſiſtat pec-

cato, aut agat pœnitentiam, &c. 4. quatenus priuatur dono ſpecialis Prouidentiæ, vnde infallibiliter ſeruaretur à peccato, perſeueraretque, &c.

Inſt. 3. Perſeuerantia Iuſtorum vſque in finem, Dei donum eſt, quo priuantur ij, qui non perſeuerant; nam, vt inquit D. Auguſt. *cap. 6. de Bono perſeuerantiæ*, tale eſt, vt contumaci hominis voluntate amitti non poſſit: ergo qui non perſeuerant, de facto, donum illud non habent; ſiquidem non habetur, vbi de facto non perſeueratur. Quare, ex hypotheſi, quòd aliquis perſeueret, non poteſt conſequenter non perſeuerare, ſeu donum illud amittere, ſine quo, vt legitur *Matth.* 10. ſalus obtineri non poteſt: ergo illi qui priuantur dono Perſeuerantiæ, non accipiunt à Deo id quod neceſſarium eſt ad ſalutem. Hanc autem perſeuerantiam eſſe Dei donum, patet ex Trident. Seſſ. 6. cap. 13. vbi ſic loquitur, *Munus illud aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo*, &c. tum Can. 22. *ſine ſpeciali auxilio Dei iuſtificatum in acceptâ iuſtitiâ perſeuerare non poſſe*, vocaturque etiam *magnum donum*, quòd tanti ſit momenti ad æternitatem. Item, quanuis multa alia Dei dona, vt ipſa Gloria, cadant ſub noſtrum meritum, illud tamen proprium eſt huius doni, ſicuti & primæ Gratiæ, vt ſit purè gratuitum; nec poſſit noſtro merito obtineri: alioquin, vbi aliquod bonum opus exercerent Iuſti, perſeuerantiam infallibiliter conſequerentur; ſiquidem meritum propriè dictum, ex iuſtitiæ lege & promiſſione Diuinâ, ſuo præmio fruſtratur nunquam: conſtat verò plures pietate inſignes viros, poſt merita ... imia interijſſe; docetque Apoſt. 1. Cor. 10.

vt,

vt, *qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Atque has quidem difficultates vt expediam;

Suppono, ad Perſeuerantiam concurrere tum Deum, tum Liberum Arbitrium. Nam Deus ad illam concurrit, tum per Gratiam externæ protectionis, per quam remouentur peccati occaſiones, & per quam multi etiam præueniuntur morte, ne damnentur: tum ad illam concurrit quoque per Gratiam internam inſpirationis, vnde poſſimus illud operari, quod ab eo nobis præcipitur. Quare Perſeuerantia ſumitur, vel *incompletè*, pro alterutro ex duobus iſtis duntaxat; vel *completè*, pro auxilio Diuinæ Gratiæ, ſimul & pro ipſa noſtræ voluntatis libera cooperatione. Quin etiam vtrumque iſtud vocatur Dei donum; ſiquidem & vita noſtra propterea dicitur Dei donum, quòd ipſam Deus in nobis operetur: quemadmodum explicui in Morali. *Tract.* 2. *Diſp.* 2. *c.* 4. Atque his ſuppoſitis; Dic. 1. Perſeuerantiam eſſe quidem donum à ſolo Deo, prout tantùm ſumitur incompletè pro auxilio Diuinæ Gratiæ: verùm, ſi ſumitur completè, dependet quoque à Libero noſtro Arbitrio. Item, Dic. 2. cùm Becano, in Summâ, 1. *p. Diſp. de Prædeſt. ad Obiect.* 14. Illam completè ſumptam non cadere ſub noſtrum meritum, quia ſic inuoluit noſtram cooperationem, quæ quidem, cùm noſtra ſit, & à nobis dependens, non poteſt habere rationem præmij aut mercedis ab alio collatæ. Si autem ſumitur incompletè pro auxilio Gratiæ, vnde *poſſimus* perſeuerare, *ſi volumus*; illa quidem, perinde ac alia Iuſtorum auxilia ad bene viuendum, in ſententiâ Becani, *loco iam citato, & 2. p. de Merito. c. 5. q. 6. & 7.* cum Gregorio à Valentiâ; cum Suario, de Gratiâ

Lib. 12. c. 2. 6. &c. illa, inquam, cadit ſub meritum etiam condignum. Quemadmodum enim, vt docent, Iuſtus poteſt mereri de condigno vitam æternam; ita, à fortiori, & media, quæ ad ipſam conſequendam neceſſaria ſunt. Sed eâ de re quicquid ſit, quanuis, ex aliorum ſententiâ, illa auxilia non cadant ſub meritum Iuſti, ſaltem condignum; certum eſt de Fide, non deeſſe vnquam Iuſto, vnde perſeuerare poſſit, ſi velit; quæ Dei eſt in illum ſpecialis pietas & miſericordia. Ita Arauſ. 2. *Can.* 23. Ita Trid. *Seſſ.* 6. *Can* 18. Vt quid enim Iuſti iuberentur perſeuerare vſque in finem, niſi illud poſſent ex Diuino auxilio: Deus enim impoſſibilia non iubet, &c. Sed Notabis, diſtinguendum eſſe auxilium, quo Iuſtus perſeuerare poſſit, ſi velit; ab eo quo infallibiliter & de facto perſeueret, ſi præuideatur per aliud non eſſe perſeueraturus; iſteque eſt effectus ſpecialis Prouidentiæ, qui ſub meritum propriè dictum, id eſt, ſub meritum condignum ipſius hominis non cadit.

Inſt. 4. Ergo ſpeciali munere illo Prouidentiæ & amoris Dei erga ſe deſtitutus, non habet id quod neceſſarium eſt ad ſalutem de facto conſequendam; quandoquidem ſine illo nunquam obtinetur de facto. ℟. Nego illam ſeq. Nemo enim eſt Iuſtus, vt dixi, cui parata non ſint auxilia ex parte Dei, vnde perſeueret actu, ſi velit: item, habet etiam in ſuâ poteſtate, ex Diuinæ Gratiæ auxilio, vt donum illud obtineat, quo infallibiliter velit, perſeueretque & moriatur in ſtatu Gratiæ. Neque enim fruſtrà, hunc in finem, Chriſtiani implorare ſolent Sanctorum, ac maximè Beatæ Virginis atque Angeli Tutelaris opem, quod iam dixi

in Morali. *Tr.* 2. *Diſp.* 2. *c.* 4. Nec fruſtra quotidie poſcitur à Deo Perſeuerantia, inquit D. Aug. de bono perſeu. c. 17. Quò ſpectat illud ex Oratione Dominicâ, *ne nos inducas in tentationem*; quod tenemur vſurpare quotidie. Notandumque eſt, eam maximè ob cauſam ſummæ neceſſitatis eſſe Iuſtorum aſſiduam ad Deum orationem. Vt enim legimus lib. de Eccleſiaſticis Dogmatibus c. 56. *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo inuitante, venire: nullum inuitatum, ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari: nullum, niſi orantem, auxilium promereri.* Huiuſque rei ratio petitur ex ordine & conſuetudine Diuinæ Prouidentiæ; inquit Suarez *De Relig.* Quippe vult ſemper, quoad fieri poteſt, cooperationem noſtram in negotio ſalutis: vnde, ſicut in adultis, ad conſequendam Gloriam, meritum eſt neceſſarium; & ad conſequendam Gratiam Sanctificantem eſt neceſſaria diſpoſitio: ita, ad obtinenda Gratiæ auxilia opportuna, voluit Deus eſſe neceſſariam orationem, vt, hoc ſaltem modo, ad ſalutem noſtram cooperemur. Eſtque illa Diuini cultus ratio maximè congrua, vt Homo ſuam indigentiam ſentiens, authori bonorum omnium Deo, cum humilitate ac debitâ ſeruitute adhæreat. Quanquam vana eſt illa oratio, ſi debitis circumſtantijs deſtituitur: qui enim Dei timorem ac legem aſpernatur, *Oratio eius erit execrabilis.* Prou. 28. Sic *humiles Spiritu* dicuntur ſaluari à Deo. Pſal. 33. Ita, qui Iuſtitiam & Charitatem erga proximum coluerit, *Hic accipiet ſalutem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Pſal. 23. Sunt enim hæc præcipua Diuinæ Legis capita, & conditiones neceſſariæ ad obtinendum Gratiæ finalis donum;

atque hoc modo cadit ſub meritum ſaltem congruum, &c. Nec dicas, cùm, hac ratione, à Deo promittatur orationi donum Perſeuerantiæ, videtur conſequens, vt ſit obiectum meriti condigni, perinde v. g. ac Gloria, quæ idcirco dicitur cadere ſub meritum condignum, quia Iuſtorum bonis operibus promittitur à Deo, vt aiebam cap. ſuperiori, & in Morali. *Tract.* 2. *Diſp.* 5. *c.* 4. ℞. cum authore iam laudato, *Negando parit.* Quia perſeuerantiæ donum non promittitur per modum præmij aut mercedis, ſed tantùm per modum liberalis beneficij. Sic enim alia eſt promiſſio, quâ vir Diues Operario laboranti in vineâ promittit diurnum ſtipendium; altera autem, quâ petenti pauperi promittit eleemoſynam.

Inſt. 5. Cùm ſit neceſſe Prædeſtinatum, ex hypotheſi Prædeſtinationis, ſaluari à Deo, ſequitur, vt, media, per quæ ad ſalutem promerendam ordinatur, non ſint fallibilia aut repudiabilia: alioqui poſſet non ſaluari: ac proinde neceſſe eſt, vt Prædeſtinatis conferantur media eiuſmodi infallibilia; ergo, qui non ſunt Prædeſtinati, carent medijs, quibus ſalutem conſequantur. ℞. Non eſt neceſſe, vt media illa ſint irrepudiabilia; habentque media non Prædeſtinati, quibus poſſint, ſi velint, ſalutem conſequi.

Inſt. 6. Vt abſolutè & antecedenter ad omnem Liberi Arbitrij actum ſunt Prædeſtinati ad Gloriam, iuxta communem ſententiam, ſic abſolutè, id eſt, independenter à Liberi Arbitrij cooperatione, & antecedenter debent eſſe infallibilia Gratiæ illa auxilia: ergo, &c. ℞. Non ſequi illud ex doctrinâ, quam ſupponunt Aduerſarij, vt quidem probant Suarez & alij, qui [illegible] cum eo ſentiunt de Electione ad Glo-

ſtam. Verùm, vt, quid ſtatuendum ſit hac in parte, paucis intelligas; eſto.

CAPVT XVIII.

Quo pacto Creatura Intellectualis ad finem vltimum per Diuinam Prouidentiam ordinetur.

ILLA Prouidentiæ ratio, per quam Deus, ab æterno, Rationali creaturæ deſtinat finem vltimum, cum medijs ad illum aſſequendum idoneis, vocari ſolet *Prædeſtinatio*. Etſi enim interdum vox illa ſumatur quoque latiùs, & in malam partem; vt, quando in Conc. Valentino dicuntur impij Prædeſtinari ad interitum; vel quando *Act.* 4. legimus Deum *Prædeſtinaſſe* fieri, quæ à Iudæis flagitioſiſſimè perpetrata ſunt; vſus tamen communis inualuit, iuxta modum loquendi Sacrarum Scripturarum, vt accipiatur ſolùm pro Decreto ſeu Propoſito Dei æterno dandæ vel Gratiæ, vel Gloriæ. Sicque ait D. Th. 1. *p. q.* 23. *a.* 3. *ad.* 2. Prædeſtinationem eſſe cauſam Gratiæ in præſenti, & Gloriæ in futuro. Quo pacto, & Scotus *in* 1. *Diſt.* 40. *q.* 1. ſcribit Prædeſtinationem eſſe Electionem creaturæ intellectualis ad Gratiam & ad Gloriam. Ideóque ſolent effectus iſti enumerari Diuinæ Prædeſtinationis, ſeu Voluntatis & Propoſiti illius quo ſtatuit Sanctos perducere ad Beatitudinem: ac primò quidem eſt *Vocatio* interna ad Fidem; tum motus Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, aliæque id genus internæ animi affectiones, cum varia genere externo-

effectuum, cuiuſmodi ſunt Miracula, Prædicatio Euangelij, bona exempla, &c. quibus homines promouentur ad Fidem & ad Salutem. Quò reuocantur & alia etiam non ſupernaturalia, quæ tamen ſunt media, ex Chriſti meritis, ad ſalutem conſequendam; putà mors hominis in ſtatu Gratiæ exiſtentis, alioqui peccaturi mortaliter, niſi ita præueniretur: item, opportunitas recipiendi Sacramenta, bona indoles, &c. Secundus Diuinæ Prædeſtinationis effectus, eſt *iuſtificatio*, cum omnibus Gratiæ actualis auxilijs ad bene viuendum, & perſeuerandum in Gratiâ. Tertius denique eſt *Glorificatio*, ſeu vitæ æternæ conſecutio: paucisque hæc vniuerſa comprehendit Apoſt. Rom. 8. Quos *Prędeſtinauit*, inquit, *hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos glorificauit.*

His autem ſuppoſitis, duplicem vulgò obſeruant *Prędeſtinationem*: prima eſt ad Gratiam, de quâ potiſſimùm ſcribit D. Auguſt. quamque definit *Præſcientiam & Præparationem beneficiorum Dei, quibus, certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Quamobrem, ex mente D. Auguſtini, Prædeſtinari hominem à Deo, eſt, Deum præſcire, quibus medijs infallibiliter ad ſalutem peruenire poſſit; tum habere propoſitum illa conferendi ſuo tempore. Secundò verò, altera eſt Prædeſtinatio *ad vitam*, ſeu *ad Gloriam*; de quâ Trid. *Seſſ. 6. Can.* 17. cùm eos damnat, qui docent Iuſtificationis Gratiam non contingere niſi *Prędeſtinatis ad vitam.* Nam finem ſuum creaturis præſtituere, perinde eſt, opus Prouidentiæ, ac media ordinare ad illum finem.

NOTABIS tamen, pleriſque ita viſum eſſe, vt

Prædeſtinationem ad Gloriam appellent potiùs *Electionem*. Sed vtrique Prædeſtinationi, ſcilicet tam ad Gratiam, tum ad Gloriam, conuenit iſta appellatio ex Sacris Literis: vt quando B. Paulus ſcribens ad Epheſios, illos omnes vocat *Electos*, & *Prædeſtinatos*, etſi non omnes ſaluandi erant; imò nec Iuſti; ſed quia Fidem in Chriſtum ſequebantur. Quanquam ſtrictiſſimè & vſitatiſſimè Prædeſtinatio non ſumitur niſi pro Decreto efficaci & abſoluto dandæ Gloriæ: quod etiam Decretum vocant *Propoſitum*, *Electionem*, *Dilectionem*, &c. cui opponitur *Reprobatio*, ſeu Decretum efficax damnandi eos, qui moriuntur in ſtatu peccati mortalis. Sic enim ad Diuinam Prouidentiam attinet, non modò vt bonis præmia, ſed etiam & improbis ſtatuantur debita ſupplicia.

Porrò vt explicem, quemadmodum Deus creaturas intellectuales ad vitam æternam Prædeſtinarit, id eſt, quemadmodum ſtatuerit Decreto efficaci & abſoluto illis dare Gloriam; alios autem reprobarit; exponendæ ſunt priùs variæ hac de re ſententiæ.

Prima, olim, eáque Hæretica fuit Origenis, qui docuit homines ad *Gratiam* & ad Gloriam Prædeſtinari ob illa *opera*, quæ ab vniuſcuiuſque Animâ, priuſquam *infunderetur* in corpus, extitiſſent. *Sed contra eſt*, Nam *Rom*. 8. legitur Iacob fuiſſe electus, & Eſaü reprobus, *cùm nondum nati eſſent, aut quidquā vel boni vel mali egiſſent*: definitumque eſt in Conc. Later. ſub Innoc. 3. Animas, ante Mundum corporeum, non fuiſſe creatas, vt ſupponebat Origenes.

Secunda ſententia, eáque pariter Hæretica, eſt eorum, qui dixere fuiſſe Prædeſtinatos

homines, ob ea quæ fuiſſent facturi, ſi vixiſſent. *Contra eſt*. Nam ex 2. Cor. 5. *Referet vnuſquiſque ſecundùm propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.*

Tertia item hæreſis fuit Pelagianorum, qui cauſam vtique meritoriam Prædeſtinationis tribuebant ſolis operibus Liberi Arbitrij ab æterno præſcitis, nec vllum præterea Gratiæ interioris donum ſupernaturale agnoſcebant. Ab ijs diſcrepabant Semipelagiani, ſeu Maſſilienſes; qui fatebantur, ad ſalutem quidem requiri Gratiam internæ inſpirationis ſupernaturalem, ſed tamen putabant ineſſe nobis aliquod initium bonorum operum ex ſolis naturæ viribus, vnde Gratiæ illius ſupernaturalis donum promereremur. In vtráque illâ Hæreſi confutandâ, totus multis libris fuit D. Auguſtinus.

Quartò, huic errori longè contrarius fuit Caluinus; non tamen ſine erroribus alijs; nihil, in iſto negotio, tribuens Creaturæ meritis aut demeritis, ſed ſoli Arbitrio Dei abſoluto. Nam docet, Deum, ab æterno, maiorem hominum partem, ante præuiſionem culpæ vllius, etiam originalis, de ſe, poſitiuè & abſolutè Prædeſtinaſſe, tum ad peccata, tum ſimul ad inferorum ſupplicia; nec proinde poſſe illos, quicquid agant, non damnari: alijs, independenter quoque à ſuo vllo merito, ſalutem obtinentibus.

Quintò, ad hanc impietatem accedit Ianſenius. Quamuis enim fateatur, Homines, ſi in ſtatu innocentiæ perſtitiſſent, non fuiſſe eligendos ad Gloriam, niſi ex præſcientiâ meritorum cum libertate indifferentiæ; perperam tamen docet, peccante Adamo, omnes eius poſteros perdidiſſe

perdidiſſe illam libertatem, vti quidem iam explicui in Morali. *Tr.* 2. *Diſp.* 2. *c.* 1. tum, inquit, paucis, per media Prædeterminantia, âd Gloriam purè gratuitò Electis, reſtant alij in Maſsâ perditâ, ſine auxilijs ad ſalutem neceſſarijs; quamobrem, docet cum Caluino, peccare illos neceſſariò, nec poſſe ſeruare Dei mandata, aduerſante concupiſcentiæ impetu, cui nequeant reſiſtere; nec pro ijs mortuum eſſe Chriſtum, &c. Notandumque eſt, Maſſam perditionis, de quâ hic loquimur, dici à Theologis totum genus humanum, per peccatum originale corruptum, alludendo ad illud, *Rom.* 8. *An non habet poteſtatem Figulus luti ex eâdem maſſâ facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

Quæ verò ſequuntur ſententiæ, communes ſunt inter Catholicos, nec licet vlli ex ijs inferre cenſuram, cùm de nullâ iudicium tulerit Ecclefia, habeantque ſingulæ propugnatores Theologos tum Sanctiſſimos, tum Doctiſſimos.

Prima eſt, ſuperiori, hac in parte, conſentanea, quòd authores iſtius perinde velint Prædeſtinationem ad Gloriam eſſe donum *purè gratuitum*; vnde alios ex hominibus aut Angelis, certo ac determinato ſolùm numero, ante præuiſionem meriti cuiuſcunque aut demeriti, decreto efficaci & abſoluto elegerit Deus ad Gloriam; deſtinando illis media ſeu Gratiæ auxilia, quibus ad eam perueniant, in ſententiâ quidem Bannis & Aluaris, phyſicè prædeterminantia, vt explicui in Phyſic. Vniu. *Diſp. de Prædeter.* ſed in aliorum ſententiâ, quæ ſaltem ſint moraliter prædeterminantia; aut quibus, ex ſpeciali Dei Prouidentiâ, e-

ſentiatur infallibiliter : alijs vero, id eſt, non ſaluandis, conferuntur quidem auxilia gratiarum ſufficientia, vt inquiunt ; ſed effectum habitura nunquam : iſtique non ſaluandi, eam ob cauſam dicuntur Reprobi, ſaltem *negatiuè*, quia, cùm Deus non habeat eo modo voluntatem illos ſaluandi, inde conſequenter reprobi fiunt.

Secunda verò ex ſententijs Catholicis tradit, Deum, quantùm eſt ex ſe, velle omnes omnino homines ſaluos fieri, ſi velint ; at efficaciter & abſolutè ſalutem illis non deſtinari aut mortem, niſi poſt præuiſionem operum ex Gratiâ, in adultis ; aut poſt præuiſionem ſtatus finalis. Dixi *operum ex Gratiâ*, vt oſtendatur diſcrimen à ſententiâ Pelagianorum, qui ſtatuebant Electionem ad Gloriam fieri quidem ex præuiſione operum, ſed non *operum* ex Gratiâ.

Mitto ſententiam Catherini, cùm docet non omnes, qui ſaluantur, debere dici Prædeſtinatos, ſed eos duntaxat, qui ex ſpeciali Prouidentiâ, ante præuiſionem meriti cuiuſcunque, abſolutè eliguntur ad Gloriam ; cùm alijs non ſit deſtinata, niſi ex præuiſione operum, aut ſtatus finalis.

****

CAPVT XIX.

Vera Sententia.

DICO I. Potuit Deus efficaci & abſoluto decreto ſaluare omnes omnino tum Angelos, tum homines, nihil enim repugnat. Item,

DICO II. Potuit Deus, & quidem iuſtiſſimè,

deſerere omnes homines in Maſsâ perditâ, ob peccatum originale; aut aliquos ſolùm, vel conditionatè, vel abſolutè, aut per merita, aut independenter à meritis, prout libuiſſet, ſaluare. Nihil enim hæc etiam repugnant. At

Dico III. Neminem ex ijs reprobauit, vel negatiuè. Nam, vt ſuprà oſtendi, quantum eſt de ſe, vult poſitiuè omnes ſaluos fieri, & omnibus, vel proximè, vel ſaltem remotè, media ad ſalutem præparauit, &c.

Notabis autem, hanc Dei voluntatem vniuerſalem ſaluandi omnes homines, eſſe tantùm conditionatam, ſupponendo rerum naturalium curſum communem, aut conſenſum ad Gratiam, &c. Alioquin ſi foret abſoluta, nemo damnaretur; ſiquidem voluntas Dei, cùm ſit omnipotentiſſima, vbi nulli conditioni eſt alligata, fruſtrari nequit. Quinetiam

Dico IV. Prædeſtinatio ſeu Electio ad Gloriam, id eſt, voluntas efficax & abſoluta, quam habet Deus dandæ Gloriæ ijs qui ſaluandi ſunt, non eſt niſi ex præuiſione ſeu præſcientiâ meritorum, aut Gratiæ finalis. Ita Sancti Patres tum Latini, tum Græci ferè omnes, qui ætate præceſſerunt D. Auguſtinum, vt ſcribit Proſper in Epiſt. ad D. Auguſt. præfixâ eius libro de Prædeſt. Sanctorum. Ita cum S. Bonauenturâ, ex poſterioribus, Vaſquez, Greg. à Valent. Becanus, Leſſius, Pennotus, Gamachæus, Maratius, Martinonus, &c. Eſtque D. Thomæ, vt patebit ſtatim. *Probatur ratione.* 1. Quia Deus, quantum eſt de ſe, volens omnes ſaluos fieri, Gloriam illis non præparauit, adultis ſaltem, niſi vt præmium & mercedem operum ex Gratiâ: ergo voluntas illa efficax & abſoluta dandæ Gloriæ, ſeu Prædeſtinatio aut Electio ad Glo-

riam, ſupponit præuiſionem meritorum ex Gratiâ: iſtudque apertè indicat particula hæc cauſalis, quæ habetur in ſententiâ iudiciali Chriſti Domini. *Poſſidete paratum vobis Regnum: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.*

Diſtinguitur ab Aduerſarijs duplex voluntatis & ordinis genus. Prima, inquiunt, eſt voluntas Antecedens, eademque *Eligens* ſeu *Prædeſtinans abſolutè*: altera autem eſt exequens & conſequens ad merita; adduntque voluntatem eligentem abſolutè ad Gloriam, priorem eſſe ordine intentionis, & eſſe independentem à meritis; alteram verò, quæ eſt conſequens, & poſterior ordine executionis, ſolam ſupponere merita: quomodo, per proportionem, ſi quis, ex ſpeciali beneuolentiâ erga alium, ſtatuiſſet abſolutè illi donare liberaliter centum nummos, quod tamen de facto non præſtaret, niſi operâ, in aliquo negotio, ſibi ab eo commodatâ. Quare, inquiunt, quòd ita Chriſtus agat, non pertinet niſi ad voluntatem exequentem; ſeu ad ordinem executionis, ſupponendo intentionem abſolutam dandæ Gloriæ purè gratuitam, ad oſtenſionem Miſericordiæ; cæteris, ad ornatum Vniuerſi, & ad oſtenſionem Iuſtitiæ, abſolutè relictis; vt paſſim docet Aluarez, *De Auxilijs*.

Sed *contrà eſt*. Primo, quia, licet hæc, quæ docet Aluarez de illâ duplici voluntate & ordine, non ſint abſolutè impoſſibilia, pugnant tamen de facto cum ipsâ rei veritate: ſiquidem, vt ſcribit D. Th. 1. p. q. 23. a. 5. *Sicut ſaluos nos facit*, nimirum per merita bonorum operum; *ita & Prædeſtinauit nos ſaluos fieri*. Nec aliud conſtat ex Sacris Scripturis.

Confirm. Quia ad explicandum, ex Sacris Literis, totum hoc Prædeſtinationis Myſterium, ſufficit voluntas antecedens *conditionata* dandæ Gloriæ, quæ tranſeat in *abſolutam*, poſitâ conditione meritorum, aut Gratiæ finalis: ergo fruſtra eſt diſtincta alia antecedens abſoluta. Et verò, ſi quocunque tandem modo foret hæc neceſſaria; defuiſſet Reprobis id quod neceſſarium eſt ad ſalutem; quæ conſeq. admitti non poteſt. Item, duæ voluntates illæ deſtruerent ipſam rei veritatem; inde enim ſequeretur, Gloriam Prædeſtinatis dari ſimul purè gratuitò, ſimulque non purè gratuitò, quia daretur ex meritis. Item, 3. nec ſyncerè loqueretur Chriſtus in extremo iudicio, ferendo illam ſententiam, in quâ exponendâ verſamur. Nam cauſam ſalutis in Prædeſtinatis, & damnationis in Reprobis minùs præcipuam ſupponeret pro præcipuâ, & à quâ reliquæ omnes cauſæ, omneſque effectus Prædeſtinationis dependent: quippe voluntas antecedens & abſoluta dandæ Gloriæ, ſola eſſet cauſa, cur Prædeſtinati acciperent media efficacia ad promerendam Gloriam; cuius etiam antecedentis & abſolutæ voluntatis defectu, tam infeliciter ageretur cum Reprobis. Item, 4. nec bona & iuſta eſſet, pugnaretque cum naturali ratione illa antitheſis Electorum ac Reproborum, quam vſurpat Chriſtus Dominus; ſiquidem eorum non foret par ratio, quantum eſt ex parte Dei. Quippe Reprobis defuiſſet voluntas Dei antecedens & abſoluta dandæ Gloriæ, vi cuius, Prædeſtinatis conferrentur media efficacia ad ſalutem, ſiue phyſicè, ſiue non phyſicè prædeterminantia. Neque verò etiam æqua foret Chriſti expoſtulatio aduerſùs Reprobos: ſi enim, iuxta ſenten-

tiam Aduerſariorum, ſimilis Prouidentiæ & amoris participes fuiſſent Reprobi, egiſſent eadem ac Prædeſtinati; nec pariter, ſalutem promeriti fuiſſent vlli ex Prædeſtinatis, ſi eandem ſub Prouidentiam cum Reprobis cecidiſſent. Deinde etiam, Deus fieret iniuſtè Perſonarum acceptor, ſi aliquos tantùm hac ratione eligeret. Etſi enim iuſtè potuiſſet omnes homines relinquere in Maſsâ perditâ; quia tamen, quantum eſt de ſe, ſub ijs legibus, quas iam explicui, vult omnes ſaluos fieri, iſtudque promiſit; maximè verò, quia ſummo iure illud meruit Chriſtus, pro omnibus moriendo; poſito rerum præſenti ſtatu, ſequitur vt Deus æquitatem hanc ſeruare teneatur, ita Perſonas non accipiendo; iuxta illud Sacræ Scripturæ. Act. 10. *Non eſt Perſonarum acceptor Deus.*

Prob. 2. hac ratione noſtra Aſſertio. Quòd iuxta illum Prædeſtinationis modum, ſtatuitur antecedenter & abſolutè, ex parte Dei, certus ac determinatus ſaluandorum numerus, qui, ex parte Creaturæ, *nec augeri poſſit, nec minui*: ſuntque hæc verba D. Thomæ 1. *p. q.* 23. *a.* 6. quem hoc ſenſu accipiunt Aduerſarij; vt ſinguli qui ſaluandi ſunt, numero illi, ex eodem pariter decreto antecedenti & abſoluto veluti adſcribantur; alij autem reprobentur *negatiuè* ſaltem, quatenus iſto numero immutabili non comprehenduntur; nec proinde illis prædefiniatur Gratia Perſeuerantiæ, &c. Atqui, virtualiter ſaltem & æquiualenter, hoc idem eſt ac poſitiua Reprobatio, quam, aduersùs Caluinum, impugnant Catholici, vt repugnantem Diuinæ bonitati; &c. parúmque noſtra intereſt, ſiue formaliter & poſitiuè, ſiue negatiuè & æquiualenter excludamur à Gloriâ, antecedenti

& abſolutâ Dei voluntate; quandoquidem ex genere iſto Reprobationis negatiuæ, non minus infallibiliter ſequitur damnatio. Ita, per proportionem, inquit Petauius, *Tom. 1. Dogm. lib. 9. c. 9.* Cenſores olim apud Romanos, cùm Senatores legerent, quos vellent ex illorum albo reijcere, eorum nomina non recitabant, ijque dicebantur præteriti, quod idem erat ac Reiectitij. Quarobrem multi ex Aduerſarijs, putantes hanc eſſe mentem D. Auguſtini, aſſerunt conſequenter, Deum, ab æterno, non habere voluntatem ſaluandi eiuſmodi *Reiectitios*, ſeu negatiuè Reprobos; quamuis, vt docent, non reprobentur poſitiuè, & pœnis addicantur, niſi ex præuiſione peccati, quod peccatū non diffitentur ſequi infallibiliter ex negatiuâ illâ Reprobatione. Ita Bellarminus ipſe, *Tom. 4. lib. 2. de Gratiâ & Libero Arb. c. 16.* Ex quibus certè videtur conſequens, Chriſtum non eſſe mortuum niſi pro Prædeſtinatis illis: quod tamen credere eſt nefas, poſt Conſtitutionem Innocentii X. & Alexand. VII. Prætereà verò ex Aduerſariorum doctrinâ;

Sequitur 1. Ex hominibus, alijs fatalem eſſe damnationem, quam vitare non poſſint; nec poſſe alios non ſaluari. Quare ſic vnuſquiſque de ſe poteſt ſtatuere: vel ſum comprehenſus numero Electorum, ac proindè infallibiliter ſaluabor, quicquid egero, aut quicquid agere neglexero: vel ſi illo numero comprehenſus non ſum, nihil proficiet mihi, etiamſi bene vixero; quandoquidem hoc etiam Reprobationis genus habet euentum infallibilem. Quid ergo torquebo me? quid nos ſollicitos teneat cura bonorū operum, aut ſalutis alienæ? num potius humana omnia, quaſi fatali cuidam

neceſſitati permittenda ſunt ? imò iſtud foret magis ineluctabile, quàm Stoïcorum, aut Aſtrologorum Fatum, cui tam graue dicitur Anáthema ab Eccleſiá : foret, inquam, magis ineluctabile & inſuperabile ; quia nihil tam poteſt eſſe omni modo inſuperabile, quàm Dei voluntas antecedens & abſoluta ; cùm ſit omnipotentiſſima. Hinc autem multa ſequerentur contra bonos mores. Quinetiam

Sequitur 2. Promiſſiones aut comminationes Diuinas generales, eſſe omnino vanas & illuſorias ; vt quando promittitur nobis à Deo vita æterna, ſi ſeruamus mandata, & ſi perſeueramus : idem enim eſt ac promitti nobis ab eo vitam æternam, ſi decreto ſuo antecedenti & abſoluto ad illam nos elegerit, aut prædeſtinauerit nobis perſeuerantiam, cæteráque id genus. Quo pacto, comminari pœnam damnationis, idem foret, ac perſeuerantiam non decernere abſolutè. Cùm enim conditio illa pendeat à Deo, vt à causâ prædominante, ex quâ etiam ſequuntur alia infallibiliter ; non immeritò res tota reſoluitur in eius purum Arbitrium, nec ab eo, in reipſa, differt iſtiuſmodi conditio, vt vulgò docent. Item,

Sequitur 3. Vanas eſſe preces Eccleſiæ, dum in Canone Miſſæ, poſtulamus à Deo, *vt in Electorum grege nos iubeat numerari* ; ſiquidem abſoluto atque immutabili Decreto, eóque antecedenti ad quodlibet Creaturæ opus, iam ab æterno, illâ de re ſtatutum eſt ; nec immeritò, iuxta hæc principia, Ianſenius, negat eſſe poſſibilem Reprobis ſalutem, aut pro illis Chriſtum eſſe mortuum ; id eſt, illis promeritum fuiſſe Gratias ſufficientes, quibus ſaluari poſſent ; ſiquidem, hac ratione, Electorum

numerus augeri ab ijs non poteſt, quod idem eſt ac ſaluari non poſſe : quæ tamen ſunt Hæretica.

In noſtrâ autem ſententiâ, etſi cum D. Thomâ credamus, numerum Prædeſtinatorum hominum eſſe à Deo, etiam antecedenter & abſolutè prædefinitum, ſeu elegiſſe non maiorem ſaluandorum numerum; vt, ſi lubet, in Angelorum, qui perierunt locum ſuccedant; Negamus tamen ſingulos, qui de facto ſaluandi ſunt, ad prædefinitum illum numerũ debere adſcribi ex Decreto Dei antecedenti & abſoluto, ſed omnes, etiam damnandos, dum hìc viuunt; ad hunc implendum vocari, ſi velint; & tandiù Mundum eſſe duraturum, donec impleatur; velletque Deus nullos excludi. Quanquam, in aliorum ſententiâ, Deus illum numerum de ſe antecedenter & decreto abſoluto non prædefiniuit; velletque potiùs maiorem fieri, &c. Sed eâ de re quicquid ſit; nihil ad noſtram quæſtionem attinet.

NOTANDVMQVE eſt 1. Deum habere certitudinem de illis, qui ſaluandi ſunt, non quidem vi ſolius Electionis antecedentis & abſolutæ, quæ ad ſingulos ſpectet, quamque ſupponunt Aduerſarij; aut etiam vi auxiliorum, quibus præueniuntur ad promerendam ſalutem; ſed tantùm *conſequenter* ad bona totum opera, aut ad Gratiam finalem; quæ vis eſt ſcientiæ ipſius infinitæ, per quam infallibiliter præuidet, quid vnuſquiſque cum tali auxilio, & in talibus circumſtantijs facturus ſit; quemadmodum explicui in Morali. *Tract.* 2. *Diſput.* 2. *c.* 4. Item,

NOT. 2. Præſcientiam illam, metaphoricè appellari *Librum vitæ*: quemadmodum enim

portionem, Dei notitia eſt illi veluti ſignum repræſentatiuum eorum, qui ſunt ſaluandi; *habens ſignaculum hoc*, inquit Apoſt. 2. Tim. 2. *cognouit Deus, qui eius ſunt.* Nec poteſt quiſquam deleri de libro vitæ, vbi in eo *abſolutè & completè* eſt ſcriptus, ſiquidem falli non poteſt Diuina illa præſcientia, eſtque de obiecto, quod, *conſequenter*, non poteſt non eſſe. Quanquam deleri poteſt iuſtus *inchoatiuè* tantùm in eo deſcriptus, quandiu hîc viuit, ſi, per aliquod peccatum lethale, ſtatum Iuſtitiæ & Sanctitatis amiſerit. Item,

Not. 3. Noſtram hanc de Prædeſtinatione doctrinam, Libero Arbitrio eſſe prorſus conſentaneam: Nam meritorum præſcientia, tum ordinatio ad Gloriam ex illis meritis, conſequuntur ſolùm ad vſum noſtræ libertatis; duoque tantùm iſta pertinent ad naturam Prædeſtinationis. Vnde etiam intelligas, quemadmodum, ſuppoſitâ Dei Gratiâ quâ præuenimur ad bene viuendũ, relinquitur in noſtrâ poteſtate vt Prædeſtinemur ad Gloriam: neque illud reijci debet, *ſi tu non es Prædeſtinatus, fac vt Prædeſtineris*; quaſi in noſtrâ poteſtate non ſit; niſi agitur de Prædeſtinatione ad primam Gratiam. Quare huc commodè referri poteſt illud B. Pauli ad Rom. 8. celebre effatum: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ſi velint illis omnibus bene vti, & manere in Dilectione; *Iis*, videlicet, *qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti*, id eſt, qui vocati ſunt ad Fidem & ad Gratiæ Sanctificantis Statum, ſecundùm deſiderium antecedens, quod de ſe habet Deus ſaluandi omnes homines;

quod etiam deſiderium ſeu voluntas eum mouit vt vocaret, & conſentientes vocationi iuſtificaret, tum perſeuerantes in Iuſtitiâ ſeu Gratiæ Sanctificantis ſtatu glorificaret. Nam, vt ſubdit idem Apoſt. *quos præſciuit* conſenſuros & perſeueraturos: & quos proinde *Prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui* in Gloriâ; quos, inquam, ex præuiſione bonorum operum ſic ab æterno Prædeſtinauit ad Gloriam, *hos*, in tempore, exequendo propoſitum ſeu beneplacitum antecedens eos ſaluandi, *vocauit*; *& quos vocauit, hos & iuſtificauit*, ſi vocationi conſenſerint: *Quos autem iuſtificauit*, ſuppoſitâ ſimiliter perſeuerantiâ, *illos & glorificauit*. Item,

NOT. 4. Tam inſigne Prædeſtinationis beneficium proficiſci maximè ex Chriſti meritis; ſiquidem nulla in nos à Deo manat ſalutis Gratia, niſi ex eius intuitu. Ita enim Eph. 1. dicitur Deus *benedixiſſe nos in omni benedictione Spirituali in Cœleſtibus, in Chriſto*. Quod tamen explicari non poſſet in Aluaris ſententiâ, cùm doceat omnem Prædeſtinationem ad Gloriam factam eſſe abſolutè ante præuiſionem meriti cuiuſcunque, etiam & ante Decretum de Incarnatione Verbi Diuini.

CAPVT XX.

Soluuntur Obiectiones.

OBIIC. 1. Diuus Auguſtinus, cuius authoritas, hoc præcipuè loco, tanti eſt ponderis, paſſim docet Prædeſtinationem non eſſe

præuiſis meritis Liberi Arbitrij ſolius, contra Pelagianos; tum de Prædeſtinatione ad Gratiam, ſeu de Prædeſtinatione complete ſumptâ, id eſt, pro totâ ſerie Gratiarum, quibus peruenitur ad Gloriam, incipiendo à primâ Gratiâ: aut quemadmodum loquuntur alij, accipiendum illud eſt, non de Prædeſtinatione ad Gloriam *formaliter* ſumptam, quatenus eſt merces bonorum operum ex Gratiâ, ſed de ipsâ Prædeſtinatione *radicaliter* ſumptâ, id eſt, pro ſerie gratiarum, incipiendo à primâ, quam conſequitur Gloria. Certum enim eſt, contra Semipelagianos, primam illam Gratiam non poſſe cadere ſub meritum; quia principium meriti non cadit ſub meritum vllum: hic autem non diſputatur à nobis, niſi de Prædeſtinatione ad Gloriam, num fiat ex præuiſis Gratiæ meritis, aut potius ex ſolo Dei beneplacito: quæ difficultas à B. Auguſtino non tractatur, ſaltem ex profeſſo. *Prob.* Quia tunc ſolum in Eccleſiâ fuit quæſtio aduersùs Pelagianos, vtrum operibus Liberi Arbitrij, abſque auxilio ſupernaturali Gratiæ interioris, poſſemus Gloriam promereri; aut contra Semipelagianos, an poſſemus primam Gratiam per ſolas naturæ vires obtinere. *Conf.* 1. Quia Prædeſtinationem aliam non definit, quam quæ eſt ad Gratiam; cùm ait, *eſt præparatio mediorum, quibus*, vtique ſi velimus, &c. *Conf.* 2. Quia *lib. de bono perſeuer. c.* 18. ſcribit, ſuam, hac in parte, doctrinam eſſe de Fide; vbi ſic loquitur: *hoc ſcio, neminem contra iſtam doctrinam, quam ſecundùm Scripturas Sanctas defendimus, niſi errando, diſputare*

potuiſſe. Ergo, quas contra Hæreticos ſui temporis inſtituit Diſputationes, eæ non ſunt de Prædeſtinatione ſeu Electione ad Gloriam, ex operibus Gratiæ; quia hæc quæſtio non eſt de Fide, vt ipſi fatentur Suarez & Ruiz cum multis aliis. Quamobrem, dico, Bellarminum, cùm huius rei minimè ignarus fuerit, defendendo cum D. Auguſtino Prædeſtinationem ante præuiſa merita, & contrariam ſententiam damnando, quaſi Hæreticam, non agere niſi de Prædeſtinatione ad Gratiam; nec eius argumenta quidquam aliud probant. *Conf.* Quia, cùm eſſet vir Sanctiſſimus peræquè ac doctiſſimus, doctrinam hanc, quam ſuſtinemus, non approbaſſet in Gabriele Pennoto.

NOTABIS tamen, Controuerſiæ iſtius caput, à D. Auguſtino nonnunquam ſic attingi, vt modò vni, modò alteri ſententiæ fauere videatur. Primò enim aliquando affirmat Prædeſtinationem ad Gloriam, non eſſe niſi ex meritis Gratiæ: quod ſine dubio adſcribit Angelis, tum Hominibus, pro ſtatu Innocentiæ, quemadmodum ipſe tradit Ianſenius; vbi diſcrimen Prædeſtinationis hominis lapſi ab Innocente petit ſolummodo à differentiâ Gratiarum, aut non prædeterminantium, aut prædeterminantium, quas huic Statui falsò attribuit. Quare, cùm ſupponamus ex D. Auguſtino, Gratiam, in naturâ etiam lapsâ, non tollere libertatis indifferentiam, ſeu nõ eſſe Prædeterminatiuam, quemadmodum in Morali, & in Phyſic. Vniuerſ. *de Prædeſt.* oſtendimus; inde conſequens eſt, in eius doctrinâ, vt fiat Prædeſtinatio ad Gloriam ex meritis, etiam in Naturâ lapsâ. Præterea verò, inde ſatis conſtat de mente S. Auguſtini, quòd, varijs in locis citatis à Mæratio. *Tract*

Rom. *vitam æternam* dicat eſſe *Gratiam*, cùm certum ſit vitam æternam bonis operibus debitam reddi; non aliam profert rationem, niſi quia eſt ex meritis Gratiæ: cùm tamen expeditiſſima fuiſſet Reſponſio petita ex Electione ad ipſam Gloriam antecedenti & abſolutâ ſeu purè gratuitâ, ſi veram eſſe reputaſſet. Item, lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. docet neminem eligi ad Gloriam, niſi *diſtantem* ab eo qui reiicitur: *vnde quod dictum eſt*, inquit, *quia elegit eos ante conſtitutionem Mundi, non video quomodo dictum ſit, niſi Præſcientiâ*, id eſt, niſi ex *Præſcientiâ* bonorum operum per Gratiam. *Reſpondent Aduerſarij*, hoc ſeniorem retractaſſe. *Sed contrà eſt*. Nam lib. 2. Retract. cap. 1. vbi de hoc libro ad Simpl. agit, doctrinam in eo traditam valde commendat: quod idem præſtat lib. de Prædeſt. Sanct. c. 4. tum libro de bono perſeuer. c. 20. 21. &c. nec dubitant Gregorius à Valentiâ, Vaſquez, Leſſius, & alii, perſtitiſſe in eâdem ſententiâ: quæ verò obiiciuntur, accipienda eſſe de Prædeſtinatione ad Gratiam.

Verùm, aliâ ex parte, repugnant, Ruiz, multique illius ætatis Scriptores eximii, acerrimè contendentes pro Electione ad Gloriam purè gratuitâ; eò maximè inducti, quòd videatur eſſe mens D. Auguſtini. Item, & Petauius. 1. *Tom. Dogm.* pluribus quoque Diui ipſius Auguſtini teſtimoniis probat ſenſiſſe iſtud. Quare exiſtimari meritò poſſet, nihil de hac quæſtione definiiſſe tantum Doctorem, cùm nihil haberet momenti ad controuerſias temporis illius dirimendas. Aut ſi quid

parte videatur affirmaſſe , nõn eſt ann
ancrandum , niſi inter ea Dogmata , de quib
libera iudicia relinquuntur Theologis, ex Decre
Cæleſtini Papæ , cuius memini in Moral
Tract. 2. Diſp. 2. c. 3. Et verò , ſi Regular
quam ipſe tradidit B. Auguſtinus , ſequi , p
æquitate rei, voluerimus, Doctores quoſcunq
non Canonicos , vbi conſentientes alios no
habent, ſic audiemus , vt eorum ſola auth
ritas nullam afferat nobis ſentiendi neceſſit
tem : hæc quippe illius verba ſunt , Epiſt. 1
Alios ita lego , vt quantalibet Sanctita
doctrináque præpolleant , non ideo verùm puten
quia ipſi ita ſenſerunt , ſed quia mihi probab
ratione , quòd illud à verò non abhorreat , pe
ſuadere potuerunt. Tum Epiſt. 111. *Qualis e*
ſum in ſcriptis aliorum , tales volo eſſe inte
lectores meorum. Ratio eſt , quia nulli eoru
promiſſa fuit infallibilitas , & ſinguli ferè
quibuſdam errarunt : quod ipſi etiam B. A
guſtino contigiſſe oſtendit pluribus , in An
Ianſenio, Martinonus. *Diſp. 12. ſ. 5.* hucq
etiam ſpectat , quod ſcribunt, S. Bonauentu
S. Thomas , Scotus , Abulenſis in Defenſori
2. p. c. 16. Gabriel Pennotus ex Ordine ipſi
S. Auguſtini, &c. duriùs paulò fuiſſe aliquan
locutum , contra Hæreticos diſputando , 8
Quamobrem Petauius, vir tantæ eruditionis,
D. Auguſtini tam ſtudioſus , quanuis mul
capitibus , iiſque ampliſſimis , putet ſe d
monſtraſſe ex B. Auguſtini ſententiâ, Electione
ad Gloriam fieri ex puro Dei Arbitrio , iudic
tamen nõ eſſe propterea illi adhærendum;qu
vt oſtendit lib. 10. c. 1. & ſequentibus, *Nul*
eſt omnino Scripturæ locus, quo D. Aug. aut e
Sectatores nituntur , qui non alio ſenſu ab An

authoritas, *imò potius ab eâ nos planè abſterrere videatur.*

Quod enim ſupponunt 1. de electione Iacob, antequam boni quidquam feciſſet, ex Apoſt. *Rom.* 4. Reſpondent communiter hic ſermonem eſſe tantùm de electione ad bona temporalia: alioquin, vbi Eſaü perinde dicitur reprobatus, antequam mali feciſſet quidquam; ſequeretur reprobationem à Gloriâ fieri quoque ante præuiſionem peccati, quod eſt Caluinianum. Quinetiam Tyrinus in Geneſis caput 36. docet, probabiliori ex ſententiâ, non eſſe damnatum Eſaü, & ſanctiùs vixiſſe, poſtquam rediit cum Fratre in Gratiam. Quanquam non Nego hic per figuram explicari ab Apoſt. quemadmodum iuſto & inſcrutabili Dei iudicio, Gentiles ad Gratiam Euangelij ſint vocati, reiectis Iudæis, ob eorum incredulitatem; etſi, pari modo, Gentiles quoque ob eandem incredulitatem reijci potuiſſent. Sed inſcrutabile Dei iudicium eſt, cur pari in cauſâ, vnus aſſumatur, relinquatur verò alius: quâ ratione permiſit Pharaonem obdurari & perire, cùm tamen Nabuchodonoſorem pari flagitio conſtrictum, pro ſuâ benignitate, ſit complexus. Sic etiam ex duobus, vel in peccato ſolùm originali, vel in actuali exiſtentibus, alterum permittit damnari; alteri autem miſericordiam exhibet: Item, hunc permittit naſci ex parentibus Barbaris, pro communi rerum naturalium curſu; alium porro vult eſſe Chriſtianum, vnde ſalutem conſequatur; & cætera id genus, propter quæ vſurpatur illud Apoſtoli, *O altitudo ſapientiæ!* &c. Item,

Quod

...eo priuari ...cat. vnquam poſſint : non quidquam detrahitur ſupremo illius dominio.

Inſt. 2. Ex D. Auguſt. *Deus*, inquit, *reddit debita, nulli debens.* ℞. Deum reddere debita, cùm tamen nulli debeat, quantùm eſt de ſe, id eſt, niſi pro ſuâ libertate voluiſſet ſe debitorem conſtituere.

Inſt. 3. Non eſt perfecta alteritas inter Deum & Creaturam, cùm Deus ſemper retineat dominium ſupremum, permiſſo creaturæ dominio aliquo particulari in ſuos actus. ℞. Non eſſe quidem ſtrictam & rigoroſam iuſtitiam in Deo erga creaturas, defectu huius circumſtantiæ. Quomodo *neque* eſt in Repub. erga ſubditos, quia iura perfectè præciſa non ſunt. Vt legere eſt *cap. 1. Diſputationis iam citata, De Iuſtitia in Morali*. At hoc non impedit, quominus ſit propriè Iuſtitia.

Dico autem II. Hanc eſſe ſaltem Iuſtitiam diſtributiuam ; qualem explicui in eâdem illâ Diſputat. *cap. 2.* in quâ ſeruatur æqualitas cum Geomericâ proportione ; æqualitas, inquam, phyſica, vel ſaltem *moralis* ; præmia aut pœnas pro vniuſcuiuſque meritis decernendo. Vnde illa Iuſtitia dicitur tum remuneratiua, tum vindicatiua. Quanquam nonnulli velint Iuſtitiam vindicatiuam eſſe ſpecialem, & diſtinctam à ſpeciebus Iuſtitiæ diſtributiuæ.

Nec dubitant, quin Iuſtitia hæc vindicatiua ſit propriè & formaliter in Deo, cùm alia non ſit quàm Iuſtitia punitiua. Eſt enim in Deo affectus etiam efficax puniendi, cùm reipsâ puniat ; qui affectus, inquit Mæratius, cùm ſit iuſtiſſimus, eſt proprius Iuſtitiæ punitiuæ affectus. Atque huc referri poſſunt nonnulla,

Tract. 2. *Diſp.* 5. *c.* 4. tum in hæc Diſput. *Appendice ad Dei Sanctitatem.*

NOTANDVMQVE eſt prætereà, vel ex effect ipſis, quanta ſit in Deo Iuſtitia omnis. Qua tùm enim illud eſt, quòd hominis Iuſti v modicam eleemoſynam compenſet donatio Regni & beatitudinis æternæ? At pari per pr portionem modo, pro eàdem ſublimitate ſi propriæ Majeſtatis, punit ſceleratos. Sic eni Angelorum principem, & cum eo fœder eos, admiſſo vel vno crimine, ſtatim Cæ eiecit, perpetuiſque addixit ſuppliciis: Sic vn uerſum genus humanum ob vnam Primoru Parentum noxam afflixit. Ita ex peccato mo tali quolibet incurruntur pœnæ damnatoru æternæ. Nec poteſt non eſſe iuſta illa damna tio, ſiquidem non poteſt Deus agere iniuſt Et verò, legem hanc ſequitur ſemper, vt nun quam remittat peccatum, ſine condignâ ſatis factione, quamque exigit ipſa Diuina Iuſtitia ac proinde, nemo vnquam, citra Chriſti Do mini meritum, cum Deo redire in Gratia potuiſſet; ſiquidem nulla pura creatura ſatis factionem eiuſmodi condignam illi exhiber poteſt. Quare, neceſſe eſt, vt pœna damna torum finem habeat nunquam; cùm ad eo non ſeſe extendat Chriſti Domini Redemptio, pœnamque mereantur quolibet tempore diu turniorem, vt dixi in Phyſicâ Vni. *Diſput. de infinito, cap. vlt. ſub finem.*

Trinitas Perſonarum in Deo.

EX Doctrinâ Fidei Chriſtianæ, Deus ita eſt *Vnus* in Naturâ, vt ſimul *Trinus* ſit in Perſonis. In eo quippe eſt *Pater*, à quo, per veram Generationem procedit *Filius*; quem idcirco Sacræ Literæ *Verbum* nominant, quia procedit per Intellectum. Nam ex D. Thom. 1. *p. q.* 27. *a.* 1. 2. *&* 3. quemadmodum Intellectus noſter, rem aliquam cognoſcendo, producit in ſe *Verbum*, id eſt, *conceptum*, ſeu imaginem vitalem illius rei, quam cognoſcit: ita, per proportionem Deus Pater, cognoſcendo ſeipſum, producit *Verbum*, ſeu vitalem imaginem ſui ipſius. Item, quemadmodum etiam, vbi rem aliquam amamus, producitur in nobis actus vitalis propenſionis in rem amatam: ita, per proportionem, in Diuinis, Pater & Filius ſeſe amando mutuò, producunt Perſonam Tertiam, quam Spiritum Sanctum appellant. Quanquam, in nobis, ille terminus, qui per Intellectum & Voluntatem producitur, non eſt niſi qualitas accidentalis. At in Deo eſt ſubſtantia; quia nihil eſt in Deo, quòd non ſit ſubſtantia, ipſéque formaliter Deus: vnde & illæ tres Perſonæ dicuntur *conſubſtantiales*, eiuſdemque eſſentiæ Diuinæ. Item, obſeruandum hoc loco prætereà eſt diſcrimen Diuinam inter & creatam tum Intellectionem, tum Volitionem; quòd, in nobis, Verbum illud mentis & amoris actus producuntur ex neceſſitate tum

formaliter repræſentatiua, per quam intellectus redditur formaliter intelligens actu, &c. At contrariâ penitus ratione philoſophandum eſt de Deo. Non enim Deus aut Perſonæ Diuinæ ſunt intelligentes aut volentes, niſi per intellectionem aut volitionem communem, ipſis eſſentialem & improductam, nec ab ipsâ Dei eſſentiâ diuerſam; iuxta id quod diximus cap. 1. huius Diſput. alioqui, cùm ſolus Pater producat Verbum, ſolus diceretur intelligere, &c. Quare Verbum Perſonale in Deo, tum Spiritus S. non producuntur ex neceſſitate & indigentiâ ſeu intelligendi ſeu volendi, ſed tantùm vt termini fœcũditatis tum intellectus, tum voluntatis Diuinæ; ſeu ex abundantiâ perfectionis intellectus & voluntatis illius: nec rectè quis philoſopharetur, qui per Analogiam ad intellectum creatum, concluderet produci à Deo Verbum, tanquam diſtinctam Perſonam: quin potius, vi diſcurſus naturalis iudicandum eſt, Deum non eſſe intelligentem aut ſapientem, aut volentem, niſi per ſuammet ipſam eſſentiam, ſeu per intelligentiam, aut ſapientiam ipſi eſſentialem, vt oſtendi cap. 2. huius Diſput. nec productio illa Perſonarum poſitiuè cognoſci à nobis poteſt, niſi per Fidem. Atque huius quidem Quæſtionis terminos ſaltem vt habes paucis explicatos;

Supponendum eſt 1. Ex cap. 2. iam citato, Deum nihil habere in ſe diſtinctum, ſaltem realiter, niſi vbi obſtat relatiua oppoſitio: quomodo Pater & Filius diſtinguuntur inter ſe per Relationes *Paternitatis* & *Filiationis*: idemque illud principium Perſonarum diſtinctiuum

eſſe & ipſarum conſtitutiuum. Sic enim *Paternitas* cum Diuinâ eſſentiâ conſtituit Perſonam *Patris* : *Filiatio* autem cum eadem naturâ ſeu eſſentiâ conſtituit Perſonam Filii : ac denique Relàtio *ſpirationis paſſiua*, vt vocant, ſimiliter Perſonam Spiritus Sancti conſtituit. Ita Concil. Florentinum, Seſſ. 19. vnde & intelligas Relationes illas eſſe ſubſtantiales, cùm etiam in Deo nullum ſit accidens.

Item, Tres illæ Relationes Perſonarum conſtitutiuæ, idem ſunt ac *Subſiſtentia Relatiue* ſeu *Perſonalitates*, vnde in ſingulis intelligatur eſſe propria ſua ratio *Perſonæ* ſeu *Suppoſiti* : Rerùmque iſtarum naturam iam explicui ſuperiori Tract. de Ente. *Diſput.* 6. Quâ de re nonnulla etiam attigi, cap. 3. huius Diſput.

Item, Tres illæ Relationes ſingulæ, vocantur ſingularum Perſonarum *proprietates*. Cùm enim Tres Perſonæ conueniant in Eſſentiâ ſeu Naturâ Diuinâ, quæ in iis eſt numero eadem; nihil habent, in quo ab aliis ſingulæ diſcrepent, niſi illas Relationes ipſarum conſtitutiuas. Quanquam

Suppono 2. Non omnes Relationes Diuinas eſſe Perſonarum conſtitutiuas, aut habere rationem *Subſiſtentiæ*. Quia datur Quarta alia, quam vocant *Spirationem actiuam*, communem Perſonæ Patris, & Perſonæ Filii; ac proinde non eſt Perſonæ alicuius conſtitutiua : ſiquidem illud quod dicitur Perſonæ conſtitutiuum, eſt Perſonæ illius proprium & diſtinctiuum à quacunque aliâ Perſonâ. Quare Pater & Filius, per iſtam Spirationem actiuam, intelliguntur tantùm habere voluntatem fœcundam ad *Spirandum*, ſeu ad producendam Spiritus Sancti

tione Spirationis actiuæ, sunt Quatuor, qu
dicuntur Relationes *Originis*.

Item, Paternitas, Filiatio, Spiratio ta
actiua quàm paſſiua, ac denique Innaſcibilit
Patris propria, dicuntur eſſe veluti Notæ, qu
bus dignoſcantur & diſtinguantur Perſo
Diuinæ ab inuicem, quam ob cauſam quinc
illæ numerari ſolent *Notiones*.

Hucque accedunt, tum ij, qui vocantu
Deo *actus notionales*, ſeu Perſonarum propı
nempe *dicere* ſeu *generare*; & *ſpir*
tum quæ dicuntur *potentiæ notionales*, pı
Generatiua & *Spiratiua*. Nam Intellectus
dem & Intellectio, vt ſumitur abſolutè, eſt e
tialis & communis tribus Perſonis; ſiqui
hoc modo intelligunt per eundem Intellec
habentque eandem intellectionem: quat
verò per Relationem Paternitatis contra
in Patre, vim habet generandi; quamo
dicitur Pater, cognoſcendo ſeſe, prod
Filium. Atque ita, per proportionem, v
tas eſſentialis ſeu communis tribus Pe
veluti contracta ad Patrem & Filium per
tionem Spirationis actiuæ, eſt princ
Spiritus Sancti productiuum. Atque hi
poſitis;

Dico I. In illâ Perſonarum Sanc
Trinitate duæ tantùm ſunt Proceſſion
Emanationes *ad intrà*, quarum prima e
à Patre per intellectum, ex cognition
Diuinæ eſſentiæ, &c. Secunda eſt Spi
à Patre ſimul & Filio, ſecundùm volu
ex amore eiuſdem obiecti, cuius ex co
Filius procedit. *Prob.* Quia in Deo d

cùm ſunt Perſonæ productæ ; duoque tantum principia Proceſſionum ad intrà, nempe intellectus & voluntas ; nec ſingula illa principia habere poſſunt niſi vnum terminum. Quomodo per intellectum vnicus duntaxat poteſt procedere Filius ; quia, pro ſuâ infinitate, totam eiuſmodi potentiam productiuam veluti exhaurit. Quanquam, ſimpliciter loquendo, non exhaurit ; quia, contra Caluinum, ſemper procedit : quâ ratione dicitur Pater eſſe ſemper viuens.

Notandvmqve eſt conſequenter 1. In Deo eſſe potentias illas Perſonarum productiuas, quas *Notionales* vocant, ſeu proprias Perſonarum producentium ; quas propriæ illarum Perſonarum Relationes cum ipſâ Diuinâ eſſentiâ conſtituunt : ac principium quidem *quod*, eſt Perſona producens ; ſed principium productiuum *quo*, remotum ſaltem, non eſt Relatio. Nam, vt inquit D. Th. q. 41. a. 5. illud propriè dicitur potentia in quocunque agente, quo agens agit, & producit ſibi ſimile, quantùm ad formam, quâ agit : ſicut Homo genitus, eſt ſimilis Homini generanti in naturâ humanâ ; cuius virtute Homo poteſt generare Hominem. Vnde ſimiliter per proportionem, in Diuinis, natura Diuina eſt principium formale præcipuum, remotum ſaltem, actuum Notionalium. Nam huc accedit tum intellectus, tum voluntas, quaſi principia proxima : nec Relatio Perſonæ conſtitutiua, hoc in caſu, habet ſe, niſi vt conditio, vim illam naturæ veluti determinans & contrahens ad talem Perſonam. *Conf.* 1. Quia Filius v. g. non eſt ſimilis Patri in Paternitate : nec productio Verbi Diuini debet eſſe æquiuoca ; quia alioqui non diceretur propriè generatio. *Conf.* 2. Quia deroga-

ponendo requiri Relationem ad vim illiu quaſi complendam : & verò, in Humanis, id quo generans generat, non eſt proprietas Perſonalis, putà Subſiſtentia aut Indiuiduatio, ſed tantùm Natura : alioquin, vt ait D. Th. Socrates non generaret tantum Hominem, ſed Socratem : ita, à pari, & in Diuinis. At

NOT. 2. Cum Suare, cum Ruiz, & cu pluribus alijs, iuxta communem SS. Patrum ſententiam ; principium etiam *quo* proximu producendæ Perſonæ eſſe & actum eſſentialem v. g. intelligendi actum ſeu intellectione eſſentialem, eſſe principium proximum qu producitur Verbum ; ipſumque dicendi actu quo producitur, eundem eſſe formaliter cu intellectione eſſentiali, additâ ſolùm Relatio Paternitatis ex parte Patris, &c. *Prob.* Q *dicere*, per quod producitur Verbum, idem ac *intelligere* : Nam omne *dicere* Dei, eſt gnoſcere ſeu repræſentare modo cognoſciti atqui in Deo non eſt poſſibilis alia cognit quàm eſſentialis intellectio, additâ illâ, de iam diximus, Relatione, tanquam conditi *Conf* 1. Quia Verbum procedit ex operat propriâ intellectus ; nec aliam ob cauſam F Dei dicitur Verbum ; niſi quia procedit intellectum : atqui nulla eſt operatio i lectus niſi intelligere, ſeu intellectio : procedit ex ipſo *Intelligere*, eſtque illius t nus productus. Quod autem alij volunt, illud eſſe ſpecialem aliquam Patris not quam proinde oportet eſſe relatiuam nihil proprium eſt in Deo, niſi rela *contrà eſt*. 1. Quia fruſtra eſt illa alia ſp notitia, cùm ſufficiat eſſentialis, additâ

nali ratione productionis *Verbi*; nihil addendo ad rationem intellectionis, neque illam multiplicando. Et verò, Relatio v. g. Paternitatis determinat & modificat Naturam, vnde conſtituatur talis Perſona;nec tamen addit quidquam ad naturam in ratione naturæ; vnde intelligatur eſſe natura altera eſſentialis, altera autem Notionalis, & Relatiua: ergo à pari, de Intellectione. Item, nulla eſſe poteſt in Patre cognitio relatiua: quia nihil eſt relatiuum in Deo, niſi ratione vel principij producentis cognitionem, vel ratione termini producti per illam cognitionem: at cognitio de ſe neutrum dicit. *Conf.* Quia Relatio vt relatio in Diuinis non habet rationem operationis. Nam Relatio illa eſt potius principium conſtitutiuum virtutis productiuæ, ad quam veluti conſequens eſt operatio. Item,ſic per illam duplicem notitiam idem obiectum, bis cognoſceretur; v. g. bis cognoſceret ſe eſſe Omnipotentem. Atqui hoc fruſtra eſt; nam alter ex illis actibus totum obiectum perfectè repræſentaret: ergo alter foret ſuperfluus:vel iſte inadæquatè ſolùm repræſentaret; & ſic foret imperfecta cognitio; quod repugnat in Deo. Item, aliqua eſſet ſpecialis cognitio in Patre, quæ non foret in Filio & Spiritu S. ergo non eſſet Filius aut Spiritus S. tam perfectè cognoſcitiuus quàm Pater. Item,ſic Pater foret propriè & formaliter intelligens aut ſapiens ſapientiâ genitâ: quod damnat D. Auguſtinus à ſe olim dictum; cùm propriè ſit tantùm ſapiens ſapientiâ eſſentiali; perinde ac omnipotens eſt tantùm omnipotentiâ eſſentiali; quod habet expreſsè D. Th. 1. p. q. 37. a. 2. ad. 1.

Dicebam in Aſſertione, Spiritum S. à Patre

rum, qui ſupponunt, Spiritum S. non procedere niſi à Patre. *Prob. ratione.* Quia licet Pater & Filius ſint duæ realiter diſtinctæ Perſonæ, in ijs tamen non eſt niſi vna & eadem voluntas, virtuſque ſpirandi eadem, per quam Spiritum S. producunt. Et verò etiam, vt docet D. Th. niſi à Filio etiam procederet, non eſſet Perſona realiter diſtincta à Filio: quia in Diuinis nulla eſt realis diſtinctio, niſi per relationes oppoſitas, cuiuſmodi ſolùm reperitur inter Perſonam producentem & productam. At

Dico II: Sola proceſſio Perſonæ ſecundæ vocatur propriè Generatio, habetque pro termino propriè Filium. Eſt de Fide. *Prob. ratione.* Quia vi proceſſionis ſuæ *formaliter* producitur in ſimilitudinem Naturæ cum eo, à quo procedit. Quippe intellectio, per quam producitur, per ſe & formaliter eſt imago obiecti: ergo iſta Perſona, vi proceſſionis ſuæ, eſt ſimilis producenti: ergo ab illo procedit vt Filius: ergo illa proceſſio vocari debet propriè Generatio. Quare differt à proceſſione Spiritus Sancti: quia licet procedat à Patre ſimul & Filio perinde cum ſimilitudine naturæ; ſiquidem habet eandem numero cum vtroque naturam; non dicitur tamen Filius; nec illius proceſſio appellatur Generatio; quia procedit tantùm viâ voluntatis, & tanquam Amor Perſonalis SS. Trinitatis: Amor autem ex naturâ & *formaliter* non eſt ſimilitudo obiecti; ſed potius inclinatio quædam ad obiectum.

Nec dicas, proceſſio à voluntate Diuinâ vt Diuinâ, eſt neceſſariò in ſimilitudinem naturæ,

materialiter ſaltem & identicè, ratione illius naturæ in quâ procedit. *C.* At non eſt ſimilis ratione voluntatis, vt voluntas eſt *formaliter.* Item, Angelus, quando producit imaginem ſui & Verbum ſui repræſentatiuum; iſtud non habet ſimilitudinem cum principio ſui productiuo *realem*, cùm ſit accidentalis qualitas duntaxat; ſed tantùm *intentionalem.*

NOTANDVMQVE eſt, proceſſionem & emanationem, quatenus ſe habet ex parte principij producentis, vocari *actiuã*; *paſſiuã* autem, quatenus ſe habet ex parte Perſonæ productæ. Item,

NOT. 2. Terminum proceſſionis Diuinæ totalem, eſſe Perſonam productam: verùm, vbi agitur de termino illius formali; conſideranda eſt Proceſſio Diuina, vel vt productio quædam eſt; vel vt communicatio; quatenus productio eſt, terminatur formaliter ad Relationem productam: quatenus verò eſt communicatio, terminatur ad Naturam, in quâ ſimilis eſt Perſona producta cum producente. Quo pacto, ratio Entis producti, ſeu Proceſſio vnius Perſonæ ab aliâ, quæque ſuum *eſſe* totum ab illâ accipiat, non deſtruit Diuinitatem Perſonarum, aut earum identitatem in Naturâ. Item,

NOT. 3. Quòd, etſi Natura ſeu eſſentia, in hoc caſu, dicatur eſſe principium Formale, ſaltem remotum; non dicitur tamen producere præcisè vt ſic; quo pacto, nec dicitur produci; ſed tantùm communicari; quanuis Perſona aut producens, aut producta, ſit formaliter Deus: alioquin, ſequeretur plures eſſe eſſentias ſeu naturas Diuinas; cùm inter ſe diſtinguantur realiter, & plura ſint *producens* & *productũ*. D.Th.1. *p.q.* 41. *a.* 5. Suarez *de Trin.lib.* 6.*c.* 5. Ruiz *Diſp.*100.*Sect.*2.

NOTABIS enim 4. Naturam non eſſe Princi-

tionis huiuſmodi, niſi vt veluti contractam ad Perſonam. Quare, vbi dicitur Deus vnus in eſſentiâ gignere aut gigni, ſeu procedere; vel ſi libet, cùm dicitur Deus Generans aut Genitus, ſeu *Deus* de *Deo*; ſubiectum illud, ratione prædicati notionalis, ſemper ad vnam aliquam Perſonam reſtringitur. Item,

Not. 5. In hiſce Diuinis emanationibus ſeu actionibus nullam poſſe reperiri imperfectionem; cùm ſint abſque omni tranſitu de potentiâ ad actum, aut abſque omni effectione ſeu propriè dictâ cauſalitate termini producti à principio ipſius productiuo. Nam, etſi natura, veluti radix fœcunditatis & communicationis, intelligatur priùs communicabilis, quàm communicata, aut quàm actualis ipſa communicatio; priorque ſit origine Perſona producens quàm producta; nihil aliud iſtud eſt, quàm vnum eſſe ab alio, in ratione Perſonæ productæ: neque hæc inuoluunt vllam imperfectionem. Primò, quia ibi nulla eſt effectio aut cauſalitas propriè dicta, cum aliquo genere dependentiæ propriè dictæ, vbi res producta non habet diſtinctam numero naturam à producente. Item, quicquid eſt Deus, non debet proptereà eſſe omni ratione, & ſub quacunque conſideratione primum; nam & in ipſâ eſſentiâ ſunt quædam alijs ratione priora, vt intellectus volũtate. Item, prioritas illa aut poſterioritas Originis nõ impedit ſimultatem exiſtentiæ in eâdem æternitate; quare nullus hîc eſſe poteſt tranſitus ab vno ad aliud. Item, in iſtis Proceſſionibus non reperitur Perſonæ productæ aliqua dependentia aut *indigentia* à producente; ſed potius mutua & abſolutè neceſſaria *exigentia*: quia non minori

neceſſitate Perſona producta exiſtit, quàm Perſona producens: quare, hoc loco, non eſt beatius dare quàm accipere; quia non ex liberalitate & gratiâ Perſonæ producentis, ſed eâdem neceſſitate Perſonâ oppoſita producitur, habetque eandem Diuinitatem ac producens; nec Filius eſt minùs autotheos quàm Pater; ſiquidem Filius Diuinitatem à Patre tanquam ſibi naturaliter debitam, eâdem neceſſitate accipit, quâ Pater illam à ſeipſo habet. Item,

NOT. 6. Nomina ſubſtantiua tribui Deo non poſſe in plurali. Neque enim multiplicari poſſent, niſi multiplicatâ formalitate quam ſignificant; ac proinde vnitatem eſſentiæ deſtruerent. Secus autem contingit in nominibus adiectiuis, quæ multiplicari poſſunt, non multiplicatâ formâ quam ſignificant, modò Suppoſita multiplicentur. Ita enim dici poſſunt tres Perſonæ Diuinæ, tres creantes, &c. non autem tres Dij, tres Creatores, &c. Quamobrem, vbi D. Athanaſius negat tres Æternos, tres Immenſos, &c. non ſumit illos terminos adiectiuè, ſed ſubſtantiuè. Ita Pater & Filius non dicuntur duo principia Spiritus Sancti productiua, ſed vnum, & vnus Spirator, propter vnitatem eiuſdem formæ, quanuis dicantur duo ſpirantes. Iam verò, vt de ſingulis Perſonis agam;

DICO III. Prima hoc habet maximè ſibi proprium, vt ſit improducta; quæ vocatur eius innaſcibilitas; item, eſt Perſonarum aliarum principium; tum reſpectu ſecundæ Perſonæ eſt propriè Pater, quemadmodum iam explicuimus; vt ſermo non ſit de Paternitate eſſentiali communi tribus Perſonis, quæ minùs propriè eſt Paternitas, quâ Deus dicitur Creaturarum or-

num ; atque in primis Iuſtorum & Beatorum, ob maiorem cum eo ſimilitudinem ; tum ob affectum in eos quaſi paternum.

Dico IV. Secunda Perſona, quam oſtendimus verè generari, & eſſe Filium ; vocatur etiam propriè Verbum, vt iam expoſui, quia per actum intelligendi producitur, tanquam expreſſa imago Patris. Quâ ratione Pater non modò habet intellectionem eſſentialem & communem alijs Perſonis, ſed etiam intelligendó eſt *dicens*, id eſt, producens Verbum. Quare ex Martinono, *Diſp.* 29. Verbum in Diuinis ſumitur, tum, hoc modo, *Notionaliter* ſeu *Perſonaliter* ; tum *eſſentialiter*, pro eſſentiali cognitione. Sic enim Deus & Perſona ipſa Filij dicitur *Portare omnia Verbo virtutis ſuæ. Hebr.* 1. & Pſal. 32. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt.* Tum Pſal. 148. *Ipſe dixit & facta ſunt*: qui effectus non poſſunt eſſe niſi à Verbo communi tribus Perſonis, quo ſignificatur non tantùm Intelligentia & Sapientia, per quam adminiſtratur Mundus ; ſed & Dei Imperium cum Omnipotentiâ, quâ fiunt ſeruanturque vniuerſa. Præterea quoque

Notabis iterum 1. Verbum illud Diuinum Perſonale differre à noſtro Verbo ; primò, quòd non conſtituat Deum formaliter intelligentem ; ſitque intelligens formaliter perinde ac Pater; Verbũ autem noſtrum eſt id quo formaliter intelligimus, neque eſt intelligens.

Not. 2. Cùm illud Verbum Notionale ſeu Perſonale ſit repræſentatiuum perfectionum omnium poſſibilium, quas vi Proceſſionis ſuæ continet ; Notabis, inquam, procedere illud ex cognitione infinitè perfectâ rei cuiuſcunque,

ſaltem neceſſariæ. Quod enim ſpectat ad Creaturas, prout ſunt exiſtẽtes, cùm hoc modo poſſint eſſe aut non eſſe, non potuit ex illarum notitiâ exiſtere Verbi productio, quæ eſt abſolutè neceſſaria: tum quia productio Verbi, quæ neceſſaria eſt, ſupponitur ad ſcientiam viſionis, quæ eſt libera; ſiquidem in Diuinis eſſentialia intelliguntur eſſe priora notionalibus; & notionalia liberis. Verbum tamen vi Proceſſionis ſuæ, non deſinit idcirco habere vim repræſentandi & obiecta contingentia, ex hypotheſi quòd exiſtant. Item,

Not. 3. Vocari Sapientiam genitam, ſeu Patris æterni Sapientiam, non quidem quâ propriè & formaliter ſit Sapiens: hoc enim habet per Sapientiam eſſentialem; ſed appropriatiuè, & quatenus eſt terminus productus per intelligẽdi actum, quo res omnes tam Sapienter adminiſtrantur.

Dico V. Perſona tertia vocatur Spiritus S. Quia Spiratur, quod eſt per voluntatem procedere. Eſtque Perſona producta, ad intrà non producens: vt enim per Generationem Verbi ſupponitur veluti exhauſtus in eo genere intellectus Diuinus; ita & voluntas in productione Spiritus Sancti. Vocatur ſpecialiter *donum*, cùm ſit Amor notionalis, primum autem donorum eſt amor, vt ſuo loco explicui.

Colliges verò ex dictis, quemadmodum in Deo, cùm vnitate Naturæ ſeu eſſentiæ, ſint Proceſſiones duæ, cum tribus Perſonis inter ſe realiter diſtinctis; tres Subſiſtentiæ relatiuæ ſeu proprietates, quibus conſtituuntur Perſonæ illæ; Item, exiſtentiæ tres relatiuæ; quòd ſingulis Perſonis, ex aliorũ ſententiâ probabili, competat ſua propria exiſtentia relatiua, vnde intelligatur

ſiſtentis & exiſtentis. Item præterea numerantur quatuor Relationes Originis; tum quinque vulgares Perſonarum Notiones, quibus dignoſcantur Perſonæ, vt iam dixi; nempe Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio tum actiua, tum paſſiua; quibus accedunt actus notionales, in ipſis Perſonis producentibus exiſtentes, quibus aliqua Perſona intelligitur actiuè produci.

Colliges 2. Perſonas Diuinas manere alias in alijs, ratione perfectæ identitatis quam habent in naturâ; quâ ratione etiam dicuntur *Conſubſtantiales*. Item, eſſe & perfectionis inter ſe omnino æqualis; quam perfectionem in ſingulis complet *Circum-inſeſſio*, vt explicui in Phyſica Vniu. *Diſput. de Infinito: cap. 6. ad Obiect.* 1. Neque hanc ſingularum Perſonarum æqualitatem impedit, prioritas aut poſterioritas Originis, vnde vna Perſona procedit ab aliâ; cùm in illis, vt iam dixi, æquè ſit perfectum, & æquè neceſſarium produci & producere: Item, nec illi æqualitati obſtat Miſſio Filij à Patre, aut Spiritus Sancti à Patre ſimul & Filio; non enim ſit per imperium aut per conſilium; ſed tantùm per Originem, quatenus ſcilicet vna ex illis Perſonis procedit ab aliâ, ſimul denotando terminum ad quem, aut viſibiliter, quando Perſona miſſa, per ſignum aliquod ſenſibile nouo modo exteriùs apparet, cuiuſmodi fuit: Miſſio Verbi ad ſubſiſtendum in Naturâ Humanâ; tum Miſſio Spiritus Sancti, quando in ſpecie Columbæ, & in linguis igneis apparuit. Dicitur porrò Miſſio eſſe inuiſibilis, quando, per interiorem Animæ

Sanctifica-

Sanctificationem, Deus ſeu Perſonæ Diuinæ, vbique per immenſitatem exiſtentes, hoc etiam modo ſpeciali, per maiorem dilectionem & protectionem, Iuſtis præſentes fiunt: &c.

Atque hæc quidem ex tantâ rerum copiâ delibaſſe ſatis eſt, vt via tibi comparetur ad cognitionem tam ſublimem, & rectum ſaltem loquendi modum addiſcas. Memineriſque ex D. Auguſt. lib. 1. De Trinit. c. 3. *Vbi quæritur Vnitatis Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; nec periculoſius alicubi errari; nec laborioſius aliquid quæri; nec fructuoſius aliquid inueniri.*

****

CAPVT XXIII.

Dei Vnibilitas cum Naturâ creatâ.

HOc loco vſui eſt maximè doctrina de Naturâ, & Suppoſito; quam in ſuperiori Tract. *Diſp.* 6. expoſuimus; vt ex ijs, quæ contigêre in Chriſto Domino, intelligamus, quænam in iſto genere fieri omnino poſſint.

Suppono enim cum D. Athanaſio, in Symbolo Fidei, duas eſſe in Chriſto naturas, Diuinam ſcilicet, tum Humanam ex Corpore & Animâ rationali perfectam; ita vt per vnionem ſubſtantialem fiant vnum per ſe vnitate Perſonæ, non autem vnitate Naturæ: contra hæreſim Eutychetis. Neque verò ex ijs fieri potuit natura vna per conuerſionem alterius in alteram, aut ex mixtione vtriuſque. Alioquin ſi ſupponeretur natura Humana tranſmutata in Diuinam, iam Chriſtus non diceretur Homo. Aut ſi Diuina ſupponitur mutata in Humanam,

certe nec Homo eſſet, nec Deus, ſi tertia natura diuerſa ex illarum mixtione reſultaret. Item, natura Diuina eſt incorruptibilis, & immutabilis: ergo nullam eiuſmodi mutationem ſubire poteſt. At prætereà

Dico I. Non poteſt natura Diuina præcisè ſecundùm *eſſe* naturæ Diuinæ, per ſeipſam vniri immediatè ſubſtantiæ creatæ, ita vt ex duabus naturis conflectur vna totalis; ſicut ex Corpore & Animâ rationali conflatur Homo. *Prob.* Quia ex duabus naturis completis, neutra reſpectu alterius eſt aut actus, aut potentia, vnde poſſint conſtituere vnum per ſe. *Confir.* Quia natura completa & perfecta dicit eſſentiam vltimò terminatam, ac proinde negationem alterius: ergo non poteſt eſſe pars, cum aliâ naturam aliquam totalem conſtituens; ſiquidem hoc modo cum parte aliâ vniri, aut per modum potentiæ, aut per modum actus non poteſt. Hucque illa ſpectant, quæ vulgò iactantur de Hircoceruo, alijſque Entibus chymæricis.

Dico II. Nec poteſt natura Diuina per ſuam exiſtentiam, aut per aliam perfectionem abſolutam vniri immediatè cum naturâ creatâ, putà cum aliquâ Humanitate, efficiendo illam formaliter aut exiſtentem exiſtentiâ Diuinâ, aut ſapientem ſapientiâ pariter Diuinâ, aut Omnipotentem, &c. *Probatur de exiſtentiâ, contra Thomiſtas.* Quia exiſtere Creaturæ aliud nihil eſt, quam ipſam Creaturam habere *eſſe* ſuum productum actu: at repugnat, neque intelligi poteſt, quomodo res *eſſe* ſuum & per quod exiſtit, habeat ab *eſſe* alieno. Nihil enim eſt

niſi per *eſſe* ſuum, &c. quæ Tract. 1. Metaph. oſtendi, tum Cap. de Ente exiſtentiæ, tum vbi de Ente ſubſtantiali, & de Subſiſtentiâ, *cap.* 3. *Aſſert.* 6. Prob. de alijs perfectionibus. Quia idem ſunt formaliter ac natura ipſa Diuina; quæ, ſecundùm *eſſe* illud Naturæ vniri alteri non poteſt; vt aiebam modò. Deinde quanuis vniretur Naturæ alicui creatæ, illi propterea non communicaret attributa ſua, niſi *identicè*, non autem *formaliter*, vt dicam ſub finem Aſſertionis 5.

Obijc. Humanitas Chriſti Domini ſanctificatur formaliter per ipſam Diuinitatis ſanctitatem ſubſtantialem illi vnitam, vt aiebam *cap.* 10. ex communi Theologorum doctrinâ. Inde autem ſic infero: ergo poteſt communicari creaturæ aliquod Diuinum attributum, & illud quidem ſeorſum ab alijs. ℞. cum Mæratio *De Incar. Diſp.* 31. *ſ.* 1. Diſcrimen eſſe inter ſanctitatem, aliáque attributa, quòd illa ſint purè phyſica; ſanctitas autem non eſt quippiam purè phyſicum, ſed ſimul morale. At formæ huiuſmodi ſuum effectum formalem proprium & ſpecialem deriuant in ea, quæ ſecum habent aliquam vnionem. Scientia autem v. g. non facit ſcientem niſi eum, cui tanquam potentia intrinſecè inexiterit; atque ita de Omnipotentiâ, & alijs attributis purè phyſicis.

Dico III. Natura Diuina Creaturæ ſubſtantialiter vniri ſolùm poteſt ſecundùm hypoſtaſim ſeu ſubſiſtentiam, ſupplendo vices creatæ ſubſiſtentiæ; vt *Diſput.* 6. *ſuperioris Tract.* abundè iam explicui. Ita Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*. non quia mutatum eſt in carnem, hoc enim fieri nequit, ſed quia carnem aſſumpſit: *Aſſumptio* autem dicitur quaſi *ad ſe ſumptio*.

nitatem ad ſe, tanquam ad principium eiuſdem Humanitatis terminatiuum, & ſubſtantialiter perfectiuum, in eâ ſubſiſtendo; differtque ab alijs Perſonis, quæ licet ſint ſimul principium effectiuum eiuſdem Incarnationis (quia operationes ad extra, ſunt indiuiſibiliter à tribus ſimul Perſonis) ſoli tamen ſecundæ Perſonæ vnita eſt illa Humanitas. Ideoque dicitur fieri Homo, non ſecundùm eſſentiam aut naturam, ſeu per mutationem ſui in hominem; ſed terminatiuè, & hypoſtaticè, nempe vniendo ſibi naturam Humanam, & in eâ fungendo vices ſubſiſtentiæ. Certè, vt quis dicatur v. g. fieri albus, non eſt opus conuerſione in albedinem, ſufficit enim ſi illi vniatur, illam in ſe recipiendo, &c.

NOTANDVMQVE eſt ex D. Thomâ, Humanitatem vnam & eandem poſſe à tribus ſimul Perſonis Diuinis aſſumi; vt, quomodo illæ tres ſimul terminant naturam eandem Diuinam, ita & terminent eandem naturam Humanam. Item, vt inquit, quomodo tres Perſonæ Diuinæ dicuntur vnus Deus propter vnam & eandem Deitatem, in quâ ſubſiſtunt; ita & dicerentur Homo vnus & idem, quia ſubſiſterent in eadem Humanitate. Prætereà verò etiam

NOT. 2. Ex eodem D. Thomâ. Poſſe plures naturas v. g. Humanas aſſumi ab eadem Perſonâ Diuinâ. Quia nihil implicat. Certè, Perſona eadem Verbi Diuini ſubſiſtit in naturâ Diuinâ ſimul & in Humanâ in Chriſto; quid-ni pro ſuâ infinitate ſimul poſſet ſubſiſtere in pluribus Humanis? Quo in caſu, alij dicunt

plures fore homines cum vnitate eiuſdem Suppoſiti; alij verò potiùs exiſtimant fore eundem Hominem, quatenus τὸ *Homo* dicit *ſuppoſitum*. Quæ eſt ſententia D. Thomæ 3. *p.* 93. *a.* 7. nec diſputatio eſt niſi de nomine.

Dico IV. Natura Diuina ſecundùm hypoſtaſim non vnitur Naturæ creatæ, niſi factâ aliquâ mutatione ex parte ipſius Naturæ creatæ; id eſt, niſi in eâ producto aliquo *eſſendi* modo, per quem Natura creata determinetur ad hanc vnionem cum perſonâ Diuinâ; iuxta id quod expoſuimus, in Phyſicâ Vniu. *Tract.* 1. *Diſp.* 4. *cap.* 2. de modo quo vniuntur partes in Toto.

Dico V. Ex vnione hypoſtaticâ Naturæ v. g. Humanæ cum Diuinâ, oritur communicatio duplex reſpectu illius perſonæ: altera quidem Naturarum; altera autem proprietatum, quam Græci appellant *communicationem idiomatum*. Quamobrem rectè dicitur *Deus eſt Homo*, tum *Homo eſt Deus*. Item, *Chriſtus eſt immortalis*, *æternus*, *infinitus*; quæ ipſi competunt ratione Diuinitatis; cùm ſimul ratione Humanitatis dicatur *mortalis*, *paſſibilis*, *&c.* Quando enim plures Naturæ vel Formæ in eâdem perſonâ vniuntur, poſſunt de illâ prædicari in concreto. Vnde quia in perſonâ Petri vniuntur corpus, anima, albedo, ſcientia; rectè dicimus, *Petrus eſt corporeus*, *animatus*, *albus*, *ſciens*, &c. Quia perinde, eſt ac ſi diceretur; *Perſona Petri habet corpus*, *animam*, &c. Quâ ratione etiam Chriſtus ex diuerſis principijs dicitur ſimul æternus ac temporalis; finitus atque infinitus, &c. Nomen enim (*Chriſtus*) hoc pacto non eſt nomen ſolius Naturæ, aut Diuinæ, aut Humanæ; ſed potiùs perſonæ ſubſiſtentis in vtráque illâ naturâ.

.Diuina eſt communicabilis Humanitati, per quam fiat ſubſiſtens; ergo poſſunt illi communicari & attributa Diuina quæcunque; maximè verò, vt inquiũnt, Immenſitas, per quam fiat vbique præſens. Atque ita de facto credunt Chriſti Domini Humanitatem eſſe vbique præſentem; quamobrem illius Sectæ Lutherani vocantur *Vbiquiſtæ*; ſolentque iſtud confirmare hoc argumento. *Verbum Diuinum eſt vbique: ergo Humanitas illi vnita debet conſequenter eſſe vbique.* At ℞. 1. Perinde eſſe ac ſi quis diceret, *Anima cui vnitur manus, eſt vbique toto in corpore indiuiſibiliter exiſtens: ergo & manus ipſi vnita, perinde eſt in capite, in pede, &c.* Sequeretur autem ex doctrinâ Vbiquiſtarum, falſa eſſe, quæ ſæpe narrantur in Scripturâ de Chriſto; nempe Ioan. 6. *Cùm vidiſſet turba, quòd Ieſus non eſſet ibi, &c.* Chriſtum non fuiſſe incluſum in vtero B. Virginis, neque ex ipſo prodiiſſe; propriè non aſcendiſſe in Cælos; non deſcendiſſe ad inferos; non fugiſſe in Ægyptum; indéque rediiſſe, &c. Qui enim vbique eſt indiuiſibiliter, non mouetur localiter, deſerendo locum in quo eſt, & acquirendo nouum, &c. ℞. 2. Ex ſuperiori Aſſert. 2. Repugnat Naturám Diuinam, aut vllum eius attributum eſſentiale, vniri per ſe primò & immediatè cum alterâ naturâ, &c. Reſpondeo igitur 3. Relatiuam illam perfectionem ſubſiſtendi, per ſe formaliter & immediatè communicari Naturæ creatæ; nec repugnare, aut ex parte Dei, aut ex parte Creaturæ, vt hoc modo communicetur formaliter atque immediatè; at ipſa Omnipotentia, Viſio, Scientia, per quam eſt vitaliter ſciens, aliáque id

genus Attributa, non communicantur niſi veluti *materialiter* ſeu identicè & mediante ipsâ Subſiſtentiâ relatiuâ, in quâ includuntur, & cum quâ ſunt idem: quamobrem Humanitas Chriſti Domini, hoc modo, non poteſt dici formaliter Omnipotens, Immenſa, videns Deum per ipſam Dei viſionem increatam; ſed tantùm dicitur eſſe Humanitas illius Perſonæ, quæ eſt Omnipotens, Immenſa, Sapiens, &c. quomodo, per proportionem, Corpus humanum redditur animatum & viuens per Animam rationalem; tantúmque idcirco dicitur eſſe corpus Animæ intelligentis, ratiocinantis, &c.

NOTANDVMQVE eſt, Diuinam hypoſtaſim, etſi includat eſſentialiter Diuinam eſſentiam, vt diximus cap. 3. huius Diſput. Naturæ tamen creatæ nō conferre niſi illud, ad quod ipſa natura eſt in potentiâ; nempe *eſſe* Hypoſtaticum ſeu Perſonale, naturam in eo genere ſic vltimùm terminando, ſeu actuando & modificando.

DICO VI. Tanta eſt perfectio vnionis hypoſtaticæ Naturæ Diuinæ cum naturâ creatâ intelligente, vt meritò illam conſequantur, tanquam proprietates cōnaturaliter debitæ; tum Scientia & Viſio beatifica, tum aliæ perfectiones, quæ ſolent Animæ Chriſti attribui.

Certum eſt verò, Chriſti Domini Animam eſſe Sanctam infinitè, per Sanctitatem increatam Verbi Diuini, ſubſtantialiter ipſi vniti, vt iam dixi. Quonam autem perfectionis ſeu intenſionis gradu habeat prætereà Qualitatem Gratiæ Sanctificantis infuſam, tum Scientiam, aliaſque id genus dotes creatas, non definimus; cùm, ex doctrinâ de Infinito, quam in Phyſicâ Vniuerſali tradidi, conſtet non eſſe infinitas. Quanquam eæ ſunt, procul dubio, quæ cæteræ

ipſius, habes ex Morali. *Tract.* 2. *Disput.* 2. *cap.* 3. &c.

Item, cùm ſit infinitæ Sanctitatis, dubium non eſt, quin actiones ſingulæ, quibus ſalutem noſtram promeruit, fuerint dignitatis & valoris ſimpliciter infiniti; tum etiam meriti quodammodo infiniti, vt aiebam in Phyſ. Vni. *Diſp. de Infinito cap.* 6. in Morali. *Tract.* 2. *Diſp.* 5. *c.* 4. alijſque in locis. Item, ex eadem Diſp. de Infinito, cap. vltimo, ſub finem, intelligere eſt quoque, quemadmodum ſolus Iuſtitiæ Diuinæ condignam ſatisfactionem pro Hominum peccatis exhibuerit: Item, quemadmodum eas omnes ob cauſas ſit ſupra omnem creaturam amabilis; meritóque ab Apoſt. 1. *Cor.* 16. dicatur Anathema, ſi quis ipſum non diligit, &c. *Huic Benedictio, & Claritas, & Gratiarum actio in ſecula ſeculorum.* AMEN.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

INDEX

INDEX

TRACTATVVM, DISPVTAT. ET CAPITVM METAPH.

Præfatio de naturâ Metaphyſicæ. 1

TRACTATVS I.

De Ente in communi, varijſque illius diuiſionibus & modis.

DISPVTATIO I.

Natura & proprietates Entis in communi.

CAP. I. *EXplicantur natura & proprietates Entis in communi.* 5

II. *Expenditur natura illarum proprietatum.* 8

III. *De non Ente.* 14

DISPVTATIO II.

Varij diſtinctionum modi, qui reperiuntur in Ente; tum de ipſius diuerſitatibus, &c.

CAP. I. *DE varijs diſtinctionum modis.* 17

II. *Diſcrimen inter diſtincta, diuiſa, &c.* 27

III. *Diuiſiones Entis in communi.* 29

DISPVTATIO III.

De Ente Eſſentiæ & Exiſtentiæ.

CAP. I. *QVid ſit eſſentia.* 34

II. *De diſtinctione graduũ eſſentialiũ.* 41

III. *Quomodo verũ eſſẽtię dicãtur eſſe ab ęterno.* 44

IV. *De Ente exiſtentiæ.* 48

DISPVTATIO IV.

De Ente rationis.

CAP. I. *QVid ſit ens rationis.* 57

II. *Soluuntur Obiectiones.* 59

III. *Cauſa effectiua Entis rationis.* 64

INDEX.

DISPVTATIO V.

De Ente vniuerſali.

CAP.I. EXiſtentia Entis vniuerſalis. 69
II. Eſſentia & proprietates Entis vniu. 77
III. Soluuntur Obiectiones. 61
IV. Numerus vniuerſalium. 89
V. De Genere. 97
VI. De Specie & de Indiuiduo. 101
VII. De Differentiâ. 103
VIII. De Accidente Proprio & de Cõmuni. 108

DISPVTATIO VI.

De Ente ſubſtantiali & accidentali.

CAP.I. NAtura & diuiſiones ſubſtantiæ. 113
II. Quidnã Suppoſitũ ſuperaddat, &c. 119
III. Natura & proprietates Suppoſiti. 123
IV. Obiectiones cõtra ſuperiorẽ doctrinã, &c. 130
V. De Accidente. 134

DISPVTATIO VII.

Entis Analogia ad Subſtantiam & Accidens, &c.

CAP.I. QVę præſupponi debẽt de vnitate, &c. 139
II. Entis Analogia. 143
III. Obiectiones cõtra vnitatẽ Entis abſtracti. 147
IV. Obiectiones pro vniuocatione Entis. 149

DISPVTATIO VIII.

CAP.I. QVid ſit ens Categoricum. 155
II. Categoria Subſtantiæ. 159
III. Categoria Quantitatis. 163
IV. Categoria Qualitatis. 168

DISPVTATIO IX.

De Ente Relatiuo.

CAP.I. EXiſtere in rerũ naturâ Relationes. 174
II. Natura Relationis. 177
III. Diuiſio Relationis. 183
IV. De diſtinctione Relationis à ſuo ſubiecto, &c. 188
V. De ſubiecto Relationis. 194

PARS ALTERA
SEV
TRACTATVS SECVNDVS.

De Ente immateriali, tum Creato, tum Increato.

Cum Introductione ad Sacram Theologiam.

Præfatio de naturâ Sacræ Theologiæ. 209

DISPVTATIO I.
De Ente immateriali creato, ſeu de Angelis.

CAP. I. *De exiſtentiâ & naturâ Angelorũ.* 227
II. *Soluuntur obiectiones.* 232
III. *Angelorum differentia ſeu diuerſitates.* 236
IV. *Varij Angelorum Status.* 238
V. *De cognitione naturali Angelorum.* 241
VI *De locutione Angelorum.* 245
VII. *De volitione Angelorum.* 246
VIII. *De Loco Angelorum.* 248
IX. *De Motu locali Angelorum.* 251
X. *Angelorum vires naturales ad extrà.* 252
XI. *De Apparitione Angelorum, & Corporum aſſumptione.* 256
XII. *Angelorum officia erga Homines.* 259